Emily.

6
20-B
16/1

6
17 K
35

6-20.B.11-

Digitized by Google

U. 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPARATUS ERUDITIONIS, TAM RERUM QUAM VERBORUM, PER OMNES ARTES ET SCIENTIAS.

Instructus

OPERA & STUDIO

P. MICHAELIS PEXENFELDER,
Societatis Jesu Sacerdotis.

Editio tertia longè auctior & emendatior.

Cum Indicibus

I. Capitum.
II. Rerum potiorum.
III. Verborum difficiliorum Latino-Germanicorum.
V. Vocabulorum Germanico-Latinorum:

Qui postremus Index locupletissimus copiosi & novis Vocabulis tàm Latinis quàm Germanicis instructissimi Lexici instar esse possit.

SULTZBACI,
Sumptibus BALTHASARIS JOACHIMI & MARTINI ENDTERORUM, ANNO M DC LXXXVII.

Præfatio ad Lectorem.

Eruditionis amanti Lectori.

Liquammulti lapſi ſunt anni, ex quo, induſtriâ quorundam è Societate noſtra, Hibernorum natione, tum temporis in Hiſpania, in Collegio Salmanticenſi degentium, ratio eſt edita compendiaria Linguæ addiſcendæ Latinæ; cujus uſitatiora vocabula, ſententiarum centuriis omnino duodenis comprehenſa, eô ſunt diſpoſita modô, nullum ut ex iis (exceptis vulgaribus nectendi particulis) iterum recurreret. *Origo libri, qui vocatur Janua Linguæ Latinæ.*

Quæ inventio primò ab Anglis arrepta avidè, ſermonis eſt vernaculi additamentô aucta, typíſque mandata circa annum Chr. 1615. Mox ad eam Lingua acceſſit Gallica; & ad hanc verſio Germanica, eâ ubivis commendatione, annô ut decimô nonô ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, diverſis octo Linguarum idiomatis inſtructa prodierit in lucem: factúmque ſit, ut, quæ initio nuncupata fuerat Jaaua Linguæ Latinæ, jam Janua diceretur Linguarum. *Ejusdem propagatio.*

Annô dehinc hujus ſeculi trigeſimô primô, Joannes quidam Amos Comenius ani-

mum & manum adjecit ad Januam hanc Hibernicam ſive magis dedolandam, ſive novis adornandam parergis. Intra quam ne profanus quiſpiam & Muſarum Sacris haud dum initiatus pedem inferret, veſtibulum præſtruxit, quod, pro ſua elegantia, *Lexicalem Verborum Contexturam* appellavit; deinde id egit, ut per *Januałem* (ita loquitur) *textûs interpretationem* viam aperiret in Latinitatis Atrium.

Quem in modum ſive ornata ſive aucta Janua cùm varias fatigâſſet operas typographicas, neque tamen deſiderantium cupiditati fieret ſatis, eadem, annô ſalutis reparatæ milleſimô, ſexcenteſimô, quinquageſimô ſextò, Schaffhuſi in Helvetia, typo & luci eſt reddita; iterúmque anno ſequenti Francofurti & Hamburgi recuſa, ſtudiô & operâ cujusdam Joannis Docemii, novum auctarium addentis. Nec defuerunt annô 1660. typi Norimbergenſes, quibus prædicta Janua denuò procuſa, vel, ut rectiùs loquar, aſciæ ſubjecta, mutata inſcriptione, dicta eſt: *Orbis Senſualium Pictus*, hoc eſt, (ſunt verba tituli) *omnium fundamentalium in mundo rerum, & in vita actionum Pictura & Nomenclatura.*

Janua Docemii. In reformanda Janua præ ceteris operam ſuam dilaudat, quem dixi, Docemius, quippe quam præ Hibernica longè elaboratiorem reddiderit & abſolutiorem; imprimis

mis desiderari in Janua illa Hibernorum magnam optimarum vocum partem; Vocabula multa inesse Synonyma, plus caliginis quàm lucis, Linguæ Latinæ tironibus offundentia; non paucas inibi sententias memoriæ mandandas referri, Tropicè tantùm & obscurè intelligendas: ignoscere se tamen Patribus illis id Linguæ Latinæ compendium primò tentantibus: erratáque condonare benignè; cœterùm se inventis & plura adjecisse & meliora: Denique optare, ut quispiam, uberiore ingeniô doctrinâque instructus, acceptô suis è laboribus stimulô, prodeat ad amplius aliquid in his cœptis audendum. Et quia nec inscriptio *Janua Jesuitica*, ut ait, satis in rem convenit, maluit eam *Seminarium Linguarum & Scientiarum omnium appellare.*

Denique cùm jam typis committendum *Apparatum* hunc nostrum absolvissemus, exurgit Joannes Jonstonus, qui in Præfatione Polymathiæ suæ Philologicæ (quæ Francofurti & Lipsiæ annô seculi hujus sexagesimô septimo in lucem data) gloriatur, Januam Linguæ Latinæ (nempe Jesuiticam) ex Germania advectam, annô 1617. magnis nævis laborantem: esse suo monitu à Comenio reconcinnatam, & eleganti methodo donatam: neque tamen hunc ipsum fecisse satis, quippè vulgatiora tantùm & pueris legenda afferentem; se verò, laboribus Co-

menii & Ursini usum, operam dare conatum, ut in gratiam Juvenum, Academias meditantium, totum *Rerum*, si non *Vocum*, exhauriret Oceanum. Enimverò grandi Promissor hiatu; qui tàm *Rerum* quàm *Verborum* partim Græcanicorum, & in Latio nunquam auditorum, nedum receptorum: partim Græco- & Latino- barbarorum farraginem tam densam corrasit, ut non modò à limine Januæ Latinæ, sed ab ipsis etiam Linguæ Latialis finibus, sit proscribendus. Id quod cordatus Lector facilè deprehendet; qui meliora, quæ invenerit, ea ex Janua Comeniana translata, & hanc, ex prima illa PP. nostrorum Hibernorum Janua, concinnatam digestámque meminerit. In quorum Labores (usque adeò multos Penelope hæc Procos, aut, rectiùs loquendô, Janua hæc fabros habuit) etiam Gaspar Scioppius, seu Schoppius, famosus, & à multis vapulans Grammaticus, manum injecit, dum ex Janua illa Hibernica Mercurium efformavit, primò Bilinguem, in Italia impressum, sub nomine inverso, Pascasii Gosippi; postea Quadrilinguem, seculi hujus anno trigesimo quarto Basileæ editum; unde tantos concepit spiritus, ut in Pædia sua, impressa Patavii, quam Divinarum & Humanarum Literarum nominat, Latinitatis se Mystagogum profiteatur tam felicem, ut quem nactus sit discipulum, etsi rudissimum, & qui nullum omninò

omninò verbum Latinum intelligat, unô doceat annô, quamcunque Ciceronis epistolam Marte suô interpretari; omninóque rationes certiùs & expeditiùs reddere, quàm alius queat triginta annis in Linguæ Latinæ studio & exercitio versatus. Cujus hominis impudentem jactantiam cùm Laurentius noster Forerus in Grammatico Proteo, tum ficto quidam nomine Eugenius Lavanda, in suis ad Pædiam illam Scholiis & Annotationibus, acri lixiviô perfricuit.

Cæterùm, ut redeamus ad orbitam, fama *Januæ illius Comenianæ* & *Seminarii Docemiani*, ad meas etiam pervenit aures; deinde liber ad manus. Vidi, pervolvi, consideravi, laudavi multa; nec pauca tamen erant, quæ reprehenderem. Industria visa est multùm commendabilis & labor; non item promiscua vocum, phrasium & rerum turba, quam admissam intra suam Januam, & velut animantia in Arcam Noë congregatam, ac introductam gloriatur Amosius: quas quidem inter animantes haud paucæ apparebant cornutæ, & Prisciani ferulâ mactandæ. *Janua Amosii Comenii.*

Accessit, quòd complura cùm Latinitati Castæ tum Religioni officiebant, & Publico nostræ Juventutis bono. Etenim quod Acatholici in aliis suis, ut vocant, Dictionariis, Vocabulariis, Nomenclatoribus, Lexicis, Thesauris, Farraginibus, Silvis, Phraseologiis, Cornucopiis, Polyantheis, An-

thologiis, Florilegiis, Repertoriis, &c. facere ſolent; id in hac quoque haud omiſerunt; cui, pro opere vermiculato, erronea ſua dogmata ſparſim inſeruerunt, Lectorem vel imperitum, vel incautum haud ſentientem in transverſum acturi.

Conſilium hujus Apparatus conficiendi.

Quibus ita præmiſſis, propiùs nos admoveamus ad Januam, & ſuſceptæ hujus conſilium lucubrationis explicemus, quod aliud non fuit (ſanctè affirmo) quàm religioſa parendi voluntas; cui acceſſit ſtudium ardens juvandi numeroſiſſimam Juventutem, quæ totô Orbe Catholicô in noſtris Scholis non minùs ad veram Chriſtianámque virtutem, quàm ad bonas literas à noſtris hominibus labore magnô fructúque non pœnitendô educatur; quam videbam non iis ſubſidiis abundare, quæ ſunt diſcentibus neceſſaria, ut ſinceræ hauſtus doctrinæ puris è fontibus hauriant.

Aliquamdiu mens ea inſederat, manúmque movebat & calamum; cùm, ecce, tanta quà demendi, quà addendi objecit ſeſe mihi copia, animum ut abjicerem proſequendi laboris; præſertim cùm amicorum quidam occinerent, quid actum agerem: oleum & operam perderem in Janua tot dolabris & dolabellis vexata, quæ niſi de integro exaſciaretur, nihil in ea profectum iri, præter inanem vocabulorum, eodem in cardine ſtridorem; aliam ornarem Spartam

tam: relinquerem hanc Suffarcinatis Ravisiis, Juniis, Frischlinis, Decimatoribus, Frisiis, eorúmque contribulibus, qui in morem veterum Gabaonitarum damnati essent ab Apolline ad ligna securi Grammatica cædenda, & aquas in Musarum templum comportandas: varios scilicet Lexicorum & Nomenclatórum codices congerendos & condensandos; adhæc rem esse aleæ non minùs periculosæ quàm plenam fastidii, velle in tanta vocularum multitudine, spuriæ sint, an legitimæ: cives Romanæ, an barbaræ: in dimicationem cum Sciolis, quos vocant, & Criticis descendère, aliis eas jure Latiali donantibus, aliis in ultimam Thulen proscribentibus; quibusdam amplissimos Linguæ Latinæ fines ad solas Nizolii Observationes metientibus: non paucis pro Delphico Oraculo Calepinum suum adorantibus: multis scopas intentantibus ad evertendum, quidquid Tullianam ad coticulam, tanquam ad Lydium lapidem, minùs elimatum sit, perpolitum & probatum; præterea, esse hoc Grammaticorum senticeta ingredi, quorum ariditas cùm nullâ ferè liberaliore doctrinâ irrigari queat, idem me facturum in iis fœcundandis, quod elicientes aquam è pumice.

Difficultas suscepti laboris.

Quid facerem? inter cultrum hærebam & Saxum: inter calamum & chartam: hinc absterrebat impositæ difficultas provinciæ,

vinciæ, inde urgebat demandantium auctoritas, & privatum quoque meum in rem literariam ſtudium. Hærentem in hoc bivio, magis etiam in partem omittendæ operæ trahebat prima frons Januæ, quæ Latina inſcribitur; nam quomodo nomen hoc tuebitur, cùm pleræque artium & ſcientiarum appellationes ex Græcia ſint oriundæ? quas ſi quis evitare velit, neceſſe eſt, ut vel exprimat barbarè; vel non niſi περιφραστικῶς & cum circumſcriptione. Quin aliud quoque obſtaculum ad ipſum Januæ limen objicitur. Quid enim? Plurima rebus neceſſariis ſignificandis idonea vocabula intromiſſionem non obtinent, quia capite cenſa jus Suffragii apud Quirites non habent. Etenim ſi Plinius Major, quorundam judicio, parùm Latinus eſt, quis non videt, ipſum ab his poſtibus excluſum iri? Id ſi fiat, non jam Janua, ſed oſtiolum Latinitatis aperietur. Non mea, ſed virorum doctiſſimorum vox eſt, Plinii Opus meritò poſſe Theſaurum Linguæ Latinæ appellari. Niſi enim (Vir eruditus profatur) tot rerum appellationes nobis reliquiſſet, de multis neceſſariis vitæ communis partibus Latinè loqui non poſſemus. Teſtis graviſſimus Cœlius Rhodiginus: *Absq; Plinio*, inquit, *Majore ſi eſſet, jejunam haberemus Latinitatem.* De eodem Hermolaus Barbarus: *Niſi extaret*, ait, *Plinius, actum eſſet: Tonderemus aquam omnes;*

pro-

profligata spes esset omnis Linguæ Latinæ constituendæ. Is igitur talis & tantus, si hinc excluditur, quid agemus? Et verò, præter Plinium, quàm multi stabunt foris? prensabunt aditum Suetonii, Taciti, Quintiliani, Vitruvii, Martiales, Apuleji, multiq; alii. Quid hîc atriensis à Nizolio constitutus? ne audiet quidem, aut unico certè offensus verbulô, jubebit ab ostio facessere.

Præterea, cùm nomina sine rebus sint cortices sine nucleo; quâ, quæso, ratione per has fores ingredientur, qui in tanta artium & sententiarum varietate, & quadam quasi Encyclopædia, non plus intelligunt quàm anseres in Capitolio strepentes? Ecquis ille Myrmecides, qui navim tam multiplici eruditione refertam apiculæ pinnulis abscondat? Quis fabricator Enipeus Philologiam latissimè diffusam huic Januæ velut Equi Trojani ligneis textis includat? Et quid respondendum quibúsque, artem suam profitentibus, in eáque sibi credendum unicè postulantibus? Quid, aliis alia carpentibus, & multa negligenter omissa, multa imperitè allata arguentibus? Quis causam omnibus reddet; apologiam & dicam scribet? Adde, quòd Latinarum vocum longè plurimæ à communi usu valdè remotæ aliis indigeant vocabulis, iisque à vernacula petitis, quibus explicentur. Sic nodus duplicabitur nodô, & unus Nomenclator pariet alterum; qui ut intelligantur, iterum erit

opus

opus vel digitô in rem intentô : vel penicillô in ejus adumbrationem ductô.

Elevatio difficultatis. In his angustiis constituto, & exitum quærenti, nescio, quis Apollo vellicavit aurem, & hæc advoluta Januæ Latinæ impedimenta facilè dimovenda putavit. Nam quid? ad Januam toties circumdolatam, & jure primô nostram, cur manum dubitarem admovere, qui aliquot stipendia inter Musas Humaniores meruissem? Nomenclatoribus ne terrerer, & Grammaticorum sentibus, qui longè meditarer amœniora : & si quid spinarum esset, didicissem eas calcare; & docuissem alios. Neque Aristarchos moraret, quibus tantundem possem habere fidei, quantum ipsi adhiberent mihi, pariter auctoritatibus instructos. De Plinio Majore, securum me probæ Latinitatis esse, jubere Viros mitiore literaturâ excultissimos; inter quos Schönslederus noster in Præfatione Apparatus sui : *Plinius*, inquit, *pomæria Linguæ Latinæ extendit, & ex angusto in spatia liberiora eduxit : Umbram timent, qui eum suspectæ Latinitatis arbitrantur; illô enim ævô nemo voluit, nec ausus est, barbarè scribere.* Suetonium Lipsius defendit, & Juventuti commendat, quippe pura, tersa, propria verba adferenti. De Apulejo (ut de pluribus taceam) Turnebus & Pontanus noster asserunt, Auctorem esse non malum, præsertim cùm lasciviæ ingenii non indulget, nec lu-

dum

dum sibi permittit. Et quis Columellam, Varronem, Catonem in argumento rustico non audiat, aut ex rure in forum non admittat? Quis in re architectonica Vitruvium doceat? in Medica Celsum? in coquinaria Apicium? in militari Vegetium? in Grammatica Festum, Nonium, Ausonium? At quædam vetustate rancida, incerta & obscura proferunt. Ideò habendus delectus, cùm Auctores sæpè suâ sint meliores ætate. Perinde peccant, qui ex Auctoribus Classicis rariora venantur vocabula & corradunt; quàm qui obsoletis utuntur & antiquitatis; qui ex arcula tantùm Tulliana & Liviana depromendum censent, quàm qui ex trivio colligunt. Medium tenuere beati; quod quale sit, necdum Dictatorem agnoscimus.

Atque, ut exempla agam; an ideò non licet uti voce: *ambages*; quia Cicero *circuitum* dixit? an profliganda sunt, *unanimis*, *pauperies*, *adagium*, *rebellio*, *refocillare*, *resuscitare*, *sigillare*, *decollare*, quia Tullius dicere maluit: *concors*, *paupertas*, *proverbium*, *secessio* seu *defectio*, *reficere*, *suscitare*, *obsignare* *capite plectere*? Quàm multa prolaturus fuisset, si occasio tulisset? quàm protulit multa, quæ interciderunt? In uno Scipionis somnio legimus, *extimum globum*, *stelliferum cælum*, *immobilem terram*, *lunarem cursum*, nun-

nunquam reperturi,nisi hoc fragmentum superesset ex sexto illius libro de Republ.

Monebant insuper, de vocabulis Græcis ne laborarem, aut religiosiùs ab his foribus excluderem, cùm ipse Romani eloquii parens Soritem maluerit, quàm acervalem argumentationem appellare. Latinis porrò meritò accenseri Græcanica, quæ (ut Archias, quondam Poëta Græcus) in Latio seu Latinis Scriptoribus domicilium aliquando habuissent. Quod si qui vel in Astronomicis, vel Medicis, Juridicis, Architectonicis, Historicis, vel in alio quoquam ordine offensum quid esse putarent, scirent ipsi, meum scopum non esse, de rebus ut præcipuè & per se agerem; sed ut docerem loqui Latinè. Quare si quid in his peccatum foret, id juxta Aristotelem haberetur tale, quale in Poëtis est κατὰ συμβεβηκὸς, in altera scilicet facultate, non in propria commissum, atq; adeò ignoscendum promptiùs. Posse autem illos quoque ipsos falli, qui suo tantùm pede metirentur artem, quam didicissent plures. Neque esse, quòd rerum me copia haberet sollicitum, denas Stagirei Philosophi *Categorias* considerantem, suo sinu, quidquid in disputationem cadere posset, complectentes. Neque necesse esse, minutiæ ut omnes velut in censu equestri sub oculos traducerentur; pictores potiùs imitandos, qui imaginum quasdam soleant expingere totas: aliquarum

tantùm

tantùm dimidios oſtendere vultus, aut artus pectore tenus expreſſos: aliquas etiam penitùs in umbram recondere; non omnia, quæ objecta viſui, ſubjicienda obtutui; Latinitatis campos eſſe carpendô, non tondendô obeundes.

Jam quod attinet ad eos, qui per hanc Eruditionis Januam pedem inferre, artésque & ſcientias luſtrare vellent, non ut figlinam ſimii: in ea re ſimilitudinem tabernæ inſtitoriæ attendendam, in qua aliæ aliis arrideant merces; quarum qui uſum & pretium non intelligant, velut ἐν παρόδῳ mandare oculis, & transire inemptas; vidiſſe quibus ſit ſatis; Aliis ex viſu admirationem oriri, & ex hac æſtimationem amorémque habendi: redire, conſiſtere, contemplari, licitari, emere, aut certè empturire. Multa non deſiderari, quia neſciantur: multa non æſtimari, quia luci non exponantur. Athenis olim pueros circa omnis generis officinas circumductos, ubi gradum ſtitiſſent, ibi argumentum præbuiſſe, ejus ſe artis cupiditate teneri, idem omninò in Linguæ Latinæ luſtratione contingere: ex qua qui minùs poſſent res, ſaltem referrent nomina: quæque non ſatis perciperent ipſi, conſulerent alios: pulchrúmque ducerent rebus affici pulchris, & quæ per ætatem non capiant, cupere tamen; quòd ſi ſcientiæ comparentur fontibus, unde riganda ingenia, quibusdam

dam datum esse iis aspergi, aliis tingi, aliis penitiùs imbui. Neque de sensu & significatione rariorum vocum tantoperè curandum, cùm non solitariæ, & quasi per deserta, vagentur, sed certis limitibus septæ & classibus distributæ circumscribantur; nec Lexica deesse, in quibus inquiri possint: nec indiculos defuturos, qui interprete sermone patriô notitiam faciant ignotiorum; oculis autem velle subjicere, quæ vel in conspectum non cadant: vel suis abstrusa receptaculis, aut inclusa officinis, in omnium sensus protrahi non queant, id quidem esse hominum nimis oscitanter Musas colentium: nam, feram ut capias, agitandos canes: & ut res earúmque nomenclationes percipias, cogitatione & scitatione indagandum. Ita Apollo, vel Apollines illi.

Susceptio operis hujus. Mihi interea mentem in diversa versanti denique sententia stetit, scalprum & asciam applicare Januæ, resecandô & rescindendô, quidquid in ea minùs esset factum affabrè: vel addendô, quæ ad ejus ornatum pertinerent, multiplici coagmentatione, conjunctione, insertione, commissurâ, concinnatione. Quæ dum ago, (ut dicam paucis,) ex Janua propè est facta Porta. Et quia sedulâ tum optimorum Auctorum pervolutatione: tum operosô variæ doctrinæ studiô plurima conquisivi & comparavi, quæ ad universalem ingenuæ Cognitionis eruditionem

facere

facere videbantur, placuit, abolitô Januæ nimis jam protritæ titulô, libro huic nomen *Apparatus* indere; sive hanc vocem quis ad solum gustum, sive ad ceteros sensus; mentem quoq; & intelligentiam referat; in quorum gratiam exquisitum undique, collectum, arcessitum, comportatum est, quidquid mundi hujus ambitu continetur; multùm ad eam rem adjumenti conferente tàm PP. nostrorum, quos dixi, Hibernorum, quàm Ambrosii Comenii operâ; id quod lubentes gratique profitemur.

Quem quidem laborem meum Bono Juventutis Litterariæ, cujus institutioni ætatem jam antè consecravi, ut publicum facerem, visum est iis, quorum ex judicio voluntatéque religiosè pendeo. Quòd si eruditiori cuipiam palato ista degustare placuerit, jam nunc ut hospitem benevolum humaniter invito, Januam pando, occurro, excipio, introduco, & quod apparavi, appono, rogóque, ut siquid minùs faciat ad stomochum, ei pro condimento benevolentiam aspergat suam. Sin' putârit, hîc non nisi nuces inferri & recoctam cramben, jubeo eum valere benè & abire. Ego verò destitutus hospite, omissis Januæ angustiis, exspatiabor libeTiùs, apparatioris eruditionis causâ; comitem viæ accipiam, cujuscujus insederit animo cupiditas;

Tendendi in Latium per tot discrimina Vocum;
Et Rerum; unde venit Linguæ culturaq; Menti.

Ipsum interea nominabo Desiderium, eíque, quæ præfari longum esset, per intervalla in aurem dicere, inque oculos ingerere studebo; nova spectabit & vetera, nosséque discet, & appellare; quæque Viri exquisitâ eruditione celebres, longiore visenda circuitu dederunt; ipse multùm contractô perlustrabit spatiô. Sermone utemur simplici, familiari, clarô: ut per nota explicemus ignotiora; si quæ unô videbimur prætcriisse locô, aliô commodiùs lustrabimus, ut amplum denique *Eruditionis Latinæ Apparatum* absolvamus. Hæc habui, quæ præloquerer; plura cum Desiderio meo in hac *Via Latina* collaturus, & quæ objici possent, *Crises* præoccupaturus; Itineris levandi causâ, *Proverbia* inspergemus aliáque, quæ antiquitate & eruditione commendentur. Cæterùm ita procedemus, ut, dum peregrinamur per *Latium*, non tamen peregrini in *Latio* fuisse videamur.



CAP.

Caput I.

Ingressus ad lustrandum Eruditionis Apparatum.

M*Ercurialis.* Agedum, *Desideri*, quando hic tibi est animus, téque tangit voluptas lustrandi varium Eruditionis Apparatum, capesse spiritus, & *Viam* ingredere *Latinam*; neque enim conspectui unus objiciet locus omnia; cum Ulyssê populos, mores, videbis & urbes; faciendum iter longum, ac latum, profundum, & altum; quocunque perrexerimus, memineris, nec declinandum ad dextram, nec deflectendum ad sinistram; sed rectô & mediô eundum calle; sic tutissimi incedemus. Accinctus es profectioni?

Desiderius. Sum verò. & hòc alacriùs, quòd tuus mihi ductus futurus sit pro vehiculo; meum sciendi desiderium pro viatico; & fidelis memoria pro sacculo viatorio.

Mercurialis. Sic te viaticum volo. Tu si ducem me acceperis, præcedam; si comitem, ad latus ingrediar.

Desiderius. Ducatum si præstiteris mihi, facies idem, quod, qui facem præfert per obscura gradienti.

Mercurialis. Et hoc, & alia, tuâ cupio causâ. Tu fac, animô sis præsenti; non duceris per longa Grammaticorum præcepta, viâ asperâ, confragosâ, flexosâ, & multis altercantium strepitibus impeditâ. Procedemus confidenter, nec *temerè* tamen, nec *timidè*.

Desiderius. Exemplô didici meô, quantum distent, dicere, ac ducere, ire, & pervenire. Id nunc te velim; Quid demùm sit illud, quod viri Literati *Eruditionem* nominant, & ad quam tu me perducturum polliceris?

Mercurialis. Etiam in hac re non omnium capitum idem est sensus; receptior illorum, qui *Eruditionem* appellant, quam Græci vocant πολυμαθίαν, (disciplinam multijugam, seu multorum notitiam) aut φιλολογίαν, (eloquentiæ studium) quâ qui præditus haberi velit, ei necesse sit, nosse rerum naturas, facultates, discrimina, conjunctiones, ornatus, &c. & suâ quidque appellatione signare posse; rem enim verba non invita sequuntur; quæ nisi simul conjuncta sunt, ne tu eloquentiam dixeris, sed puerilem & inanem loquendi profluentiam, *Tullió* teste.

Desiderius. Quando Ciceronis meministi, quid est, quod ille ad Quint. Frat. scribens, *ita*, inquit, *Philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus?*

Mercurialis. Adeò vir ille magnus, & Gentis Togatæ decus, in artium etiam fabrilium cognitionem sibi penetrandum putavit, ut & de illis peritè sentire, & scitè posset loqui, suâ quidlibet nomenclatione insigniendô: secùs quàm Alexander Macedo fecerat, quem in Apellis officina, nescio quid de re pictoria inscitè fabulantem, artifex ille nobilissimus, & pictorum coryphæus, tacitè monuit; ori parceret & famæ, ne mediastinis colorum tritoribus risui esset, & fabulæ.

Desiderius. Tanti est, *Philologum*, vel *Eruditum* esse?

Mercurialis. Omninò tanti. Quem quidem vocare licebit eum, qui ut Deorum ille nuntius ac interpres, (Musarum ego dixerim) talaribus indutus, per omnes circumvolat artes, &, instar apis, ubiq;

mella

mella colligit, ut voce formet linguam, & rerum intelligentiâ mentem.

Desiderius. Hîc enimverò est, quod timeam mihi, ne citiùs fiam Icarus, quàm alipes Mercurius.

Mercurialis. Macte animô, studiosa voluntas, alarum erit pro remigio; Quòd si mortalibus nobis volare non est concessum, ibimus certè, & quidem per compendia; sic tamen, ut circumducendus sis per cœli, terræq; vias, pelagusq; profundum, & imos manes: ubi, quidq; est, ostendam tibi, suóq; conabor appellare nomine: Primò describam rem totam, ut scias, quid sit; tum ejus partes, ut intelligas, quid contineat; demùm differentias, ut innotescat tibi, quot modis aliquid fit, faciat, deficiat.

Desiderius. Eja, ineamus *Viam* hanc *Latinam*, & perlustremus, quidquid vel oculis erit aspectabile, vel animo.

Mercurialis. **Ambulabimus jucunde, dum nova identidem spectacula se objicient nobis. Musæ fortunent iter, & casta Latinitas, ut ne impingamus ad illam; nec enim deerunt, qui vestigia servent euntium.**

Desiderius. **Moveo tecum pedes, oculos, mentem.**

Mercurialis. In ipso hujus profectionis cœptu, observatum abs te velim, quod facundissimus è superiore seculo Scriptor, Sigonius lib. 1. de Imp. Occid. profatur: ***Neque res omnes novas verbis posse veteribus explicari: & si id fiat, multas & quidem gravissimas, cum maximo disciplinæ publicæ detrimento non solùm non ornari, sed plerumq, etiam turpissimè*** *deformari.*

Caput II.

Prima Forma Mundi, Elementa.

MErcurialis. In exordio viæ ſumus, *Deſideri*; circumſpice, quidquid vides, ſurſum, deorſum, prorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, *Mundus* eſt, (compages è cœlo terráq; coagmentata, atq; ex iis naturis, quæ intra eam continentur) non ab æterno exiſtens, ſed in tempore à Deo Ter. Opt. Max. conditus propter hominem, homo propter Conditorem ſuum, ipſum ut agnoſcat, ei ſerviat, eúmq; amandô, finem præſtitutum conſequatur, beatitudinem ſempiternam.

Cœlum. Fornix ille ſpatioſus, expanſus ſupra nos rotundè, *Cœlum* vocatur ſeu Firmamentum, ſiderum lucens orbis; quod tametſi capaciſſimô flexu circumdet omnia, ipſum tamen ab alio longè vaſtiore complexu continetur; quod ab igne (ſeu ſplendore igneo, prout nos mortales loquimur) *Empyrium* (vulgò Empyreum) dicitur; Felicitatis futuræ beata ſedes, Divinitatis auguſtiſſima regia.

Terra, Aqua. Pavimentum hoc ſuppoſitum pedibus noſtris, & circumfluum hinc inde *Aquis, Terra* eſt: cujus utriúsque globus eſt unus, paribúsq; libratus ponderibus, pendet in medio Univerſi, ſtabilis & immobilis; comparatus ad cœleſtem illam molem punctum æſtimatur, quod inter mortales ferrô flammáq; dividitur; puncti hujus centrum ſeu meditullium, *tartarus*, inferorum carcer eſt.

At ſpatium iſtud pellucidum, quod ambit nos undiq;, & interjacet æqualiter fornici ac pavimento, *Aër.* *Aër* dicitur, tertium corpus primogenium ſeu genitale, ſine quo nec motus, nec reſpiratio eſt. Supremam *Ignis.* oram occupat *Ignis*, qui cum lunari globo, cui ſubeſt, in orbem contorquetur.

Hæc

Hæc Elementa (quatuor rerum primordia) principiô creationis producta, ex informi, tenebroso, & indigesto Chao certas in regiones sunt discreta, ut res cæteræ creatæ (vulgò creaturæ) habitare possent in illis, &, cùm intereunt, in ea resolvi.

Omnia loca plena sunt Elementis, cohærentiâ non interruptâ, cum pertuo inter se tritu, ac in diversa nisu & mixtione; quorum ex dispari copulatione, ea, quæ vocantur *Mixta*, prodeunt; unde rerum Corruptio, & nova aliarum Generatio. Inde etiam Sympathia & Antipathia; illa est amica affectio, coordinatio & habitudo quarundam rerum inter se in agendo & patiendo, qualis est magnetis & ferri, heliotropii & solis; dixeris convenientiam consensúmq; naturæ: Oppositô se modô, habet Antipathia, qualis est inter brassicam & vitem, gallum gallinaceum & leonem, aquilam & cervum, camelum & equum, elephantem & murem, rutam & serpentem, &c. *Mixta.*

Capis hæc? *Desiderius.* Quippeni? *Mercurialis.* Penè habent se principia; hinc conjecturam facio de progressu; quem ita instituemus, ut ad nova quæque capita restitaturi simus, plusculum auribus & oculis indulturi; tum procedentes, statarium illum sermonem mutabimus cum ambulatorio; sic, continuatô collocutionis filô, priora nectentur sequentibus, & tela pertexetur ad finem; quæ ne simpliciore peccet stamine, hinc inde parerga interponemus. *Desiderius.* Hac ratione Phrygium evadet opus. *Mercurialis.* Hunc laborem subtiliori relinquamus Minervæ; noster ut sit virilior, multum neglectûs habebit. Nunc ad rem; *Chaos* non idem nobis Christianâ religione imbutis significat, quod Gentibus falsa Numina colentibus, qui per illud intellexerunt materiam quandam præexisten- *Chaos.*

 tem,

tem, seu Hylen, è qua hoc Universum sit fabricatum; hinc Ovidius:

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos.

Nos edocti sacris paginis scimus Mundum, Græcis κόσμον, è nihilo (Philosophis Magnum Inane & Vacuum) creatum esse; illud Poëtæ non invitè de prima ejus inchoatione permittentes:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus;
Hanc Deus, & melior litem Natura diremit,
Nam cœlo terras, & terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum,
Quæ postquam evolvit, cæcóque exemit acervo,
Dissociata locis, concordi pace ligavit.

Desiderius. Miror, homini gentili in Cimmeriâ nocte tantum veritatis radium obortum fuisse. *Mercurialis.* Et ipse & alii illis tenebris obscurati plurima de origine, fabricatione, & ornatu Mundi, cæterísq; fidei nostræ mysteriis descripserunt è libris Mosaicis, aut descripta legerunt. *Desiderius.* Hoc mihi gratum est intelligere.

Virgilius. *Mercurialis.* Nunc mecum perge *ad Campos illos liquentes,*
Lucentémq; globum Lunæ, Titaniáq; astra.

Desiderius. Cur Titania? *Mercurialis*, placet ingenua interrogatio; hanc tu fidenter intersere, quoties dubitatio tuum incertabit † animum. Quærenti respondeo, Poëtis Titanem pro Sole accipi, à quo cùm cætera sidera lumen capiant mutuatitium, †quidni sint Titania? *Desiderius.* Ergo & Poëtæ philosophantur? *Mercurialis.* Vel maximè. Scientiæ namque inter se connexæ sunt, ut annuli in torque, quam ut Sapientia collo appendat tuo, omnes tibi perlustrandæ

† Plautus.

† Gellius.

strandæ sunt artes atq; pernoscendæ. *Desiderius.* Tuo me ductui credidi; Tu ad notitiam hanc comparandam viam præi. *Mercurialis.* præibo. inter adagia est: *Chaô antiquiora.*

Caput III.

Æther cum Astris.

Suspice æthera! ecce tibi sidera, radiis suis tenebras illuminantia, aut rectiùs pellentia; calore calefacientia & colliquantia, perennique suô statóq; cursu dimetientia nobis tempora.

Sol est fulgentissimus inter illa, lucis origo nostræ, facit enim præsentiâ suâ diem, absentiâ noctem. Ante ejus exortum præcedit aurora, & tum dicitur summum manè, crepusculum matutinum, tempus antelucanum vel sublucanum, móxq; diescit. Cùm lucescit, vocamus diluculum; deinde tempus antemeridianum usque ad meridiem; post hunc, tempus de meridie, seu pomeridianum; inde dies inclinatur, fit vesper vel vespera seu vesperus, hoc est, vesperascit. Post occasum Solis lux est dubia, crepera seu crepusculum vespertinum, sera & suprema seu extrema dies aut tempestas. Postea noctescit ac contenebrat, & fax est prima; deinde concubium, & hinc mox adulta, intempesta, multa, silens; exinde media; post quam gallicinium; *quando galli gallinacei canere incipiunt,* & conticinium, *quando iterum tacent;* sequitur tempus, quod suprà antelucanum diximus. *Sol mensor temporum. Partes diei & noctis.*

Idem Sol suâ conversione ad nos accedendô, & à nobis recedendô constituit quadrinas † temporum vices, facítque Ver, annali ad nos appropinquatione: Autumnum verò recessione; cùm fertur summus, solstitium efficit, & Æstatem atq; Æstum; *Quatuor partes anni.* *† Plinius.*

Brumam verò, cùm imus est, orditúrque hyemem & gelu.

Minutior temporis partitio.

A Sole igitur exoritur primariò temporum dimensio: quia circuitus ejus, *quem conficit ab oriente ad occidentem circumgirandô,* facit *diem naturalem,* qui dividitur in viginti quatuor horas: *hora* in quatuor quadrantes seu sexaginta minuta: septem dies dant *hebdomadem* (hebdomadam vel septimanam) harum quatuor faciunt *mensem*: duodecim menses constituunt *annum*; annus habet hebdomadas quinquaginta duas, dies trecentos sexaginta quinque, cum sex ferè horis: horas autem octies mille septingentas, sexaginta sex: horæ quadrantes sexaginta quatuor supra trigesies & quinquies mille: minuta quingenties mille, vicies quinquies mille, nongenta, sexaginta; Centum anni efficiunt *seculum*; *momentum* est punctum temporis, quale in brevissimo oculi se se claudentis vel aperientis motu cernitur.

Lunæ mutationes.

Luna, vicaria absentis Solis, splendet non suô, sed illius transmissô Lumine: à quo irradiata semper mediâ sui parte, non semper obvertit illuminatam illam faciem nobis habitatoribus terræ: ideò dum ab illo divagatur, paret nobis jam crescens, jam decrescens, jam plena, jam gibbosa; jam dividua seu dimidiata, jam falcata seu corniculata, jam nulla; facítq; noctem jam illustrem, jam sublustrem, jam illunem seu lunari splendore viduatam.

Planetæ seu Stellæ Erraticæ.

Præter hæc duo luminaria, vise nocte serenâ (seu stellante cœlô) triplices Stellas. Primùm *Erraticas* seu *Errantes*, aut *Errones* quinque (*Planetas* vocitant ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι seu errare, à vario cùm inter se, tum inter Fixas congressu, digressúque: non, quòd vagô incertóq; motu oberrent, qui etiam, *Tulliô* teste, lib. 1. de Divin. certô lapsu spatióq; feruntur) variantes motum & distantiam, tam à se invicem, quàm à no-

à nobis; Saturnum pallidum, Jovem splendidum, Martem rutilantem, Mercurium multùm radiantem, Venerémq; venustam, quæ Solem antecedens, & manè coruscans (mensibus novem) cognominatur Lucifer seu Phosphorus; Solem autem insequens, & vesperi (vel vespere) collucens, (totidem menses) Vesperugo vel Hesperus.

Dehinc Stellas *Fixas*, (hoc est, immotas distantiis inter se) sparsas per totam æthream sphæram, quas internosces à Planetis, scintillatione; illæ námque scintillant, isti non item; præterquam quòd etiam à Venere & Mercurio tremulum jubar emicat. *Stellæ Fixæ.*

Sunt & exiles stellulæ, sine conspicillis haud conspicuæ, quæ circa se spargunt splendorem duntaxat, ut videre est in albido illo circo (seu congerie) porrecto per medium stellati cœli, quem vocant *Viam Lacteam*, seu *Galaxiam*; Poëtæ fabulantur, esse viam lacte Junonis candidatam, & iter ad Jovem. *Via Lactea.*

Stellæ tertii generis sunt extraordinariæ, rarissimè apparentes, crinitæ aut barbatæ vel caudatæ; nuncupamus *Cometas*, qui num recenter creentur, an è materia educantur; an è fumosis & siccis exhalationibus; an plurium Stellarum concursu efficiantur; an in aëria aut potiùs cœlesti regione, motúve propriô an alienô circumferantur, id quidem incertum est. Satis hoc certum semper aliquid luculentum per illos significari, sive tanquam per signa naturalia, sive ex institutione divina. Nos de Astris plura suô locô. Nunc in transitu hoc mihi, velim, ænigma expliçes, miscebimus enim & Utile Dulci, & Dulce Utili. *Cometæ.*

Est unus genitor, cujus sunt pignora bis sex,
His quoque triginta natæ, sed dispare formâ,
Aspectu hinc niveæ, nigris sunt vultibus inde,
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Auctor quæstionis est Cleobúle, Cleobúli Lindii, unius è septem Sapientibus, filia. *Desiderius.* Non opus hîc est natatore Deliô. Pater est, Annus; Pignora, XII. Menses; horum Filiæ XXX. Candidæ, Dies: atræ, Noctes. Sunt immortales, nunquam cessante earum successione, etsi quotidiè moriantur occidendô. *Mercurialis* Doctè. Hinc digredientes accedamus ad Ignem. *Desiderius* Nunquid & Astra † sunt ignea? *Mercurialis* Philosophi certant: & adhuc sub Judice lis est; negante *Aristotele*.

† De Stellis. plura cap. 66.

Caput IV.

Ignis cum igneis impressionibus.

Meteorum. METeórum Latinè significat sublime ac suspensum, scilicet in aëre, Græcis phasma, id est, apparens, cùm id, quod videtur esse, magnam partem non sit: est mixtum imperfectum ex elementis: ortum & conflatum è vapore aut halitu, magis minúsve crasso, calido, &c. Et quia contuiti sumus Sidereos illos (ut Poëticè loquar) ignes; esset jam, quod dicerem de Ætherio illo igne, qui Lunæ globo subjectus, purus, inextinguibilis, nulli alteri composito commixtus est, semper vigens, nec pabulô indigens, nec urens, ac luce carens. Sed quia ad alia properamus, nostrum jam consideremus ignem, quem Elementarem appellant Philosophi; nos Igneum Elementum vocemus, qui alitur pinguitudine rerum, quâ absumptâ, extinguitur: fovet calore suô propinqua, urit ardore proxima.

Ignea & ignita. Quidquid aret, id perfacilè ardescit, & mox glíscit, tum flammat, ac, si perflatur, flagrat; crematúmq; redigitur in favillas & cineres, (cinescit.) Quod autem humet, (multò autem magis quod madet) id in ustione fumat, fumigat, crepitat, scintillas deje-

dejectat & igniculos; sed hi etiam percussu chalybis è silice eliduntur, & à fomite excipiuntur in suscitabulo, unde accenditur sulphuratum, & per hoc candela vel lignum. Perexigua quippe scintillula facilè corripit, si in stramentitium aut stupeum quid, aut alias flammescere idoneum incidit. Sed tu incendium ut restinguas, comprime flammam confestim, vel affunde aquam, vel disjice fomitem; secùs, latè grassabitur. Atque ut pastu fovetur aridô, ita penuriâ alimenti deficit, aut oppressus suffocatur ac sopitur. Gignitur variè, nempe motu, corporum attritu, solarium radiorum reflexu, &c.

Flamma est fumus ardens: qui adhærens fumario, spissatúsque, dicitur fulígo, abradenda sæpius, ne ignescat.

Ignitum lignum, vocabis *torrem*; extinctum, *titionem*; hujus autem particulam, *carbonem*; qui, si etiamnum candet, *pruna* est.

Res torrefactæ æstu emittunt exhalationes, & evaporationes siccas, quæ in aërem sublatæ (sublimatæ *Ennio*,) ibíque per antiperistasin (cùm calor & frigus se mutuò circumsistunt, séq; obsidendô comprimunt) accensæ excitant meteóra ignea, seu spectra subitò disparentia, ut sunt *stellæ cadentes, dracones volantes, capræ saltantes, lanceæ, ignes fatui* & lambentes; item *fulgétra* coruscationes, *chasmata* aut cavmata seu hiatus, cùm densæ, viscosæ, & glutinosæ exspirationes partim inflammantur, partim in obscuritatem cavo similem dehiscunt, variè mobiles. Quidam his etiam Cometas adnumerant, sed nos de iis suprà meminimus; alii quædam ex his inter aëria ponunt. *Meteóra ignea.*

Cùm verò halitus isti post incensionem colliduntur intra nubes, ciéntq; *fulgura* & *tonitrua* cum terribili

ribili fragore, tum fulgurat, tonat, fulminat, ut attoniti expavescamus.

Evibrata inde flamma dicitur *fulmen*, quod, violenter erumpens è nubibus, se momentô dissipat, & quidquid eô icitur, desubitò penetratur, discutitur, concidit, quandóq, & amburitur, vel penitùs comburitur.

Fulguratio seu coruscatio ostendit ignem, fulminatio emittit: illa est comminatio, seu conamen sine ictu; ista jaculatio feriens, nubémque cum sonitu, strepitu, crepitu perfringens & dirumpens.

Fulminum genera. Fulminum tria sunt genera; unum res terebrat & perforat; alterum disjicit & dissipat: tertium urit & ignium notas ictis à se rebus inhærentes relinquit. Brutum dicitur, quod innoxium, vanum, & irritum est. Locus, fulmine tactus, *Festo* dicitur fulgurítus.

Cæterùm, juxta Philosophos, *potest aliquid uri, non tamen ardere* quod sic explicandum est: Potest aliquid fulmine afflari, & ustionis notam recipere, non ideò tamen flamma in eo excitari. *Aut combustum esse, quod non sit accensum*, intellige, posse esse aliquid in cineres redactum; quod non sit inflammatum, seu non eruperit in ignem, ut in rebus fulminatis accidit. *Ardere tamen nihil potest, quod non uratur.* puta, lege naturæ; nam flamma producit calorem, calor urit. *Etsi accensum aliquid esse nequeat, quod non est combustum;* quod enim accensum est, ignitum est, quod ignitum, vim habet comburendi. *Desiderius.* Solvisti ænigma. *Mercurialis.* Proposui hoc erotéma Physiologicum, ut ingenio tuo pastum objicerem. Inter cætera, quibus eruditio ex igne illustratur, non nescis, à Promotheo, applicatâ ad Solis rotam ferulâ, ignem subductum, hominíque à se ficto pro animo additum: inde Pandóræ pyxidem,

dem, inde malorum omnium cohortem terris incumbentem. Nec ignoras Salmonei pœnas, Olympi ſonitus, & non imitabile fulmen æmulantis. *Deſiderius.* Ex fabulis hæc memini *Mercurialis.* In adagium tranſierunt hæc: *feriunt ſummos fulmina montes. de fumo in flammam. vendere fumos. patriæ fumus alienô igne luculentior, fumum fugiens in ignem incidit. titio ad flammam, ignem gladio ne fodias.* Symbolum eſt Pythagoræ: *ignem igni ne addas,* hoc eſt, iratum ne ſtimules. Et quæ ſunt horum ſimilia, longè plurima. Nunc luſtremus Æoliam.

CAPUT V.

Aër cum ventis, & apparitionibus aëreis.

NAtura ſpirabilis, quam etiam æthram dicimus, nos ad ſe vocat, quæ eſt regnum ventorum, in quo latè vires ſuas effundunt.

Meteorologici dividunt *aërem* in tres tractus, (regiones, interſtitia, collimitia) quorum infimus nos ambit, porrigitúrque, quà radiorum Solis repercuſſu non incaleſcit; in quo vagatur & victitat, quidquid auram ducit. *Aëris regiones.*

Supremus initium capit, ubi montes altiſſimi finiuntur, quô nulli aſſurgunt venti, contiguus ſphæræ igneæ. Medius & inter utrúmq; interfuſus, propter utriúsque Extremi (frigidi & calidi) Contrarium (Græcè antiperiſtaſin, ut paulò antè memini) obtinetur à frigore, nivium & grandinum patria.

Aër agitatur perpetim ob tenuitatem, mobilitatémque inſitam, idq; valdè utiliter ob vegetationem rerum, pellucidus, radios ſolares temperans, ubíq; ſe ingerens. Ejus ſtatus & flatus ſunt diverſi: ſi caleſcit, tum rareſcit, & dilatat ſe extra ſe: quum frigeſcit, *Aëris natura.*

geſcit, tum ſpiſſeſcit, & contorquet ſe intra ſe: neſcit etiam quietus ſtare, etſi videatur; commotior flat, nunc leniùs, nunc vehementiùs; flabellô ventilatur: difflatus oris anguſti motu, refrigerat: emiſſus diductô, calefacit: concluſus, craſſeſcit, & putreſcit, idem ob periculum (metum) vacui facit, ut aſcendant gravia.

& ventorum, Lenis aura (ventulus) ſpirans refocillat nos: impetuoſa & rapida procella res quatit, percellit, proſternit. *Turbo* (typhon, vortex) circumagens ſe in gyrum turbat omnia, donec miteſcat & quieſcat. Non minùs *Ecnephias* & *Præſter* vaſtô impetu omnia proruunt, ſecum involventes & rotantes leviùs obſtantia.

A nautis venti numerantur duo ſupra triginta, cùm *Finitorem* (Horizontem) in totidem diſtribuant partes; nobis ſatis, præcipuos ſcire. A diverſis mundi cardinibus flantes (cardinales dicuntur) quatuor celebrantur principes, quorum quilibet duos ſtipatores ſeu adminiſtros habet, (Vitruvio *medianos*; vulgò collaterales vocant) ut in ſubjecto ſchemate vides.

Ventorum ſedes atq; oppoſitio.



Boreas

Boreas & *Eurus* asperant, adstringunt, gelant: *Auster* & *Favonius* remolliunt, resolvunt, regelant: *Etesiæ* flant statis temporibus anni; sic dicti, quòd eodem anni tempore redeant flatu salutari, & idoneô ad celerandos cursus maritimos, atque dirigendos.

Aër explet etiam subterraneas cavernas, cujus flamina ibi concitata, dum erumpere quærunt, tremefaciunt terram, perrumpunt, conquassant, subvertunt, scindunt, perforant, impellunt, deprimunt, elevant. Unde *Terræ motus*, quam cùm deside- *Terræmotus.* re cogunt & discedere, fiunt labes, hiatus, vorago, ruina. Est autem triplex motuum forma. *Succussio*, cùm tellus quassata sursum ac deorsum movetur. *Inclinatio*, quâ ceu navigium in latera nutat, unde ruunt ædificia & montes; amnes in alium contorquentur cursum; lacus, stagna, urbes absorbentur, ignes eructantur, &c. *Tremor* est, quô terra in se ipsa vibratur. Motum Terræ sæpe comitatur sonus, ísque varius pro varietate allisionis halituum. Nam si ex amplis meatibus prorumpunt, fiunt sonitus magni; si ex angustis, tenues; si ex recurvis & variô flexu impeditis, terribiles & varii; si ex lævibus, clari; si ex humidis, rauci, &c. Cadunt etiam flamina, remittunt, franguntur, increbescunt, reflant, ponunt seu quiescunt. Atque ut prænoscas tempestatem, primò fremunt ventosa flabra, ac murmura volutant cæca, tum paulatim surgunt violentiùs, & stridore increbescunt, sed fractô tamen; mox apertiùs tumultuantur, & inter se confligunt; jámque horrendùm mugiunt, remugiunt, reboant, turbine terras perflant, sæviunt, perfurunt, debacchantur, sternunt, evertunt, & obvia secum per auras verrunt. *Desiderius*, Terra con-

concussio in mentem mihi revocat terribilem illum gigantem Enceladum, qui, in oppugnatione cœli, dejectus fulmine, & sub Ætnam detrusus, quoties mutat latus, insulam fundô vertit, ut dubiæ nutent cum mœnibus urbes. *Mercurialis.* Idem de Typhone seu Typhóeo fabulantur Poëtæ. Ad ventos quod attinet, incerta est de illis philosophatio: Psaltes regius, eos è Dei thesauris produci, canit, hoc est, locis clausis & occultis, ubi imperiô premuntur divinô, vinclisq; & carcere frænantur. *Desiderius.* Hîc mihi se Neptunus objicit, qui Æolios fratres magnô miscentes murmure pontum, minaciter increpitans, ait:

Quos ego; sed motos præstat componere fluctus,
Pòst mihi non simili pœná commissa luetis.

Mercurialis. Opportunè. Visamus arva Neptunia; & inter proverbia annotemus: *perculit Austrum. Floribus Austrum immittere.* i. e. rem noxiam.

Caput VI.

Aqua cum aqueis meteóris.

Aquarum diversa nomina.

Aqua scatúrit è latice, salit è fonte, manat per rimas, fluit in plano: cujus minima pars *gutta*; maxima *mare* dicitur: sed tota illius vastitas, universam circumiens terram, *Oceanus* appellatur.

Fons est aqua è terra scaturiens: fontes salsi dicuntur *salinæ*; acidi *acidulæ*; calidi *thermæ*: illæ asserviunt decoquendo sali; istæ potioni medicabili; hæ lavationi morbidorum.

Rivi emanant è scatebris, decurrentes per longitudinem depressam confluunt in fluvios; tum in flumina; pleraq; ex mari ortum habentia, intráq; suas ripas & alveos decurrentia perenniter; quorum origo

origo *caput* dicitur, *ostia* verò & *fauces*, ubi undas in mare emittunt; errant & deflectunt per diverticula; diffluunt & diffundunt se per divortia; aliquando conduntur cuniculis, iterumq; emergunt; præcipitantur ex alto.

Amnis verò & fluvius huc illuc circumfluus: *Torrens*, fluvius collectus & corrivatus ex aquis pluvialibus, aut relegatis & resolutis nivibus, rapidè defluentibus, ideoque non perpetuus, sed æstate siccatur: *Eluvio*, fluvius exundans è suis alveis, & devastans agros. *Confluentes*, sunt fluminum commissio.

Fluentum nuncupabis, ubi aqua fluit: *verticem* & gurgitem, ubi giratur: *voraginem*, ubi seipsam absorbet, ut charybdis in mari Siculo: *abyssum* ubi expers fundi est: *syrtes*, ubi inæquale, ob nimiam hinc profunditatem, inde brevitatem: *Brevia*, ubi loca vadosa, ob arenarum cumulos: Aqua sicubi destituitur profluviô ac decursu, ibi tumet ac se diffundit in *stagna* & *lacus* perpetuos; *Paludes*, sunt scaturigines languidæ, resides, sine fluxu, quasi mortuæ; *lacunæ*, confluvium limi; *colluviarium* purgamentorum & colluviei receptaculum; *lixivium*, aqua cineribus percolata; *Alluvio* vel alluvies, quod fundo accessionem à fluvio præbet. *Piscina*, fossa aquæ fovendis piscibus opportuna.

Mare (cujus profundum propriè pelagus dicitur) salsum est instar muriæ, ob exhalationum adustarum multitudinem, unde *Salum* dicitur. Cujus undæ intumescunt bis de die, naturali æstuatione, (affluxu & refluxu, accessu & recessu) affluúntque ad littora, & diffundunt se in æstuaria, refluúntque se reciprocè cum sonitu horribili, maximè inter freta, ubi mare unum in a terum se exonerat; agit fluctus decumanos & inferos, (è fundo Mare.

 exci-

excitatos) præſertim alliſum ad ſcopulos & ſaxa, qualis eſt Scylla Sicania.

Idem mare, ubi inæqualiter tellurem terminat, efficit ſinum aut *promontorium*, ſeu montem in mare prominentem. *Sinus* eſt pars maris curvô littore intercepta, Italis *golfo*, ex Græco κόλπ☉; ubi circumluit undique terram, *Inſulam*; ubi majori parte, *Peninſulam* facit: quam *iſthmus* (arcta terra inter duo maria) jungit *continenti*, (quæ dicitur Terra firma, Græcis Epirus) arctatus inter anguſtias terræ. *Portus* eſt parvus ſinus, tantum aquæ, brachiis quaſi complectens & recipiens, quantum ſatis eſt pro ſtatione navium. *Littus* pars terræ, quæ undis tangitur.

Varia aquæ emiſſio. Atque ut varia eſt aquæ fluxio, ita diverſa emiſſio receptióque. Et puteo (anguſto & profundè effoſſo alveo) ſurſum trahitur tollenone aut ductariâ per rechamum (trochleam) catenâ; putei operculum eſt puteal: os verò, crepido, labrum, margo. Salit lympha ex ſiphonibus in cratérem; funditur per canales, fiſtulas, tubos, tubulos: labitur per alveum: colligitur in ciſternis: emittitur ſiſtiturque per obturamenta, emiſſaria, cataractas, nilos: erivatur & derivatur per elices, ſulcos, colliquias, deliquias: ex caſtellis, ad varios anfractus & euripos per uncias, digitos, modulos, diverſis epiſtomiis dividitur: hauritur urnis & ſitulis: deducitur per aquagia: (aquæductus) reſtagnat eluviis, diluviis, cataclyſmis: piſcinis & foſſis clauditur: aqualibus & hydriis portatur: tympanis, antliis, & machinis hauſtoriis attrahitur, redditúrque: continetur crepidine, ripâ, &c.

Eſt autem aqua *pluvialis* ſeu pluviatilis ac pluvia, collecta in ciſternis. Eſt *viva*, jugis perennis, nunquam

quam deficiens. Est *stagnans* & reses in stagnis. *Puteana* (putealis) in puteis. *Fontana*, saliens, caduca in fontibus. *Palustris, lacustris, nivalis, glacialis, fluvialis, roralis.*

Vapores aquosi sursum feruntur: quibus cùm aër crassescit, dicitur nubilare. Nubilum verò seu caligo spissata prope terram, *nebula* est, unde rorat; sublevata altiùs, *nubes*; (nubes est vapor in media aëris regione spissatus & addensatus) quæ cùm resolvitur & decidit, pluit, ningit, grandinat: nullibi conspicua, fudum facit. *Meteora aquea.*

Evaporatio excitata interdiu, conspissatáque frigedine nocturnâ, & adhærescens herbis, dat *rorem*: quem mellitum, vocant *manna*: gelascentem, *pruinam*: elevatior autem vaporatio, & concreta majori frigore in spumescentes guttulas seu floccos, dat *nivem*.

Destillatio nubis resolutæ in aquam si fit minutatim, dicitur *roratio*: si lentè, *pluvia*: si densè, *imber*: si impetuosè, *nimbus*: si guttæ inter delabendum conglaciantur, *grando*; si incalescunt, *uredo*, adurens plantas rubigine.

Gutta stillans è pluvia, *stilla est*; quæ decidens in aquam facit *bullam*: conglobatio bullarum minutissimarum, *spumam*: sed cùm stillatio rigescit, fiunt *stiriæ*: cùm aqua congelascit & induratur, (standô vel fluendô) *glacies*. *Substillum* est, quando stillis raris jam jam ventura pluvia significatur; *stillicidium*, cùm stillatim guttæ cadunt de tecto.

Circulus in roscida nube albicans, vocatur *halo*, (fulgor scilicet rotundus, circumnectens sidus aliquod, ob irradiationem ipsius per nubes transmissam;) Solare simulacrum seu imago, quam nubes ad latus Solis repræsentat, *parelius* vel *parelium* dicitur: Lunare, *paraseléne*: *Iris* est versi-

color arcus in nube rorida & cava ex reflexu radiorum Solis oppositi: cujus pallor index est venientis pluviæ: claritudo & serenitas abeuntis. *Desiderius.* Unde sapor, odor, color aquarum trahitur? *Mercurialis.* Ex terris, per quas labuntur; quæ per glareosam, dulces fiunt: per aluminosam, aluminosæ: per bituminosam & sulphuratam, bituminosæ, sulphuratæ, calidæ; quæ per lapidosam, frigidæ. Mira naturæ prodigia sunt in fontibus: Poti boves è Clitumno candorem ducunt, oves è Penio nigrorem: è Xantho ruborem & purpuram. Crathis capillos electro, Sybaris auro assimilat. Clitorius vini tædium affert, & pravas cupidines extinguit; Asphaltites, Judææ lacus, nihil demergi finit: In quodam Epiri fonte faces extinguuntur accensæ, accenduntur extinctæ; Hypanis initiô dulcis, postea amarus fluit. Salmacis bibentes effœminat. In Troglodytis fons Solis circa meridiem friget, vesperi tepescit, mediâ nocte fervescit. In Bœotia duorum fontium alter memoriam adfert, alter oblivionem. *Desiderius.* Incredibilia sunt, quæ narras. *Mercurialis.* Ex Historicis attuli. A liquidis ad solidiora procedamus. In adagiis sunt: *hæret aqua; aspersisti aquam; aquam in mortario tundis; tam in proclivi, quàm imber; stilla cavat lapidem; à fonte arcessere, &c.* Notum è veteri historia, Sinetam, hominem paganum, Regi Artaxerxi aquam è Cyro flumine manibus cavis obtulisse, eámque pro magno munere phialâ aureâ exceptam fuisse. *Ælian.*

Caput VII.
Terra cum Fossilibus, vulgò Mineralibus.

RE spice nunc Terram; quàm habet hîc quidem vastas *Planities,* (spatiosa æquora campi) ibi tumulos & eminentes *colles*: alibi *fragosa* loca, imò & altos *montes*, profundásque *valles*: arduas & abruptas *rupes* & petras, præcipitésque hiatus: hîc herbidos *cespites*, ibi arida *glabreta*: alibi udas *uligines*, humorem perpetuo eliquantes, & quàm sit hîc argillosa & cretosa; alibi arenosa; alibi saxosa, salebrosa; calculosa, fistulosa, situ senta. Quòd si tellus excavata sit altiùs, *fossa* dicitur: si breviùs, *scrobs*: si oppidò profunda, *vorago*, barathrum, abyssus. Angustias viarum inter montes (mons est tumor terræ altissimus, ab eminendo sic dictus) *fauces*, pylas, claustra appella. *Montis* verò partes sunt jugum seu cacumen, vertex, supercilium; latus ejus, dorsum, seu clivus aut collis: radix pes; grumus est terræ cutis & tuber: *Vena* tractus est subterraneus, qui metalla continet: *Intervenium* spatium inter venas medium, quibus transversè incumbunt fibræ. *Planities*, montibus inclusa; vallem facit, (unde vallecula, sicut monticulus) si circum circa collibus vallata, convallem. Montem ascensu facilem acclivitas facit, descensu declivitas, (unde acclivis, us, declivis, devexus) præceps, si in utróq; difficilis, ibíq; præcipitium. *Campus* est terræ planities ampla. *Silva* locus arboribus sponte nascentibus frequens; *lucus* servat arbores sacras; *nemus* voluptati servit; *saltus* incultus & pascendis pecoribus opportunus; *arbustum* paucis stirpibus consitum; *virgulta* virgis; *dumetum* du-

Diversa nomina terræ, & distributiones.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dumis; & hæc naturalia sunt Terræ; *Arrefacta verò*: *Regio*, pars terræ regi subjecta: Regnum, quod regitur à Rege vel Domino: *Territorium*, spatium certi Dominii; *Provincia*, regio bellô acquisita; *Urbs* pars territorii locus muris cinctus: *Civitas* multitudo civium; minores urbes, *oppida* dicuntur. *Castellum* parvus vicus, muris circumdatus; *arx*, munitio, dicta ab arcendo; *emporium*, urbs seu oppidum nundinarium; *vicus* est complexus unius & alterius villæ, si sit extra urbem; intra oppidum est via, domorum seriem comprehendens. *Pagus* aggregatio domorum rusticanarum, nullis mœnibus clausarum. *Villa* domus extra urbem. *Tugurium* rustica habitatio, tectum ulvâ palustri.

Interiora si daretur intueri, videres plenam meatuum & specuum, ubi lustra, cryptæ, cuniculi, antra, foveæ, hypogæa, cavernæ; & harum spiramenta, (spiracula) quæ *crateres* dicuntur, quos vaporationes perflant, & fluores perfluunt; è quibus diversimodè concrescentibus generantur fossilia, (vulgò mineræ.)

Glebam si teris aut frias, *pulvis* erit: si diluis, *lutum*: sed turbida aqua deponit *limum*: pedibus calcata *cænum*.

Locus, ubi lapides exciduntur, *latomia*, (latumia, lapicidina) ubi aliquid effoditur, *fodina*; unde aurifodina, argentifodina, æraria, nitraria, sulphuraria; cotoria, ubi cotes, &c.

Argilla est terra tenax, figlinis apta, quemadmodum terra Samia, coloris albi. Pigmentis conveniunt creta candida: ochra, flava seu lutea; ad quam accedunt terra Armena, vulgò bolus Armenus, & terra Alána. Ex ochra exusta fit rubríca diversi coloris. Terra Cimolia fullonum est, pro

sapone

sapone serviens. Terra Lemnia vulgò sigillata, in usu medicinæ valet. Quæ omnes fossilium (vulgò mineralium) inceptio sunt, quorum tria genera: succus, metallum, lapis. Imò & vitrum, fissili de lapide.

Intellextin' hæc? *Desiderius.* Omnino. *Mercurialis.* Eamus hinc ad varios Telluris partus inspiciendos. In itu quid memoras, aut dubitas? *Desiderius.* Antæus mihi in mentem venit, terræ filius, (quo nomine vilissimi quique homunciones appellari solent) qui, cum Hercule luctatus, quoties prostratu, terram contigit, novas vires & robur è terra (& sua, & omnium matre) accepit, donec, ab Alcide sublimis è humo sustentus, brachiorum complexu elisus est. *Mercurialis.* Hieroglyphicum hoc est luctæ, rationem inter & appetitionem sensuum. Mihi occurrit Brutus ille Junius, qui Imperium Romæ obtinuit, quod ex Oraculi responso primus juvenum tum præsentium osculum matri, hoc est, Telluri tulerit. Proverbiis adnumera: *Aureos montes polliceri. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

Caput VIII.

Succi fossiles.

HI succi generantur variæ formæ & usûs, cùm liquor ille coalescit perlevi immutatione, aut alteratione. †

† *Ovidius.*

Succi liquabiles. Alii sunt liquabiles aquâ: nempe omnis salsugo dissiliens in igne, & crepitans, ut *sal* communis, ubique notus, sive fossitius, sive decoctus: *Alumen,* dulcore adstrictoriò: *calcanthum,* (vulgò vitriolum) acóre adstringente: *nitrum* subacidum, aliàs sal nitri, & quando concrevit, *sal petræ* seu halonitrum

trum, unde pulvis tormentarius; *chrysocolla*, gluten auri.

Succi inflammabiles. Alii sunt inflammabiles igne: scilicet quælibet pinguedo Terræ, tam concreta, quàm liquida: ut est *sulphur* (vel sulfur) concipiens ignem celerrimè: & *naphtha* (quibusdam petroleum, quod è saxis effluat) etiam ex remoto flammam corripiens: & *succinum* (*electrum*) tralucidum, trahens ad se paleas, pilos, festucas; quod non est lacrima vel resína arborum, ut veteres credebant, sed bituminosum maris purgamentum, in littoribus Borussiæ maximè collectum, aut è mari extractum. Id cùm durescit, ut poliri queat, gagátes dicitur, Plinio gemma Samothracia: Ambra est fragrantissima: & alia bituminis genera.

Succi friabiles. Alii friabiles in pulverem, adhibendi in pigmenta: *arsenicum* albens, *auripigmentum* luteum: *sandyx*, *sandárache* (vel sandáraca) & *cinnabaris* rubicunda, *stibiúmque* (vulgò antimonium) plumbeô colore nitidum.

Pleraque horum non tantùm à genio Terræ sunt nativa, sed & ab ingenio hominum factitia; De succino bellè ludit Epigrammatarius, quando apem Phaëtontide guttâ clausam, & viperam, concreto de flentium Heliadum ramis rore tumulatam cecinit. *Desiderius.* Cujus sunt arboris rami illi? *Mercurialis.* Populi, nam in hanc mutatæ fuerunt Phaëtontis sorores, in acerbo illo casu, delacrimantes pellucidum & tenacem succum, quem diximus appellari succinum. *Desiderius.* Pretiosæ lacrimæ. *Mercurialis.* Descendamus eò, ubi effodiuntur opes, irritamenta malorum. Nota; *lucidius electrô.*

CAPUT

CAPUT IX.

Metalla.

QUando fossitius humor, seu halitus humidus lapidibus potissimum conclusus & percolatus multifariàm, conduratur à Sole in tantam soliditatem, ut non liquescat, nisi acerrimô igne, mox tamen rursum consistat; consit inde *metallum*, flexile ac ductile.

Plumbum est crudissimum, è quo paratur minium pro picturis: & cerussa pro emplastris: & *lithargyrum* (argenti spuma) pro incrustatione fictilium. *Plumbagine* scribimus. *Plumbum.*

Stannum est excoctius, & paullò durius: *Ferrum* durissimum, arroditur tamen ferrugine: sed quando depurgatur, magísque etiam eduratur, fit *chalybs*, nucleus & acies ferri. *Stannum. Ferrum.*

Cyprium æs, seu *Cuprum* obducitur ærugine: cadmiæ fossili, (nam alia est, quæ adhæret fornacibus, unde fornacaria; *pompholyx* autem æris favilla) commixtum fit *orichalcum* seu æs coronarium, fundi, quàm tundi aptius, ob suam friabilitatem, aurichalcum Latinè non dicitur. *Cuprum.*

Æs Caldarium seu Fusile, tantùm est malleis fragile: Ductile verò, etiam in laminas attenuatur. Optimum Campanum, & Corinthium. *Æris flos*, quem etiam æruginem dicunt, sponte excidit ab ære: *squama* marculorum ictibus excutitur. *Æs Caldaurum.*

Argentum est purius istis: habet nihilominus suas *scorias*, fæces, detrimenta, retrimenta, Græcè *helcysmata*. *Argentum.*

Aurum est purissimum, idcirco ponderosissimum, præsertim obryzum: quod immissum catillo vel centies, nihil dependit substantiæ, * nec sentit ullam rubiginem. *Aurum.* * *Quintilianus.*

Aurum & argentum aliud eſt factum, ſignatum: aliud rude, infectum, paſtillatum: item excoctum, purum, puſulatum.

Magnetis ſeu Mica. *Magnetis* (idis) ſeu *Mica*, metallaris eſt naturæ, argento ſimilis, ex cruſtis conſtans tenuiſſimis, vulgus *talcum* appellat, nec liquari ſe patitur, nec malleari ob indomabilem duritatem: cùm ex adverſo, *Hydrargyrum.* argentum vivum (*hydrargyrum*, Mercurius) nunquam dureſcat: liquet enim ſemper; quamvis nullam rem humectet, aut madefaciat.

Electrum. *Electrum* eſt miſtura argenti & auri. aliud electrum idem eſt, quod ſuccinum, de quo ſuperiore cap. *Bractea* metalli eſt tenuis, & præ exilitate crepitans lamella. *Scobs*, ſeu ſcobína, quod deraditur. Metallum miniarium eſt fodina, ex qua effoditur à metallariis ſeu metallicis minium; plumbarium, unde plumbum; argentarium, aurarium.

Et hæc eſt illa gleba, calore exhalationis ſiccæ coagulata, frigore vaporis aquei condenſata, propter quam nec hoſpes ab hoſpite tutus, nec ſocer à genero, &c. De qua patheticè Caſſiodorus: Intrant homines caligines profundas, vivunt ſine Superis, exulant à Sole: & dum ſub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt. *Deſiderius.* Hinc nata, opinor, quatuor ætatum, ſeculorúmve diſcrimina, quibus Poëtæ à metallis nomina fecerunt: Aureum ſeu Saturnium, optimum: tum Argenteum, inde Æreum: Deniq; Ferreum, peſſimum & duriſſimum. *Mercurialis.* Figmentum hoc ex hiſtoria Danielis manavit de ſtatua, Nabuchodonoſori per quietem oblata, ubi, metallicâ comparatione, præcipuæ quatuor Monarchiæ expreſſæ. *Deſiderius.* Eum, niſi fallor, Coloſſum, cadens de monte lapis comminuit. *Mercurialis.* Haud falleris. Lapides igitur, quoniam mentio-

nem fecisti, & lapillos, quibus pretium luxus fecit, contemplemur. Adagiis adde: *Plumbeum caput; ferreum pectus. Quod cos auro, aurum homini*; inde probantur. *Plumbeô jugulare gladiô; aureos montes polliceri; argenteis hastis pugnare; argentanginam patitur; Advocatus pecuniâ corruptus*, quod de Oratore Demosthene dictum.

Caput X.

Lapides vulgares, & Pretiosi.

Lapis est indurata terra; qui comminutus dicitur arena: hæc autem crassior, sabulum, & glarea.

Tophus est arenaceus, & scaber: pumex multicavus, spongiosus, bibulus, aptus frictioni & politioni: Lapis scissilis, lævis, & atricolor inservit scriptoriis tabellis, & sternendis tectis: phengites fissilis est in pellucidas tabellas: uti & specularis, vulgò glacies Mariæ: calcarius, ustulandus in calcem & gypsum: bituminosus, inflammabilis, & exustibilis: antracites, lapis ignitus, extra ignem aquis perfusus inardescit: igne extinguitur.* *Lapides varii.*

Silice elicimus ignem, pavimus solum: cote acuimus ferramenta retusa; coticulâ, seu Lapide Lydiô, aut Heracliô probamus metalla: magnete, qui & sideritis dicitur, attrahimus ferrum; (siderites gemma est ex genere adamantum, sed ictibus fragilis) hæmatite sistimus sanguinem: smiride scindimus vitrum: ex alabastrite fiunt vasa unguentaria: ex amiantho elychnia inextincta, & mantilia igne lavanda. Asbestos semel accensus nequit extingui. Brontia seu ceraunius cum tonitruis cadit: pyrites est ærarius, & igniparus: chelonites, Indicæ testudinis oculus, appenditur inter bullas infantiæ: & pro amuleto molochites, coloris

* *Isidorus.*

loris malvæ: Ætítes in nidis aquilarum reperitur: Asterítes & selenítes ab astris fulgorem habent, & vires: galactítes à lacte nominatur ob candorem: crystallus vel crystallum juxta *Plin.* ex aquis tenuissimis, lucidissimísque, vel ex nivibus frigore aquilonari cogente, & meridianô Sole excoquente concrescit, & sensim in lapidem obdurescit, unde Græcis κρύσταλλος seu glacies dicitur.

Saxum est major lapis, jacens humi, sive extet, sive lateat: scopulus & cautes prominens; prædurus autem & lævigabilis, marmor appellatur: quod candens, dicitur Parium: rubens, porphyreticum, seu porphyrítes: maculosum, ophítes. Adulterinum & factitium conficitur ex variegato alabastri gypso. Calculus seu scrupulus, illapsus calceo, molestus est eunti: Lithárnthraces, carbones sunt fossitii, assulati, facilè igniendi, & ignem alentes.

Lapis manalis, unde fons emanat: molaris, qui frumentum atterit: redivivus seu veteranus, cujus olim usus in muris: saxum est rude, quod impolitum: vivum, quod naturale: operarium, quod servit operi. Lapidum fragmenta vocantur assulæ, micæ, segmina, segmenta, ramenta. Saxulum est diminutivum.

Lapillus, lucens & micans, gemma vel gemmula dicitur: si habet scabritiem, aut maculas, vitiosa est.

Gemma. Eximiæ gemmæ sunt; carbunculus seu pyrópus, aut carchedonius, flammeus: adamas prænitidus, duritie indomabilis: hyacinthus, & thyítes seu éranus, vulgò turcóis, cæruleus: amethystus, qui creditur ebrietati resistere, violaceus: smaragdus, beryllus, & jaspis viridis vel virens: sapphirus aërei vel cærulei coloris, aureis punctis collucens: chrysólithus, quem hodierni mangones hyacinthum

thum nominant, luteus seu flavus est: topazius, aureus: rubinus & granatus, sanguineus: sardius, ex rubro nigricans: sarda, rubens: onyx & sárdonyx, ex fusco subalbus, cum venis igneis, & lacteis zonis: chrysóprasus, ex aureo prásinus seu herbeus: achátes, croceus: lychnites, ardens: gagátes, niger, ardet aquâ affusâ, oleô restinguitur: attritu calefactus, ut succinum trahit * Cyaneus seu lapis Lazuli, (officinis) cœruleus & stellatus, seu ex veneto & cœruleo mixtus. Opalus, omnes aliorum colores habens, multicolor: Pantarba, cæteros ad se lapillos trahit, si fides *Philostrato*: belioculus, albicans est lapis, repræsentans oculum, ex nigra pupilla aureum colorem emittentem. †

* *Solinus.*

† *Plinius.*

Inveniuntur in animalibus: chelidonius lapis aut chelidonia gemma, in ventriculo pullorum hirundinis: alectorius in capo: bufonites in cápite bufonis: draconítes in cerebro draconis, pellucidô colore, nec nisi recens, ad formandum aptus; lyncurius, subflavi coloris, electro similis, ex urina lyncis concrescere creditur à *Plinio*.

Margaritæ, seu uniones, in ventribus concharum: sed crystallus, ut diximus, in lapidosis antris, formâ hexagonæ stiriæ, nascitur: coralium (vel corallium) est marina arbuscula, petræ sub undis adnascens, in aurásque protracta lapidescens ac rubescens; reliquos superat Bezoar tam orientalis quàm occidentalis in capris Indiæ silvestribus reperiendus.

De gemmarum cùm coloribus, tum virtutibus mirè Scriptores variant; nos tritiore incessimus viâ. Habésne, quod lapideis hisce terræ fœtibus φιλολογικῶς, velut in acervum, adjiciás? *Desiderius.* Si moveri possunt Alpium scopuli, ab Hanniba-

nibale acetô rupti. *Mercurialis.* Nihil per auditionem lectionémve occurrit de acháte Regis Epirotarum, Pyrrhi, in quo natura expressit Musas suis decoratas insignibus cum Apolline tenente citharam? Nihil de Domitiani phengíte, ea, quæ à tergo erant, spatianti sub porticibus meticuloso tyranno, referente? nihil de geminis Cleopatræ immanis pretii unionibus, quorum alterum acetô maceratum M. Antonio propinavit? *Desiderius.* Perge, quæso, ne cienti loqueris. *Mercurialis.* Hæc viæ fallendæ sunt inspergenda parciùs; secùs, impedient magis, quàm promovebunt euntes. Quid, quod in Sole ambulamus; ecce viridantes non procul arborum scenas; sub eas non recipimus, per minores priùs stirpes posituri pedem. Inter proverbia nota: *Nigrum vel album calculum addere. Lapidem decoquis. Lapidi loqueris. Adamantinum pectus, &c.*

Caput XI.

Vegetabilia tantùm, seu Germinantia.

STirps sive planta protuberat è terra, cui inhærens radice, germinat reliquô corpore in aërem; imbibénsq; humorem fibris, eúmq; convertens in succum, & digerens, alescit, vigescit, verescit: destituat succo, languescit, flaccescit, marcescit, arescit; caulescit, cùm caulem vel frondes acquirit; decaulescit, cùm eas amittit.

Planta. Partes *plantæ* sunt radix, bulbus, stipes, seu truncus, (qui in fruticibus caudex; in aliis caulis dicitur) surculi, rami, folia, flores, fructus, semen, cortex, lignum, medulla, nucleus, putamen: quæ tamen aliter atq; aliter reperiuntur in Germinantibus, quorum tria sunt genera, Herba, Frutex, Arbor.

Fungus est rudimentum plantæ, radicescit deorsum debiliter, caulescit quidem sursum, non tamen frondescit, sed contrahitur (concorporatur *) in orbicularem massam, infernè striatam. *Fungus.* **Plinius.*

Tuber (infimum fungini generis) continet se sub terra, nec extuberat foràs, nec radicat infra se: obtegens se tantùm corticulâ: unde dicitur callus terræ.

Fungorum alii sunt edúles, quorum aliquos à clusili rotunditate vocant capreolos, rufulos, spinulos, spineolos, pruneolos; vel à latiore margine spongiolas, (quanquam horum vocabulorum alia quoq; est significatio;) præstantissimi sunt boleti; quidam virulenti & noxii, ut muscarii, pulverulenti, & plerique alii.

Vera *stirps* habet radicem fibratam, stipitem corticosum, ramusculos foliosos, plerumque brachiatos, † quorum minores (quotannis emorientes & renascentes) nominantur *herbæ:* grandiores (& perennantes) *arbores:* mediæ proceritatis & durationis, *frutices.* *Stirps.* †*Columella.*

Martialis Cæciliano cuidam fatalem cœnam imprecans, dixit:

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Illum enim Agrippina, Claudii Imp. conjunx, venenô tinxit. Inde Nero boletos per jocum cibum Deorum appellavit, quòd Deos faceret, id est, necaret Imperatores, qui post mortem volebant Dii haberi. *Fungus est* (id est stupidus.) *Funginô genere est* (totum se tegit pileô.)

CAPUT

Caput XII.

Herba, herbaceiq́ fructus, ac flores.

INnititur herba cauli ſuo, ſimplici vel multiplici; unde unicaulis vel multicaulis herbariis; à foliis, auguſtifolia, latifolia, acutifolia, trifolia, quinquefolia, centifolia; *Græcis* τρίφυλλος, πεντάφυλλος, ἑκατοντάφυλλος, &c. Item verticillata, umbellifera, corymbifera. * capitata, &c. Eſtque vel *Alimentaria*, ſeu Edúlis, vel *Coronaria*, vel *Medicamentaria*.

* *Ovidius.*

Partes herbæ.

Partes herbæ ſunt: *ſcapus* ſeu caulis aut thyrſus, à quo ſuſtentatur; *folia*, quibus ambitur: *geniculum* ſeu articulus (nodus in caule;) *internodium* eſt intervallum inter duo genicula; *coliculi* vel cauliculi, cymæ, cymatia ſunt ſcaporum novelli & tenuiores partus: *alæ*, ex quibus illæ prodeunt; *apex* ſeu ſtamen, pars ſuprema, quod è calice inſtar fili proſilit; *calyx* eſt folliculus primò floris, tum ſeminis: *pappus*, lanúgo ab herbis & floribus decidua & volatica, unde languinoſus. *Panicula* vel paniculus, lanoſa coma, qualis arundinum; fibræ ſeu capillamentum, minutiſſimæ ſunt & extremæ radiculæ; *bulbus*, radix rotunda & tunicata: pericarpium, (ſiliqua, theca, tegumentum, involúcrum, quô vel grana leguminum, vel herbarum ſemina concluduntur) variis aliquando cellulis & ventriculis diſtinctum, intercurſantibus membranis; *nervus*, prælongum filamentum in foliis, unde ramuloſa dicuntur; *crenæ* ſunt inciſuræ, in extrema ora folii; unde crenatum, ſerratum, laciniatum; *umbella* ſeu muſcarium (faſtigium floris in orbem circumactum;) *ſinus* alarum, eſt cavus anfractus caulis.

Sunt

Sunt autem herbarum aliæ hortenſes, aliæ ſilveſtres, aliæ campeſtres, aliæ montanæ, &c. iterumq; quædam gramineæ, quædam floridæ, &c. *Varietas herbarum.*

Gramineæ ſunt muſcus utilis oppilandis rimis; carex moleſta fœniſecis acie ſuâ; ulva accreſcens paludibus: polygonum, (officinis *centinodia*) origanum, ſerpyllum vel ſerpillum ſerpunt humi: thymbra, (ſatureja, ſeu cunila) thymus, apiaſtrum, meliſſophyllon grata apibus: dictamnum vel dictamnus ſalutaris cervis: mandragoræ vel circeii radix, maſculi figuram repræſentat: Lappa leviter hamata adhæret veſtibus: equiſétum vel equiſelis ſervit defricando ſtanno: ambubeia in pappos & floccos tabeſcit: acanthus (officinis *branca urſina*) columnarum epiſtyliis inſculpitur: verbéna vel verbenáca olim in gentilium ſacris uſurpabatur: radix helenii (officinis *enulæ* vel *inulæ*) condiendo vino adhibetur: hemerocallis ſeu ephemeron unô die florem ſuum tuetur: buphthalmus ab oculi bovini figura dicitur; à gruis collo geranium, ſeu pes columbinus; à pede gruis, corónopus; à lepore lagópus; ab hirco tragopógon; à gallina *morſus gallinæ*, (officinis) aliàs alſine; ab anſeribus anſerina, &c. adianti (officinis *capilli Veneris*) folia aquâ perfuſa non madeſcunt: polypodium ſeu filicula, polyporum more, cirros obtinet, trifolium pratenſe paſſim provenit; quadrifolium rariùs. Tithymali lacte ſi charta inſcribatur, poſtquam ſiccatæ ſunt litteræ, aſpersô cinere leguntur; filicis folia cimices enecant; locus filicum dicitur filictum.

Et tametſi nulla ſit herbula, quæ in uſum medicinæ venire non poſſit, & quidem multiplicem, medicamentarias tamen ſeu *medicamentoſas* appellant eas, quæ virtutem in morbis ac doloribus leniendis & pellendis præſentiùs exerunt; unde Medicis di- *Herbæ medicinales.*

cuntur Cephalicæ, Ophthalmicæ, Cardiacæ, Stomachicæ, Hepaticæ, Spleneticæ, Nephriticæ, Vesicariæ, &c. Nos magis præcipuas & notiores perstringemus, parùm solliciti de diverso in hac materia sensu Plinii, Dioscoridis, Theophrasti, Galeni, &c.

Atq; ut à capite ordiamur, *cerebrum* roborant saliunca, (*lavendula*) betonica aut vetonica, pæonia, pulegium, amaracus, lillium convallium, rhodia radix, ocymum seu basilica, violaria, prunella, mentastrum, sisymbrium domesticum, seu menta crispa, (balsamita) sisymbrium aquaticum, nasturtium aquaticum, melissophyllum seu melitæna: orminum seu horminum, aut horminium. Capitis dolores sedat corona ex adianto, seu callitricho.

Oculis prodest fœniculum, euphrasia, chelidonia, (officinis *hirundinaria*) &c. *Thoraci* seu pectori pulmonaria, hyssopus, adiantum, stichas vel stæchas. *Cordi* melilotus, flores buglossi, chamædris, &c. *Stomacho* absynthium (præcipuè Ponticum) piperitis, anisum, cyminum, &c. *Hepati* lichen seu hepatica: eupatorium seu hepatorium: *Spleni* chamæpitys, seu hypericum, (officinis *perforata*) anagallis, fumaria, asplenum: *Renibus* anonis, (officinis *resta bovis*, vel *remora aratri*) œnanthe, seu saxifraga rubea, (officinis *filipendula*) phyllitis seu lingua cervina (officinis *scolopendria*.)

Alvum laxant, purgant, & bilem detrahunt aloë, helleborum aut helleborus sive veratrum, folia sinapis, (manna, est ros Syriacus) Mercurialis, polypodium, grana latyridis, scamonium, (officinis *diagridium*) centaurium, absynthium, esula siccata & pota.

Stomachum movent asarum, daphnoides seu laureola, (officinis *vinca-pervinca*) bulbus narcissi, *Plinio* vomitorius.

Adstrin-

Adstringunt thlaspi, (officinis *bursa pastoris*) leontopodium, (officinis *alchimilla*) sanguinaria, cynoglossum, artemisia, à Regina, Mausóli uxore, dicta.

Emolliunt althæa seu hibiscus, anéthum, malva, violaria, &c.

Vesicam levant pepones, halicacabus, acanthus, solánum. *Lumbricos* exterminant vel interimunt argemóne, (officinis *anserina*) phu, seu Valeriana, periclymenum, mentastrum seu calamintha, chamæleon, persicaria, &c.

Sternutationem ciet pætum seu nicotiana, (officinis *tabacum*) quæ vel in pulverem contrita, attrahitur naribus; vel ore per fistulam concisa & ustulata, ac cum fumo redditur.

Tussilágo (officinis *farfara seu ungula caballina*) sedat tussim; ossyridis seu linariæ radix juvat arquatos seu ictericos, uti & chelidonia pedum soleis supposita & semen thalictri. Folia helenii in vino decocta succurrunt ischiadicis; dracontion vel dracunculus (officinis *serpentinaria*) ruptis & convulsis; absumitq; polypos & carcinomata, fugat serpentes. Radix oxyos seu trifolii (officinis *acetosella* vel *all[illegible]*) efficax est asthmaticis, & dysentericis; cujus si flores sunt copiosi, crebras portendunt pluvias: si pauci, siccitatem. Prunella inflammationi linguæ auxiliatur: Sedum (officinis *sempervivum*) tuberibus, & igni sacro, uti & parthenium, (officinis *matricaria*) limonium (*tintinabulum, pyrola*) Origanum medetur strimosis, sugillatis, dentium doloribus, tonsillis & uvæ palati. Cyperus vel Cyprius (officinis *galanga*) ulceribus: clematis seu daphnoides, & eryngium venenatis morsibus; pentaphyllon seu quinquefolium panos sanat, lichenas emendat, enterocelicis, id est, intestinorum ramice laborantibus opitulatur, nec non febribus; uti & alsine, & nymphæa;

phæa;

phæa: hæc cum bellide seu bellio hecticis quoque prodest. Fragraria gingívas firmat, & earum putredini medicatur: podagræ verò ricinus, seu palma Christi. Scabiem sanat scabiosa, & tithymalus. Omnis generis ulcera, arum (officinis *serpentinaria minor.*)

Vulneraria. *Vulneraria* (*consolida* officinis) sunt sanicula, telephium, lysimachia, heptaphyllon, aristolochia, (officinis *tormentilla*) centaurium, verbéna, millefolium, bellis, symphitum, (*Latinis* petræum,) polygónatum, (*sigillum Salomonis* officinis) virga aurea, perfoliata balsamíne, smyrnium, sedum, ophioglossum, (*lingua serpentum*) &c.

Somnum conciliant opium, quod destillat ex inciso nigri papaveris capitulo; & hyoscyamus, & mandragora, &c.

Variè salutares, *Ovid.* operosæ, potentes, & contra venenum *antidota* sunt abrótonum, asclepias, (*vincetoxium*) angelica, (*Græcis σπονδύλιον juxta quosdam, seu Panaces Herculeum*) attractylis (*carduus benedictus*) plantágo, laser & laserpitium, chamæmélum, &c. moly Homericum, est generale alexipharmacum, modò ne sit Poëticum.

Venenatæ herbæ sunt aconítum, cicúta, napellus, filix invisa agricolis. Isatis (idis) & rubia, tinctoria sunt.

Coronariæ herbæ & floridæ. *Coronariæ* herbæ (quæ coronamentis serviunt) aut odoratæ sunt, ut amaracus, menta, anéthum, &c. è quibus vient serta; corollas sutiles & pactiles; item servias, *Plinio*, pro olfactoriis; aut sunt floridæ seu flores. E floribus quidem ac flosculis sunt aliqui purpurei, aut rubicundi coloris, narcissus, githágo, papáver agreste, vaccinium, betonica, lychnis seu rosa Græca, anemóne (Dioscor. pen. brevis est) seu flos Adónis, pæonia, amellus, (quibusdam aster Atti-

Atticus seu stellaria; noctu flores ejus flavi, stellæ modô criniti mirè fulgent: folia, velut salviæ) bellis, chamædris, (*quercula* vel *serratula*) viola, amaranthus, ab immortalitate nomen trahens, quippe non marcescens.

Cærulei: jasminus, (qui & flavus) iris, smilax lævis, seu campanula, hyacinthus: flos equestris seu stellula aut astéris, cyanus, gladiolus frumentarius, aquilegia, clematis, (idis) gentiana, periclymenon, vel periclymenos, flammula Jovis, quæ est alba etiam.

Flavi, seu luteoli, vel aurei: heliotropium, seu solsequium: aspódelus etiam candescit: caltha (officinis *calendula*) & ipse flos solisequus; chrysénthemum; viola flammea, (officinis *herba* vel *flos Trinitatis*) melilótus, (*corona regia*) chamæpitys, chrysócoma, linaria, auricula ursi: Lilium rubrum sive miniatum, seu chalcedonicum, sive lilium flavum campi, blattaria, &c.

Candidi & gilvi: Lilium, (locus, ubi crescunt lilia, dicitur lilietum: oleum lyrinum:) lilium convallium, saponaria flore rubrô & albô: convolvulus, leucoium; (*triphyllon & hexaphyllon*) viola Martia, flore cæruleô & albô: Ranunculus luteus & niveus. Cyclaminus (officinis *cyclámen*) albo-russus. Campanula Hispanica, candida & cærulea. Rosulæ Marianæ, rubræ & albæ: phalangium specie lilii, enódi scapô: testiculus subalbus & odórus; colchicum orientale niveum & russum, sicut althææ flores, & parthenium.

Multi-colores sunt, hyacinthi, aquilegiæ, violæ, malvæ, leucoia, antirrhina, verbascula, seú primulæ veris, lilia, gerania, caryophylla, irides, gladioli, narcissi, papavera, cyani, pæoniæ, aliiq; flores naturam arte variante, & ex silvis in hortos transferente.

 Jam

Jam *tulipæ* (quibus nomen à similitudine pilei Sclavonici, quem Turcæ vocant tuli-pant) annuatim colores vel mutant, vel corrigunt. Quantus in iis colorum concurſus & concertatio? dum aliæ ſimplices, aliæ mixtæ, variegatæ: punctis, maculis, tæniolis, ſtriis interſperſæ; ruſſæ, rufæ, miniatæ, ſanguineæ, ſpiceæ, dilutæ, ſaturæ, odoræ & inodoræ ſunt: rubro-albæ, flavo-rubræ, viridi-rubræ, flavo-albæ, &c. Quid, quòd virides & nigræ inveniantur. Pandunt ſe ad radios ſolares, quos ubi nubes interceperit, ilicò clauduntur, & ſe contrahentes langueſcunt.

Sed florum regina, flos eſt Indicus, *Granadilla*, ſub Paulo V. Romam allatus. Is roſa major, & odore melior, Chriſti patientis inſtrumenta & ſigna, in ſe mirificè exprimit. Variè à variis calamô depingitur: inciſus æri meliùs objicitur oculis. *Nieremb. Natal. Hiſt. lib. 14. c. 10.* ita eum deſcribit: Granadilla ſupra foliorum ambitum quinq; corallia, tanquam vulnera, oſtentat; ſurgit in medio columna cum baſi, & capitello: ex ea quinq; virgulæ ſpinoſæ velut in coronam coëunt. Eminent clavorum inſtar, tria ferrei coloris germina. Gracilis, inſtar hederæ, vicinæ arbori creſcendô inſerpit, foliis mucronem lanceæ præferentibus incumbens. Fructus ovi anſerini, coloris aurei, rufulis aliquot maculis inſperſus eſt. Semina nigra & rotunda; ſuccus melleus ventriculo roborando prodeſt. Simul in eadem planta flores fructúsque totô annô videas: flos ad Solem orientem apertus, occidente clauditur.

Atque hæc de herbis medicis, & floridis ſtringendô magis, quàm carpendô pleniore manu. Sunt, qui ex inſtituto iſtis immorantur; in quibus mirabilis naturæ ſcrutator *Plinius*. De floribus recurret locus *cap. 32.*

Ex

Ex herbis *edulibus* (nec enim esitamus omnes) primò spontè nascens est gramen, (*Plinio* herba voluntaria) viridans solùm, non sementans: dehinc *sativa olera & fruges*, ferentia semen. Olera nobis præbent in comesturam folia, radices, fructus oleraceos; nomen generis retinet olusculum, coctivum & concisum, rumex sativus, vulgò *spinacia* seu *spinacium* olus, cui accedit portuláca, dicta, quòd portulas, foliorum similitudine, imitetur: & utriq; beta candida, sed fatua, & fabrorum prandium. *Herbæ edules.* *Olera.*

Folia præbent lactuca, (sessilis seu Laconica, crispa, Cappadox) & atriplex hortensis; inprimis verò brassica: quæ priùs lata, postea transplantata, fit capitata; succrescens verò in caulem altiorem & extenta folia, dicitur crambe (pauperibus recocta:) Brassica Apiana seu Sabellica, est crispa: Pompejana seu Cypria, capitulô racemosô, & carnosô; sed asparagus, (cujus radix spongia dicitur) dat thyrsos, (thyrsulos seu torulos turbinatos) uti & lupus salictarius, vulgò lupulus. Scolymus (strobilus, carduus altilis aut sativus, seu cinara) profert capitella spicis squamatim coagmentata, seu aculeata aut echinata.

Longiusculas radices suppeditant rapum vel rapa candida vel rubra; rapulum est silvestre (vulgò rapunculus) seu napus; raphanis, idis, (raphanus minor, *vulgò* radicula) albent: pastináca pallet, siser vel sisarum flavet, beta rubet.

At bulbosas radices seu bulbos esculos dat cepe, (cæpa, cepa) allium (*alliatum adject.*) & porrum, quod sectile vel sectivum inspergitur jusculis, capitatum acetariis: Caulis edúlis est de genere brassicæ, quem aliqui calirápum vocant, nos capitatum dicimus: Habent autem bulbacea, locô foliorum, thallos, resolvitúrque bulbus cepæ in tunicas; bulbus alii &

 porri

porri in nucleos. Locum napis, rapis, cepis consitum vocant nápinam, rapinam, cepinam. Rapicia, vel rapacia, orum, herba raporum. Scilla vel squilla est cepa marina, eujus oleum & acetum celebratur squilliticum.

Fructus oleracei. *Fructus oleracei* sunt cucumeres, (locus eorum sativus, cucumerarium) pepones, melopepones (vulgò melónes) cylindríacæ figuræ, quorum maximum genus est cucurbita, cucurbitula, (cucurbitarium, locus, ubi crescunt) & silvestris colocynthis; fragraria profert fraga. Fruges adferunt grana; spicatæ in spicis; paniculatæ in paniculis; siliquatæ in siliquis; quarum priores frumenta dicuntur; posteriores legumina.

Frumenta. *Frumenta* pubescunt in herbam, (*folliculum* seu *vaginam*) erigunt se in *culmum* (calamum, stipulam) interstinctum *geniculis*: cacuminant se in *spicam*, cui adhæret inferiùs *uruncus*, foventem grana *glumis*, præmunientémque *aristis*, (quanquam sint & *mutulæ* seu mutilæ, quæ carent aristis) ut triticum, robus vel robum, silígo, (flos tritici) far, ador seu far adoreum, Zea (*Italis spelta*) secále seu farrágo, hordeum: Aut in *paniculam* complectentem grana *fasciatim*, ut avena, oryza, panicum, milium, fagopyrum, seu triticum, aut milium Turcicum, sive Saracenicum.

Legumina. *Legumina* (*Legumenta Varroni*) habent *scapum* debiliorem, (stipulam fabalem, fabalia pl.) eúmq; geniculatum, pro spicis autem *siliquas*, includentes grana *valvulis*, (operculamentis, utrículis, tunicis,) ut videre est in faba, ervo, phaseolis seu dolichis, lupíno, (qui sui circumactu horas agricolis etiam nubilô die ostendit) vicia, lente, cicere, (circcula) ervilia, fœno Græcô seu silicula. Hilum est oculus seu macula nigra fabæ. Adjectiva sunt fabarius, farrarius, seminarius. Fabula dim. parva faba, fabágo, fabáginum acus, seu furfur.

Ad-

Additamenta frugum ſunt linum, cannabis vel cannabum, & urtíca, ſtamine commendabilia.

Ad Eſcarias pertinent *Condimentariæ*, quæ condítioni dant aut *folia* miſcellaneis acetariis ſervientia, ut piperítis, guſtu acris; intubum (intubus, intybum ſativum, vulgò endivia) latifolium, inde acetarium intybaceum; & anguſtifolium ſeu erraticum, nempe cichorium; Britannica ſeu cochlearia, ſiſymbrium, (Hiſpanicum flores habet cucullatos) malva, lapathum, (*oxalis* ſeu *rumex*, *vulgò acetoſa*) anthriſcum ſeu chærephyllum, apium (officinis *petroſelinum*.) Aut dant *granula*, ut ſinápi vel ſinápis, cumínum aut cymínum, fœniculum, coriandrum. Aut *flores*, ut crocus. Aut *radices*, ut raphanus major, (*Prompt.* armoracia) orobanche, acorum, (*acorus, ſeu calamus aromaticus*) zadúra vel zedoraria, caſia, (*vulgò caſſia,*) cinnamum aut cinnamómum, zingiber, aut gingiber. — *Condimentariæ herbæ.*

Poſtremò quædam herbæ *innaſcuntur aquis*, & ſupernatant: ut alga marina, lens paluſtris, tribulus aquaticus; ſed fiſtuloſa ſpongia, è ſaxis ſub aquis naſcitur, bibula, naturæ ſcilicet retinens.

Deſiderius. Heu quantus Botanologiæ campus! vel numerandô me fatigâſti, ne dicam ambulandô.

Mercurialis. Et tamen carptim hæc omnia, ac ſtringendò. Plura ſi voles anthologica, nomenclatores Botanicos & officinas herbarias conſule, vaſtis evolvendas tomis, ſed circumſpectè; neque enim ſatis vel Latinè, vel Græcè loquentes audies. Velim, & hoc ſcias, ipſos inter ſe Scriptores Herbarios diſſentire, ſynonymarum, & polyonymarum plantarum appellatione ambiguâ deceptos, præſertim cùm veteres à poſteriùs natis explicantur, ſæpius divinandô quàm decernendô. Illud ridiculum, quod Matthiolus, nobilis interpres Dioſcoridis lib. I. — *Controverſiæ in re herbaria.*

c. 55. in Botanicis suis refert, quendam herbariæ artis, ut sibi quidem videbatur, haud modicè gnarum, cùm legisset in Dioscoride, plantam, quam vocant officinæ *agnum castum*, Latini viticem, mederi intertrigini; scripsisse, eum, qui secum germen illud gestaverit securum à *lupis* fore; fœdè errandô in *lupo*, ambiguâ vernaculi sermonis voculâ, Wolff vom Reiten.

Desiderius. Ohe' lupum in lepida fabella! *Mercurialis.* Quid quòd rei rusticæ principes, Columella & Plinius, ita in diversum abeant, ut ille *siliginem* dicat esse vitium tritici, hic ejus delicias nominet. Et ut sexcenta taceam alia, *Amómum* nonnemo rosam Hierosolymitanam seu Hierichuntinam indigetat, quod alii piper hortense vocant. Deinde tot nova germina multis necessitatem imposuerunt fingendi nomina, ut, si uspiam alibi, hîc opus onomatopœis sit. Accedit, quòd ex silvestribus multa immigrârint in hortos, & ex rusticis floreant inter cives. An verò, quia *ranunculum* egò inter agrestes herbas lego, tu negabis eum inter Adonidis hortulos virere? Et quantùm distant *libanótis* seu fœniculum porcinum, à libanotide, quæ est rosmarinus? *Erúca*, species sinápis, ab ea, quæ nomen habet vermis? Quidquid autem sit de his; nos, elatô ex campis herbiferis pede, progrediemur ad frutices, expeditiùs eos transituri. Præibo strenuè; sequere. *Desiderius.* Sequar, si hoc priùs abs te impetrâro, ut, quoniam vinum me delectat herbile, percurras illas herbulas, quæ immittuntur. *Mercurialis.* Transiliam celerrimè, sed per notiores tantùm, & nostris familiares hortis, quales sunt pampinula (officinis *pimpinella*) oxalis, melissophyllum, buglossum, anthriscum, fœniculum, phyllitis, (*seu asplenum, & scolopendrion*) amaracus seu samsucus, (officinis *majorana*) pyre-

Herbæ vinariæ.

pyrethrum, alarum, attractylis, pulmonaria, betonica, adiantum. Ex fruticantium genere, absynthium, saliuncula, ruta, salvia, rosmarinus, folia acori. *Desiderius.* Herbas docuisti nominare me vinarias: restat, ut & nosse discam. Nunc quæ adagia? *Mercurialis. Algâ vilior;* de re abjectissima. *Herbam porrigere;* victum se fateri. *Spes in herba. Multum distant æra lupinis;* discrimen rerum vilium & pretiosarum. *Quid sui cum amaracino? quid unguentum asino?* Est verò amaracinum, oleum ex amaraco. *Ego de alliis loquor, tu respondes de cepis. Bibe vel ede helleborum;* ut sapias. *Plus aloës, quàm mellis habet.* Historicum est, quòd Conon Agricula Ludovico XI. Regi Galliarum, rapam insigniorem obtulit; aurô repensam. Non quid, sed quomodo. Cochl. l. 2. apophteg.

Caput XIII.

Frutices, eorúmq; fructus,

STirps lignescens, & multiplici caule fruticans seu frutescens, appellatur frutex, quorum præcipuos tibi referam.

Corylus fert nuces avellanas, seu Ponticas aut Prænestinas: *prunus* silvestris, pruna & pruneola, prunula silvestria: *sambucus* baccas sambuceas; *paliurus* baccas paliuri: *rosa* rosas: *canirubus* agrestes rosas, & postea baccas cynosbati, seu frangulas. Rosarum dicitur Milesia, quæ rubet, Alabandica ex russo albicat: pentaphyllis, quinq; habet folia: centifolia, centum: *marones,* sunt rosæ albo inspersæ: *Partes rosæ: calyx,* seu globus nondum explicitus: *nympha,* cùm dehiscit, & se aperit: *caput,* est globus inferior, lanugine refertus: *unguis,* pars infima rosæ albidæ: *capillamentum,* sunt tenuia stamina in rosæ medio: *flos,* croceum, quod ei insidet. Rhododaphne sive rho-

Frutices varii.

Rosæ partes.

rhododendron, frutex perpetui viroris, rosæ similitudine caulibus succrescens, venenum bestiis, homini remedium.

Vitis partes *Vinifera vitis* profert vinaceas uvas, quandoque labruscas: cujus partes sunt: *Palmes, seu sarmentum,* longior luxuriantis vitis virga: palmes focaneus, qui in bifurco medius prosilit: fructuarius seu racemarius, qui parit: orbus, qui sine fructu: pampinarius, seu colis aut coliculus, tantùm fundens frondem: resex, seu præsidiarius aut subsidiarius colis, qui putatur ad fructificandum: *malleolus* seu malleolaris virga, est palmes novellus plantationi idoneus: *flagellum,* summa palmitis pars, & cyma: *capreolus* seu clavicula, crinis, anulus, colsculus viteus, est in modum cincinni contortus; *duramen* sive duramentum, est vitis brachium: *pampinus,* est folium, seu foliosus ramus. *In uva* sunt: *Scapus seu racemus* aut botrus, unde *acini* dependent: *folliculus,* est ejus corium: *vinaceus* seu vinaceum, est granum acinorum. Racemosum est, quod plenum racemis.

Uvæ partes.

Spiniferæ vites. *Spinifera vitis* fert uvas spineas, nempe crispinus crispinas: oxyacantha berberes: ribes bacculas S. Joannis uvas ursinas *Galeno.* Rubus mora rubi: rubus Idæus, mora rubi Idæi: capparis dat cappares.

At *rhamnus* tegit aculeos: myrica seu tamarix, seu tamariscus, bacillos præbet secundùm medullam cavandos: tragacantha, succus est, seu gummi fruticis spinosi & candidi. ferula geniculatis scapis nodosa, levis, ideóque senum baculis idonea, calidis locis nata.

Ceratonia *Galen.* fert ceratia seu siliquas dulces, cornibus similes; quales fert etiam fœnum Græcum, quod inter legumina numeratur, dicitúrque *Plinio* silicia: at *Varroni* silicula. Græcis ægoceras, à similitudine cornuum caprinorum: cinnamomum dat

dat cinnamum : glycyrrhiza mellitam radiculam. Sed hedera, & ſmilax aſpera, arbores ſcandens exedit; illius racemus vocatur corymbus.

Balſamum odoratiſſima arbuſcula, ſi inciditur vitreis oſſeiſve cultellis; nam ferrô inciſa moritur: eliquat opobalſamum, ſuccum pretioſiorem aurô, hinc oleum balſaminum, xylobalſamum eſt lignum balſami. Coſtus, frutex aromaticus, *Dioſcoridi.*

Goſſipium fert quiddam non abſimile nuci, quæ dehiſcens, detegit circa nucleos glomum lanæ inculcatum: quem redordiri, & inde conficere lina goſſipina, muliebris eſt labor.

Iſti *paluſtres* etiam ſunt fruticoſi: juncus palmipedalis, (eſt menſura unius pedis, & palmi:) ſcirpus ſeu canna, aut arundo, tricurbitalis, gerens in ſummitate typhas, qui cùm ſit enódis & mollicellus, texunt ex illo ſcirpicula, caniſtra, mattas ſeu tegetes. Arundo marina lignoſa & nodoſa, vicem eſt baculi; at calamus, & ſyringa vicem fiſtulæ. Ubi creſcunt, cannetum, juncetum, arundinetum dicitur. Mariſcus vel mariſcum *Plinio* eſt genus junci majoris. Cyperus eſt junci genus anguloſum, & herbis accenſetur. *Frutices paluſtres.*

Quæcunque paullò minora ſunt fruticibus, appellantur *ſuffrutices* officinis. Latinè voces frutices herbaceos & oleraceos, vel herbas fruticantes. Quidam ajunt, ſuffrutices eſſe, qui compluribus ramulis, ſuculisq; lignoſis ſcatent, ſed minutis conſtant foliis, ut ruſcus, & reliqui cardui; itémque ebulus, erica, nardus, & ſpica nardi, ſeu nardus Indica, ſed baccharis eſt nardus ruſtica: ſaliunca, lavendula, ruta, ſalvia, roſmarinus ſeu libanotis coronaria: abſynthium, & myrtillus ferens nigra & rubra myrtilla, ſeu vaccinia: quidam malunt ſcribere vacinia, & inter flores numerant; nos etiam inter *Suffrutices.*

inter mora reputamus. De his illud Maronianum tibi occentum putes:

O formose puer, nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vacinia nigra (id est, violacea) *leguntur.*

Anacreonte Judice:

Rosa honor, decúsque florum,
Rosa cura, amórque Veneris,
Rosa cœlitum voluptas.

Tu sed ai, quæ animantes efficiunt uvam? *Desiderius.* Apes oblongum in orbem conglobatim dependulæ. *Mercurialis.* Promptè, à frutetis ad arboreta nos transferamus. Proverbiô dicitur: *Abstulit nucleum, pignori reliquit putamina. Scipioni arundineo inniti. Nodum in scirpo quære it. E squilla* (est herba ex bulborum genere, quod suprà dixi, tunicatis cepis; in vase acerrimi aceti Soli exposita miram virtutem medicam habens) *non nascitur rosa. De Ajace sua* (nam est nomen Tragœdiæ) *dixit Augustus Cæs. quod in spongiam incubuerit,* hoc est, deleta sit.

Caput XIV.

Arbores, arboreíque Fructus.

STirps altùm excrescens, & è stipite expandens robustos ramos, obtegénsque se frondibus, arbor est, circumtecta cortice: sub quo reperies librum, & alburnum: mox ligni pulpam: & in penitissima pulpa medullam.

Partes arboris. Fastigium arboris dicitur *vertex* seu *cacumen*: quod, si tenellum est, appellatur in omni stirpe *turio*: defectis ramis, *truncus* & caudex est: *termes* est ramusculus cum fructibus decerptus seu revulsus: *ramale,* si recisus & rejectus: *flagella,* sunt partes summæ, quæ ad cujúsque venti flatum moventur:

tur: *torus*, seu torulus, est callus ligni in se convolutus: *ossa*, pars arboris durissima, sicut mollissima *albumen*, obnoxium teredini: *pecten* annos indicat; *liber*, interior est tunica, qui dividi potest in philyras, &, dum viret, glubi seu delibrari: *panô* seu tumore fungosô tumescit: gradatis *pollicibus* seu nodis scanditur. Florescit, frondet, fit prægnans, fert fructus, si felix est; secùs, si infelix: pullulat, cùm stolones surculos, germen emittit, & tunc matricem vocant, unde surculosa seu germinalis; sed quæ plantata, *conseminalis* dicitur rei rusticæ Scriptoribus. Surculorum alii sunt vitales & utiles: spadones alii & inutiles. Ipsa arbor vel arbuscula est novella, vetula, bifera, trifera, senescit, moritur, &c. vide infrà c.32.

Quædam arbores habent lignum interveniis distinctum, ideóq; fissile: aliæ lentum, & flexile: aliæ rigidum, & fragile, pro vario usu.

Folia sunt omnibus venosa: multis lanuginosa: plerísq; per ambitum crenata; nec rarò ex morsu insectorum laciniosa: decidunt sub hiemem; vere regerminant; exceptis gummosis, buxô, taxô, & aliis, quæ semper virent, ut laurô, myrtô, &c. his enim non sunt decidua. Folia latissima sunt fico, viti, platano: angusta myrto, & oleæ: aculeata ilicum generi: capillata pino: mucronata malo: carnosa cupresso, & tamarici seu myricæ: crassissima alno: longa salici: duplicia palmæ: cincinnata pyro: pinnata abieti: insecta, pectinum modô, piceæ: angulosa hederæ: sinuosa robori: spinosâ cute, rubro: mordacia urticis: pungentia larici, cedro, pino; pediculô brevi, oleæ, longô vitibus, tremulô populis; disposita myrto: concava buxo: inordinata, & plura eodem exeuntia petiolô, pomis. *Varia arborum folia.*

Arborum quædam sunt *umbriferæ*, & exuberante viridantium copiâ foliorum opacantes vireta, ut ti- *Arbores umbriferæ.*

ut tilia, platanus, acer, fraxinus, ulmus amica vitibus, & cæteræ latifoliæ.

Steriles. *Steriles* miniſtrant vel pabulum foco, ut alnus, betula, ornus, populus alba & nigra; caprificus, ficus ſilveſtris, cujus nunquam matureſcunt ficus; bdellium magnitudine oleæ, fructu, naturáque caprifici. Vel materiam ædificiis, ut quercus, æſculus vel eſculus, pinus, larix, cedrus, non ardens, nec carbonem faciens. Vel vimina, & flexiles virgas, circulis doliorum, & contextioni corbium, & cratium, ut betula, ſalix, cui pro fructu eſt lanugo, (quam vocant araneam) liguſtrum, &c. Tilia & buxus apta ſunt ſcalpro: ebenus, ponderoſô enodíque lignô, quod aquis non mergitur, polituræ: fraxinus ſariſſis, & glutinando vulneri: moluſcum, & acer, criſpantis eſt ligni ad teſſellas inſititias faciendas pro menſis acernis, & panthérinis. Cupreſſus ſeu cypreſſus, aut cypariſſus valet odore: alnus dureſcit in aqua: abietis pars ſuprema dicitur ſiſterna, infima & enodis, ſapínus. Taxus dat toxica: cedrus non ſentit cariem & putredinem: palma non cedit ponderi, ſed contra illud aſſurgit. Inter palmas, Græcis dicuntur ἐλαται, odoratam lacrimam ſtillantes.

Pomiferæ. *Pomiferæ*, ſunt notiſſimæ fructiferarum, habentes fructum exteriùs, intectum molli corticulâ; intùs granatum, vel oſſiculatum.

Malorum genera. Granata poma ſunt; ficus, ſeu cárica: pirum vel pyrum: malum, vel vulgare; vel aureum ſeu aurantium: citreum, ſeu medicum, Heſperium, Aſſyrium, citromálum: Punicum ſeu Granatum, à loco ſic dictum; cujus putamen dicitur malicorium: flos ejus cytinus ſeu ampullagium; membrana, ſeu cellularum in illo diſcrimen, cicus vel cicum; at balauſtium eſt flos, ſilveſtris mali Punicæ. Cy-

cæ. Cydonium, seu cotoneum: chrysomélum; mespilum, non sapit, nisi putredine emollitum. Officulata sunt, cerasum vulgare, Actium seu nigrum: Apronianum, seu Macedonicum, majus & maximè rubens: duracinum, durioris corii, & sativum; prunum cerinum vel cereum seu flavum, asininum, hordeaceum, Damascenum; oliva: cornum: malum Persicum. Poma exossata, quibus officulum demptum.

Arbores ipsæ vocantur: ficus, pyrus, malus (pomus est genus) citria, medica, Assyria, seu citrus: malus Punica, seu Granata: malus cydonia seu cotonea: malus Persica, mespilus, sorbus, cerasus, prunus, olea, cornus. Oleaster & pinaster silvestres sunt.

Pyrorum multa sunt genera quemadmodum malorum, habéntque nomen vel à magntudine, ut librale, volémum, (quòd volam manûs impleat) nanum, decumanum, &c. Vel à figura, ampullaceum, cucurbítinum, mammosum, pulmoneum, rotundum, orbiculatum, turbinatum, &c. Vel à sapore, musteum seu mustaceum, melimélum, acidulum, &c. Vel à tempore maturitatis, postautumnale, hordearium vel hordeaceum, seméntinum. Vel à loco, crustumium aut crustuminum. Vel ab insitore, Pomponianum, Dolabellianum, Claudianum. Vel à colore, ligninum, quod est testacei coloris, rubellum seu rubellianum *Plin.* Arbutus fert arbuta seu unedones. *Pyrorum genera.*

Proximæ pomiferis sunt *nuciferæ*, quæ sub cortice duro occultant nucleum, inclusum putamini, ut juglans, ferens nuces basilicas, regias, juglandes, quæ habent nuclei tunicam, bifidas putaminis seu testæ carinas, & inter has dissepimentum seu nauci, indeclin. Suntque, sicut & avellanæ, sanæ, integræ, *Arbores nucifera.*

vitiosæ, cariosæ, rancidæ, cassæ; & franguntur seu aperiuntur nucifrangibulô, *Plaut.* Aversatur hæc arbor consortium quercuum; extremô cortice iufuscantur lanæ, umbra ejus gravis humano capiti. Amygdala, seu nux Græca aut Thasia, gignit amygdalas seu amygdala: castanea castaneas, seu glandes Sardianas, clausas echniatô calyce seu coriô, quod operitur castaneô operculô, seu echinô. Sed è palma accipies dactylos: ex abiete conos, & strobilos: è quercu gallas: è subere & ilice glandes: è fago glandes faginas triangulari cute: è pino nuculas pineas. Pistacia seu pistaces ex taberna pete medicamentaria; nam Germanica multùm ab Italicis differunt. Includuntur Folliculo grandiore, ciceris effigie. *V. Plin. lib. & c.16.*

Arbores bacciferæ. *Bacciferæ* sunt, quæ racematim ferunt baccas molliores, ut morus, tardissimè florens, citò frugifera; laurus victorum insigne, arcens fulmina. Syncomórus, media inter ficum & morum; aliô nomine mariscа, seu ficus fatua, acerbos ferens fructus: sorbus silvestris; myrtus, ex qua ovantibus corona texi solita. In conviviis ramô myrti per manus ordine, acceptô, singuli carmen aliquod jucundum modulari solebant. Duratio hujus arbusculæ brevis est, & ideò corona illius in funeribus quoq; adhibita. Veneri etiam ob gratiam frondium consecrata. Sed hæc ἐν παρέργῳ. *Desiderius.* Aptè, & ad stomachum meum, difficilè concocturum tot arborum fructus, nisi tuis condimentis inspergantur.

Arbores aromatiferæ. *Mercurialis. Aromatiferæ* sunt nobis innominatæ: quæ progignunt piper, caryophylla, nuces myristicas, (unguentarias seu odoratas aut muscatas, quarum cortex seu involucrum macer & macis dicitur; cui affinis glans est bálanus seu myrobalanus, aut myrobalanum) aliósque odoriferos fructus, qui-

quibus condituras paramus. Malobathros, arbor est Syriæ, similem nardo odorem referens, & pressa, salubre præbens unguentum, quod malobathrum vel malabathrum dicitur.

Arbores resinosæ & gemmatæ. *Resinosæ* sunt pinus & pinea: è quibus resina exstillat; ex hac autem eliquatur pix & axungia; tæda seu teda pinguiori succô abundat. Et lentiscus, ex qua colligitur mastiche; & terebinthus, ex qua fluit resina terebinthina. Et quæ exudant myrrham, stacten, pinguitudinem myrrhæ, & styracem, (vulgò storacem) thus, caphúram (officinis *camphoram*) ambaram (officinis *ambram*) quâ inficiuntur chirothecæ (incertum, an sit spongia marina, an excrementum piscis) cæteráq; gummi genera. Viscum seu viscus est glutinum implicandis avibus. Habet & juniperus suas non tantùm bacculas, sed & viscum seu gummi junipérinum, (vulgò vernicem) gummitioni aptum.

Arborum fructificatio. Vis jam scire, quomodò *fructificent*? Antè omnià surculus gemmat; tum gemma hians protrudit florem. In ficu prorumpit grossus vel grossulus sine flore; in corylo julus (nucamentum, panicula) ante gemmationem; tandem fructus (petiolô pensilis) crescit, donec maturescat.

Arboreta. *Arboretum* frequens, est silva aut silvula; quam amœnè viridicatam, dicemus nemus: densam & inviam, saltum: disraratam seu intercisam, recrescentémque, silvam cæduam; opacam & incæduam, lucum. Speciatim autem quercetum, æsculetum, ilicetum, pinetum, betuletum, ulmarium, myrtetum, cerasetum, castanetum, salicetum, (salictum) frutetum, coryletum, palmetum, olivetum, pometum, moretum, &c. Virgultum est, ubi crescunt virgæ, genistæ, spartum, vimen. Arbuscula est arbor pumila. A silvis dicitur silvosus, nemorosus,

nemoralis, saltuosus, &c. & montes silvigeri, mel nemorense, *Columell.* Silvatica laurus, Silvifragus, est Poëticum.

Jam analecta hinc referendo, Lotos est arbuscula Africæ, pyro similis foliô quercinô, fructum ferens instar fabæ sapore singulari, quæ gustata dicitur patriæ oblivionem inducere, quod contigit Ulyssis sociis apud Lotophagos. Nota sunt, *picem tangere, piceas habet manus. Stipes æthiops Ciceroni*, pro bardo. *foliô mobilior, oleô tranquillior, oleum & operam perdidit. oleum camino addidit. ficulnus vel ficulneus est gladius*, argumentum habes. *Vino vendibili non opus est suspensâ hederâ. ficus dividit homo præparcus. cedrô digna*, id est, immortalitate. *Post folia cadunt arbores. arbore dejectâ, quivis colligit ligna. aliam quercum excute. Malo esse tarda quercus, quàm præcox cucurbita. Quercus non unô dejicitur ictu. Relinque nuces. Frangit nucem, qui vult esse nucleum. Ficum vocat ficum, scapham scapham, ligonem ligonem. Annosam transplantare arborem.* Laurus symbolum est victorum ; hedera Poëtarum ; cupressus mortis ; palma victoriæ & fortitudinis cum lemmate : *pressa resurgo.* Unde palmarium facinus. *Lascivior hederâ*, obvia amplectente. *Platani umbra*, pro loco amœno. *Umbra tantùm* ; quod pulchrum, sed sine fructu. Olim platani vinô rigatæ vectigal pro umbra pensum. Platanus à Xerxe armillis aureis circumdata. Secundùm Philosophos : homo est arbor inversa. Tu quid hisce addis : *Desiderius.* Nos poma natamus. *Mercurialis.* Nosti, quæ Poëtæ de Hippomene, aureis pomis Atlantam retardante. *Desiderius.* Novi. *Mercurialis.* Et de pomo aureo, cui inscriptum : *detur pulcherrimæ* : déq; Paridis judicio? *Desiderius.* Novi. *Mercurialis.* Laudo ; gressum promoveamus ad animantia.

Adagia.

Caput XV.

Animalia in genere; & in specie rudiora: Palpitantia, Repentia, Serpentia.

Quod est præditum vitâ, sensu, & liberô motu, est animal. Vitam accipiunt nascendô, continuant nutricandô, propagant sui simile generandô: ideóq; sexu discreta sunt.

Animantium aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ; pluma alias, squamma obducit alias. Quædam perpetuò cicures & mansuetæ, aliæ perpetuò feræ: quædam mediæ naturæ. aliæ carnibus, aliæ frugibus vescuntur: quædam solivagæ, quædam gregales. In voce magna differentia: aliæ imitatrices hominum. Ad cibum capiendum hæ gradiendô, illæ serpendô, aliæ volandô, quædam natandô accedunt: quem partim ore hiante & dentibus capiunt; partim unguium tenacitate corripiunt: partim aduncitate rostrorum; aliæ sugunt, aliæ carpunt, aliæ vorant, aliæ mandunt. *Divisio animantium.*

Sensum exercent (potissimùm alimenti causâ) tangendô, olfaciendô, gustandô, audiendô, videndô.

Motum adhibent (ad prosequendum bonum & fugiendum malum) alata volandô, pinnata natandô, pedata gradiendô.

Quando animal se non movet, tum aut cubat, prostratis membris; aut sedet, substratis inferioribus, arctísque superioribus: aut stat erectum, super pedes suos se æquilibrans, aut fulcimento alicui connitens.

Quædam tamen animalcula promovent se *palpitandô*

tandò duntaxat: quædam *repunt* aut *serpunt*: cùm sint veluti rudimenta animalis generis: ut conchæ, vermiculi, serpentes.

Concha inclusa conchis testaceis, (quibus caro exsanguis & viscosa arctissimè adhæret) dimovet se paulatim sub aquis, levi palpitatione, quarum præcipuæ (*Gell* apprimæ) sunt: ostrea fucculenta, concha margaritifera: purpura, murex, conchylium, conchyle, (cujus operculum dicitur ostracium) purpureum fuccum seu ostrum evomens.

Tardigrada *cochlea* circumfert secum testaceam suam domunculam; putatur carere oculis, sicut & limax, (qui, propriè loquendo, testâ caret:) sed habent cornicula, quibus prætentant iter.

Vermes. *Vermes* repunt convolutione & evolutione corpusculi; è quibus rebus gignuntur, ex iisdem quærentes nutrimentum, erodunt eas: acari ceram: termites (termi) carnem: tineæ vestes: blattæ libros: terédines (cossi) ligna: lumbrici uvidam terram & viscera: volvóces (convolvuli & ipedes) vitem: curculiones (*curguliones*) frumenta: erúcæ (campæ) plantas: bombyces folia mori: galbæ esculos: midæ fabas: mylacres farinam: fullones aures, &c. hemerobii sunt vermiculi unius diei.

Insecta pedata. Sed *insecta* (dicta ab incisuris, quas nunc cervicum locô, nunc pectorum habent,) sunt expeditiora, quibus dati pediculi. Pediculus (peduncŭlus) lendium progenitor: pulex saltator (unde pulicosus, eorúmque captator pulicilega, sicut culicilega, *Prompt.*) ricinus, canibus infestus: cimex parietum & cubilium, præsertim abiegnorum, graveolens perreptator: oniscus (centipeda) adhærens humescentibus muris: & scolopendra (multipeda.) Formicæ denique circa victum comportandum semper actuosæ (*Senecæ*) ac laboriosæ seu operosæ. Araneæ (ara-

(aranei) tenuissimas telas seu texta texentes insidiantur muscis; inde araneolus & araneola. Phalangium est araneus, trium internodiorum habens pedes~.

Serpentes, oblongum corpus adepti, serpunt arcuati corporis sinuatione, & se conspirant. Ut, anguis communis: coluber silvaticus: natrix (seu hydrus aut chelydrus) aquatica, aspis venenosissima vipera dicta, quòd vi pariat, pulli namq; erosis matris lateribus cum interitu ejus erumpunt. Cæcilia cæca: jaculus, vibrans se ex arboribus in obvios: amphisbæna, duo habens capita, porrò ac retrò gradiens; basiliscus (regulus serpens) tam nocivus est, ut solô necet visu; dipsas, quem mordet, siti interimit: cerastes cornua in capite præfert: scytale colorum varietate in perniciem trahit stantes & stupentes. Putatur dæmon, hujus formâ serpentis indutus, Evæ imposuisse. Hydra Lernæa (excétra, echidna) septem esse capitum fingitur, unóque amputatô aliud succrescere. Draco deniq; alatus est serpens; & dracunculus~. *Serpentes.*

Serpentibus accensentur, tametsi careant gressione, seu non sint gradientes, (barbarè gressiles) lacerta seu lacertus, habens lacertosos pedes (nempe ad humani brachii similitudinem;) seps, huic consimilis, sed minor; stellio maculis picturatus aureolis; salamandra tam frigida, ut vel in igne vivere, vel eum extinguere dicatur; scorpio vel scorpius, flexuosâ caudâ lethiferos infligens ictus; chamæleon ad omnes varians colores, quos videt, præterquam ad rubrum & album, lacertæ magnitudine, hiante semper ore aërem captans~.

Hinc parœmia in versipellem & inconstantem: *chamæleonte mutabilior*. Phalangium, aliô nomine, tarantula, *Solinô* teste, seu afflatu noxiô, seu æstu *Eruditio hinc collectanea.*

 tor-

torrentis accenſa Solis, quos icit, vel irrequietos reddit, ut canant, ſaliant, lacriment, delirent; vel ita ſtupefacit, ut tabe putreſcant. Cujus medela eſt cantus tibiæ, ſono quodam certô attemperatus; Quid hîc ſymbolici? *Deſiderius.* Vis Muſicæ. *Mercurialis.* Autoratio viri prudentis & diſerti. Item mors improborum lethali riſu pereuntium. Cochlea eſt domiporta *Tullio,* omnia ſua ſecum cum Biante Philoſopho portans, ſuóq; ſuccô victitans: *Vitam vivit cochleæ,* qui ſemotus à negotiis eſt forenſibus. *Stolidus labor eſt,* qui ſe eviſcerat cum aranea telam texendô. *Pumilis corporibus, ut formicis, ſua bilis ineſt;* & aliquando vel maximè. Divitiis indignus, *pulex eſt in aurea catenula.* Propter pediculos piſcatorum, dicentium: Quod capimus, perdimus; quod non capimus, retinemus, Homerus contabuit, quia capere non potuit. Sic Ariſtoteles dicitur ob Euripi fluxus difficiles ſe ſubmerſiſſe. Ut baſiliſcus ad ſpeculum objectum ſuô ſe halitu repercutit & interficit; ita invidus, & calumniator. *Maledicus in lingua, caudam ſcorpionis gerit. Voluptati ne fide; ſub omni lapide ſcorpius dormit, & latet anguis in herba. Viperæ partus.* (ingrati parentibus liberi.) *In ſinu vipera.* (fœmina perniciosè amata;) *Vipera in electro.* (Improbi hominis ſplendidum ſepulchrum.)

Inter naturalia obſervatu digna occurrit ichnevmon (mus Indicus; magnitudine felis, pilis lupinis, roſtrô ſuillô, animal amphibium, nullum hoſtem formidans,) qui, pugnaturus cum aſpide, in lutô ſe circumvolutans, inde ſibi loricam inducit. imago animi demiſſi. Sicut ignavi thraſonis eſt myrmicoleon de formicino genere nomen habens, compoſitum ex formica & leone. Vitæ in melius reformatio exprimitur ſerpente, ſenectutem in anguſta rima exuente. Quid tu ad hæc? *Deſiderius.* Draconis memini

mini aurea Hesperidum poma custodientis, quæ Hercules, eô perdomitô, decerpsit. *Mercurialis.* Quæ apódosis seu explicatio? *Desiderius.* Per labores itur ad præmia. *Mercurialis.* Rectè, stolidum est illud Heliogabali, qui ex decem millibus pondo aranearum congestis magnitudinem Romæ æstimavit. Ingeniosum & Mysticum Christi à morte resurgentis symbolum, bombyx è cellula sua alatus exiens. Satis est horum; contemplemur alituum genus omne.

Caput XVI.

Aves, aliáque volatilia.

Aves sunt animantes aëriæ, seu pecus alatum, quæ vibratu alarum & caudæ volant, quò volunt: omnes plumatæ, pennatæ, rostratæque, exceptô vespertilione, qui pilosus, & dentatus est, alásque habet membranaceas. Volucrum aliæ instructæ sunt unguibus & digitis; aliæ sunt Palmipedes; (planis ex membrana pedibus, natandi caussâ) aliæ Fissipedes; aliæ Feræ; aliæ Cicures ac Domesticæ: Altiles aliquæ, seu Fertiles; quædam Oscines & Præpetes, sive Augurales, superiorem aëris regionem tenentes; quædam Inferæ, inferiora petentes; quædam terræ propinquæ, nimirum Pulveratrices, se pulverantes, seu in pulvere versantes. *Volucrum distributio generalis.*

Omnes autem bipedes sunt, etiam gryps seu gryphus, majorum de genere aquilarum. Gryphes quadrupedes, & parte ultimâ leones, auri effossi custodes, fingunt *Poëtæ, & Ælianus lib. 4, c. 27.* Monocordiatæ (seu apodes, quasi sine pedibus) multicolores, supra ventos aëre suspensæ & immotæ hærent; inde dicuntur Aves Paradisi, plumeâ caudâ totæ intectæ; quidam cum Aristotele asserunt, & his

aviculis, corpusculô vix æquali hirundini, esse pedes; plures negant, & meritò. Vide *Aldrovand. l. 12. Ornith. c. 21.* & *Gesnerum.* Avium grandiores ambulant solummodò; minores saltitant tantummodò; mediocres utuntur & saltatu, & incessu.

Rostrô petunt cibaria, referciúntq; ingluviem. Et quamvis pitissent, nulla tamen mingit, quia humiditas in plumas vapore plenas diffluit. Pars extrema podici imminens, uropigium dicitur. Multis nec calcar deest in pedibus.

Nidificant communiter in locis inaccessis, (Alcyon seu Alcédo dicitur nidulari in ipso pelago, sed tranquillo) tum ponunt ova, quorum sub testa seu putamine, albumen & vitellus; quibus incubandô excludunt implumes pullos; qui, dum pipiunt, sunt pipiones. Ovum, quod irritum & inefficax est ex incubatione, dicitur subventaneum, aut urinum. Sed hæc cortibus relinquamus, de quibus *cap. 34.*

Avium præcipuæ, & vilissimæ.

Struthio, seu struthiocamelus, est alitum maxima, ob vastitatem corporis haud subvolans: pro se, aliísq; cristas ferens; ova lapideâ crustâ obmunita, serviunt pro poculis. Regulus, seu trochilus aut troglódytes, minima omnium, sepes circumvolitans, ingenti ausu aquilam impetere dicitur. Phœnix, seu Solis avis rarissimus est, & longævissimus, auri circa collum fulgore, cætera purpureus, cæruleâ caudâ, roseis pennis discriminatâ. Secundùm aliquos in nido ex aromatibus congesto se comburit: ex cujus cineribus subnascitur alter: quem aliqui * ex sanguine pectoris rostrô aperti oriri putant; quod Poëtis & pictoribus relinquendum. Aquila generosissima, regina volucrum, absq; nictatione Solem intuens, pennis excussis, resumptísq; ad juventutem renovatur, pullos ad Solem explorat. Ex aquilis Haliæti vocantur, seu marinæ, quòd maximè piscibus

* *Pierius.*

bus insidientur. Aquila leporaria, fulvia, valeria, lepores prædatur. Upupa despicatissima, cristata quidem, fœda tamen, quippe stercoribus victitans. *Porphyrio* venustus, sed pariter immundus, colore cæruleô, rostrô & pedibus purpureis. Pavo, seu pavus (formosissima avium) Junoni sacer, rotans subinde caudam speciosam & conchatam. Deformissima Noctua, cæcutiens de die, videns de nocte, cum reliquis Nocturnis, ut Bubone ominoso, Asione seu Oto aurito, Ulula flebili & ferali: ac Nycticórace, & Pyrrhocorace. Spinturnix, *Plin.* avis inauspicata; quæ & incendiaria dicta, quod carbones ex altaribus auferat.

Cæteræ volucres vel sunt Vernaculæ, vel Advenæ; Campestres, vel Silvestres, vel Aquaticæ.

Nostræ *Vernaculæ* ruspantur *(rostrô aduncô scrutantur)* fimeta. E. g. gallus gallinaceus, certis horis cantitans, unde grygallus quibusdam, & suo in sterquilinio cristam, jubas, caudam falcatam erigens, dependente paleari; secundùm pedes calcaribus est armatus, cum gracillantibus & glocientibus gallinis, notáq; gallinacea pullitie. Gallus spado, seu sectus dicitur Capo: aut Capus. Tum Gallopavus, (Gallopavo, Pavogallus, Gallus Indicus, Africanus, Africus, Numidicus, guttatus) gerens in capite carnosam vittam, & sub rostro longiorem paleam, irato valdè rubentem: cum sua meleagride. Et columbus cum columba pulchelli, si plumipedes columbuli, & torquati. *Aves Vernaculæ seu Domesticæ.*

Domesticis annumera, quæ gaudent habitare circum ædes, ut hirundines, veris nuntiæ seu nuntiatrices; ac riparias, quia ripis delectantur. Passeres (passerculos) salaces: item monedulas, seu graculos, cornices, picas, tinnunculos in turribus nidificantes; Ex aquaticis anseres & anser-

ferculos, anates, & anaticulas, quæ sunt etiam feræ seù silvestres, colloq; torquatæ.

Aves Campestres. *Campestres* sunt: Alauda, in aëre se vibrans, & cantillans. Et huic similis cassita cirrata, seu galeríta, à capite galeri instar plumato. Et Coturnix, caudâ curtâ. Ideò parum volitans, & cum vociferatione. Volitant autem gregatim, duce ortygométrâ, quæ palustris, & cæteris firmior. Perdix palato gratissima. Et Grues (aves Palamedéæ) admodum congruè abvolantes, nempe cuneatim, seu in formam trianguli; unâ prævolante, cæteræ omnes in tergo antevolantium colla reponunt & capita: quod & cervi faciunt in transmissione fluminum. Grues lapillô pedibus prehensô ventos transeunt: unóque stantes pede excubias agunt.

Aves Silvestres. *Silvestrium* volucrum majores sunt: Tetraónes (*tetráces vel tetríces, urogalli, uráces*) surdi; Phasiani, à Phaside, Colchorum flumine, transportati, nunc domestici facti. Et Tarda seu Otis (idis) tardivolans: & Attagenes seu Attagénæ coryletis gaudentes; & Lagópus, columbæ magnitudine, pedibus instar leporini pili hirsutis, quibusdam perdix alba. Et Columbi feri, videlicet Palumbes, aut Palumbæ; & Livia rubidô pede: & Cuculus cuculandô se prodens, & alienos nidos insidens; pullos ejus Curruca avicula fovet, & excludit; castúsq; Turtur: longóq; rostrô Scolopax seu Gallinágo, aut rusticula Perdix, vel absolutè *Rusticula*.

Distinctio minorum avium ex pastu. Minores distinguimus *gustu*, Ficedula enim vescitur ficis, avis parva, quibusdam Atricapilla: Merops seu Apiaster apibus: Rubecula seu Rubicilla aut Rubellio muscis: Curruca vermiculis, aliæque vermivoræ. Picus (*Picus Martius, Pica glandiaria, Merula saxatilis, Sitta, Calidris, Passer solitarius*) arbores rostrandô, delitescentésque bestiolas extrahen-

hendô: Turdus pascitur baccis juniperinis, dicitúrque cacare sibi suam perniciem, quia viscus pullulascit è ramo, quæ conspurcat; præter alias Baccivoras.

Minimæ sunt *Cantatrices* seu cantrices: ut Luscinia (Aëdon, acredula, philoméla) suavissima: Parus major seu Fringillágo, & minor, parùm minuriens: Fringilla seu Frigilla frigore fritrinniens; cujus propinquæ sunt Aurivittis, Chloris seu Virio, Galbula sive Galgulus luteolus seu flavescens. Tùm Linaria victitans semine lini, & cannabis ac papaveris: ati & Acanthis seu spinus, spinulus, ligurínus: cui congener Citrinula à citrino colore, & persimilis aviculæ, quam Canariam vocamus, vel ob patriam, insulam Canariam: vel ob escam Sacchari Canarii; ita Carduelem à carduo dicimus. *Aviculæ cantatrices.*

Psittaci sive Papagalli, (capite tam durô, ut sint radiô ferreô verberandi; rostrô tam validô, ut clathris ferratis coërcendi.) Sturni, Merulæ, Picæ humanam suescunt vocem imitari. Vanellus seu Capella cristatus est & clamosus: Glareana circum pecora & jumenta versatur. Torquilla seu turbo idantidem torquet & rotat collum.

Rapaces sunt Carnivoræ, & Solivagæ, quæ prædandô uncis seu aduncis unguibus, rostrísque dilaniant alias, ut Accipiter, qui resupinatus evolat rectà cœlum versùs: eiq; cognati Nisus seu Perca, aut Accipiter Fringillarius: Falco bene oculeus & unguibus falcatus: Buteo ignavus: Milvus seu Milvius pullastrorum raptor: Vultur seu Vulturius *Plaut.* odoratu præstans, solis vescens morticínis: sicut & Corvus, eóq; minor Cornix, Cornicula vivax & annosa. *Volucres rapaces.*

Aquaticæ sunt Palmipedes, ut Olor seu Cygnus candidissimus, cantator funeris ipse sui: Onócrotalus *Volucres Aquaticæ Palmipedes.*

talus insaturabilis, asini ruditum imitans. Pelicanus seu Platea rostrô latissimô. Longè alius ab hoc Pellicanus seu Pelicanus est, (si tamen est) pullos perfossi pectoris sanguine aut sanans, aut, ut *Apulejus* loquitur, vivificans. Buteo bovis instar mugiens: Querquedula, & Foscas, semper natant: Mergus vel Mergulus cerebro urinans, uti & Fulica seu Fulix, sive Caprimulgus: Cataracta, seu carbo aquaticus, aut mergus major. Et Urinatrices aliæ, natandô in aquam se demergentes, & rursum emergentes.

Non palmipedes. Cæteræ *Piscivoræ, non tamen Palmipedes*, ideóque circumvolitantes duntaxat aquas, sunt, Ardea tortili collô: Ciconia longô, construens spineos nidos in pinnaculis tectorum: cui non multùm absimilis Ibis (idis,) sed rostrô oblongô, quô adstrictam alvum laxat, unde clisteris usus. Phœnicopterus coloris punicei, aujus lingua in patina Apiciana celebratur: Larus est piscator: Gavia piscatrix: Moticilla, indefessè caudam motitans: Arquata ab arcuato rostro noscitur: Charadrius, avis est maritima, nobísque ignota, & plurimæ aliæ. De quibus Aldrovandus, Caussin. in Symbol. Gesnerus, Majolus, nostérque Nierenbergius in Hist. Natural. & Casp. Schottus in Phys. Cur.

Insecta volantia. *Insecta volantia* sunt. tum aculeata, ut Apes, Vespæ, Crabrones; Fuci carent aculeô, sed & labore. Tum rostellô fodicantia, ut Muscæ, ferulâ muscariâ mactandæ, inter quas, Culices, Cyniphes, Tábani, Asíli seu Oestra.

Cicadæ indicant stridore suô fœnisecii tempus: Locustæ sunt populatrices segetum; Papiliones disseminatores camparum, non campe, ut vult Calepinus, seu erucarum: Grylli strident noctu: Hepioli (lampyrides, pyrales, pyraustæ) advolant lucer-

lucernis: Cicindelæ seu Noctilucæ, Bruchi, Scarabæi, & qui ex his sunt Cornuti seu Lucanici, vulgò Cervi volantes & Cantharides, aureolæ, virides, rubeæ, integunt alas vaginis.

Desiderius. In recensitione gentis penniger æ, penè est, ut alas optem mihi, quibus inter aves novus ales volitem.

Mercurialis. Somniandô hoc poteris. Id scias, velim, nos variantes inter Ornithologorum nomenclationes, etiam hîc conculcationem carpsisse viam. Accuratiùs ista disputata invenies apud eos, qui Ornithologias conscripserunt; nobis non licet esse tam disertis, & tam longis. Nec est, quòd exoticas in alio orbe volucres aucupemur, quibus cùm Latinum nomen non sit, quomodo iis Romanæ Linguæ Apparatum augebimus? Vide de his aliísq; Polyhistorem Symbolicum P. Nicolai Caussini.

Desiderius. Amicus, quid diffitear? sum volucrum, quas nomine posse compellare suô, id mihi quidem est optabile: quàm quod maximè.

Mercurialis. Qui volatilium naturam persecuti sunt, præter appellationes eorum, membratim illa depingunt, dissecant, explicant incubatum, partum, educationem, victum, vocem, volatum, gressum, mores, ingenium, sympathiam, antipathiam, cognominata, denominata, præsagia, usum in sacris & profanis, ut in cibo medicina: icones, numismata iis insignit, apologos, fabulas, historias.

Desiderius. Hem, quanta rerum moles in plumea materia; mihi si copia daretur hîc seligendi, ea secernerem, quæ magis ad amœniorem facerent eruditionem, ut sunt moralia ex natura deducta, per symbola, apologos, proverbia, historias, &c. *Mercurialis.* Meum ad palatum loqueris. Ne verò orexin tuam omni defraudem altilium gustu, cape, quæ raptim

raptim appono, & primò quidem in *patina Symbolorum* confusè.

Symbolica ex Avibus. Aquila biceps, signum est Imperii Orientis & Occidentis. Cum gladio & lauro in unguibus, fert Bellum & Pacem; Justitiam & Clementiam. Pullos ad Solis obtutum probans, denotat generosam propaginem. Pullos ad volandum provocans, illustria Majorum exempla. Pennis nudata juventutem renovans, innovationem vitæ. Pavo circumspicens signat superbum: syrma demittens & aspiciens, cognitionem sui. Cornicula alienis plumis superbiens, ostentatorem inanem. Gallus, sub pedibus tubam tenens, vigilantiam tempore Pacis, Bellíque. Anser in propugnaculo, vigilias seu excubias militares. Pelicanus, (seu Pelecanus) sanguinem pullis è sauciato pectore propinans, amorem sobolis; vel boni publici, cum epigraphe: *pro lege & grege.* Grus cum lapillo in pede, vigilias. Acanthis in spinis canens, studia in paupertate: Caprimulgus, oppressorem pauperum. Merops volans, oculis ad caudam reflexis, ordinem præposterum. Scarabæus, in rosa moriens, perniciem improborum in rebus optimis. Picus, arborem rostrô perforans, constantiam. Pyrausta, ad fulgorem advolans, séque comburens, ambitionem. Monocodiata seu Avis Paradiséa, contemplationem cœli. Psittacus in cavea, cum lemmate: *loquor, ut didici*; institutionem juventutis. Phœnix in flammis reviviscens, & periens, ne pereat, martyres Christi. Rex Apum Monarchiam, quia rex omnibus unus. Cuculus, alienum nidum occupans, vagam libidinem vel adulterum. Alcedo, mari tranquillô nidificans, tranquillitatem à turbis & litibus, unde Alcedonia, sunt feriæ à scholis. Charadrius inter vorandum, alvi proluviem excernens, gulonem. Noctua sacra Palladi

ladi, nox amica ſtudiis. Pluribus ſuperſedeo: tu ipſe poteris eſſe Symbolorum artifex, alitum naturas & actiones conſiderandô. V. g. Columba felle caret Gallus ſocium in ſterquilinio non fert. Struthio ferrum concoquit. Luſcinia totam ferè noctem canit. Hirundo cæcutientes pullos chelidoniâ ſanat. Apes ſunt virgines & architectrices; forma politiæ civilis & militaris, quarum rex caret aculeô. Ibis roſtrô ſibi alvum purgans, clyſteris uſum docuit; milvus artem gubernandi naves, caudæ flexibus monſtravit. Alauda, ſepties cantillans, volat in altum, antequam granum carpat. Fucus eſt prædo mellis, ab alvearibus arcendus. Cicada rore ſuô vivit. Ciconia ſenes parentes obſequiô fovet, &c.

In catino *Adagiorum* non minor eſt congeries. V. g. *Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas. Ad corvos abi. Corvus albus, niger cygnus. Cygnea cantio. Una hirundo non facit ver. Bubo vel graculus luſciniæ* (ſcil. certat.) *Luſciniæ deeſt cantus. Canent cygni, ſi tacuerint graculi. Cicadâ vocalior. Corvus hians. Mali corvi, malum ovum. Cornix cornici configit oculos. Cornice vivacior. Ævi ſui Phœnix, vel Theologorum. E g. Senex pſittacus negligit ferulam. Culicem colat, camelum deglutit. Si vultur es, cadaver exſpecta. Irritare crabrones. Pennas nidô majores extendit. Scarabæus citiùs faciet mel. Pyrauſtæ gaudium* (breve) *Pyrauſtæ interitus* (ultrò acceſſitus.) *Noctuam Athenas portare. œſtrô percitus. Bonis, malis avibus.* Et plurima alia.

Proverbia ex avibus.

Ex *hiſtoricis* tertiam paropſidem infero. In hac columbæ unguentatæ, alias in odorem trahentes; Literarum bajulæ. *Plin. lib. 10. c. 37.* Aquila Virginis Seſtiadis, cum altrice ſua in rogo periens. Ciconia Heracleidi Tarentinæ, referens pro roſtro gemmam. Luſcinia in ore Poëtæ Steſichori infantis canens. Cicada Eunomii citharæ inſidens, ruptæque

Hiſtorica ex avibus.

chordæ ſonum explens. Paſſerculus in ſinum Areopagitæ confugiens, ab eóque occiſus; quare motus ille Senatu. Corvus Romæ Octavium Auguſtum à victoria Actiaca revertentem ſalutans: *Ave Cæſar Victor, Imperator.* Alius à ſutore inſtructus, garrivit: *Opera & impenſa periit. Deſiderius.* Deſine, quæſo, plura apponere; non ſum concoquendô. *Mercurialis.* Hoc volui. Satur es; abeamus hinc, ne rumparis.

Caput XVII.

Piſces, aliáque Natatilia.

Partes piſcium. Piſces habent locô pedum pinnas, quarum remigiô natitant; locô colli, branchias, quibus limpham ori immiſſam emittunt, & ſic veluti reſpirant: intus veſicam turgidam ad faciliùs fluitandum; quæ ſi rumpitur, perit ad natandum habilitas.

Diſtributio Aquatilium. Animalium Aquatilium alia ſunt Sanguinea (ſanguine prædita,) ut piſces: alia Exanguia, & hæc vel Mollia, quæ ſcilicet nec ſquameam, nec aſperam, nec teſtaceam cutem habent: vel Dura, quorum quædam cruſtata (cruſtacea) fragili cruſtâ tecta, ut cancri: quædam teſtacea, firmiore tegmine ſeu cortice munita, ut ſunt omnes conchæ & conchylia, ſeu oſtracea aut oſtracia: quædam coriô & pilis, ut hippopotami & phocæ: quædam ſolô coriô, ut balænæ & delphines.

Conchylia. De conchyliis audi *Plinium* inſigni verborum elegantiâ & copiâ differentem. Concharum, inquit, multa ſunt genera, in quibus mira ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ in planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidiô orbe cæſis, in dorſum elatis, lævibus,

vibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intortô, margine in mucronem emiſsô, foris effusô, intus replicatô; jam diſtinctione virgulatâ (virgatâ,) crinitâ, criſpâ, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undatâ: cancellatim reticulatâ: in obliquum, in rectum expansâ, prædenſatâ, porrectâ, ſinuatâ, brevi nodô ligatâ, totô latere connexâ, ad plauſum apertâ, ad buccinum incurvâ (turbinatâ.) Rurſum aliæ ſunt bivalves: aliæ univalves, tortuoſæ, umbilicatæ, &c.

Piſcium pleriq; ſunt ſpinoſi & ſquamoſi; atq; in his fœmellæ continent ſemen & ova, maſculi lactes; alii glabri, lubrici, oblongi, ut anguilla, conger ſeu congrus, muræna, murænula, lampetra, muſtela fluviatilis; & reliqui de anguino genere; alii plani, ut paſſeres marini, rhombi &c.

Inter *fluviaticos* (fluviales) maximi ſunt, ſilúrus bucculentus; acipenſer vel accipenſer (vulgò ſturio) mucronatus; huſo, (exos, quia ſine oſſibus) cartilagineus, grandeſcens usque ad longitudinem viginti quatuor pedum. Minimi verò, apua, (ſeu aphya, piſciculus viliſſimus, ex pluvia naſcitur) cobitis aculeata, (vel gobítis) cobítis barbatula, ſeu fundulus; quô nomine afficiuntur etiam piſciculi cobítes teneriores & recens nati; gobus quoque ſeu gobio; dehinc alburnus, perca fluviatilis, trutta, aurata ſeu oráta, piſcinaria ſeu magna, naſus; thymallus, ab odore thymi, quem ſpirat. barbatulus, barbus, ſeu mullus, mugil, capito ſeu ſqualus, ſcomber vel ſcrombrus, inſipida bdella. *Pisces fluviatici.*

Lacuſtres ac piſcinales ſunt: lucius ſeu lupus, carpio ſeu cyprínus; ac cyprínus latus, tinca, & plures alii, è quibus dicuntur ſaxatiles, qui ſaxa incolunt. Torpédo piſces ſuprà ſe natantes torpeſcere *Lacuſtres & piſcinales.*

facit, manus quoque piſcatorum, torpore per virgam hamatam infusô.

Pelagici. *Pelagici ſeu marini ſunt*; haléces, quæ ſalitæ (conditaneæ, muriaticæ, infumatæ) in orca afferuntur; & paſſeres, qui arefacti differuntur; & aſellus ſeu ſalpa, qui eſui non eſt, niſi contuſus; & ſalmo ſeu eſox in flumina exſpacians, minor dicitur ſalar; & thynnus ſeu thunnus, qui non raró præ pinguedine rumpitur, ideóque porcus marinus dicitur: aliíq; in cadis ſalſamentariis aſſervari, & à Cetariis vendi ſoliti. Thynnorum, qui nondum exceſſerunt annum, vocantur Pelamides, eò, quòd in luto morentur. E quibus ſúnt ſardæ (Italis ſardellæ) inſtar halécum, circa Siciliam ſe glomerantes. Sunt & piſces volatici, in quibus loligo, inſtar ſagittæ, celer, de qua mox infrà. Huc etiam referuntur ſcarus ſeu ſcaurus, herbis veſcens, & cibum ruminans; & rhombus, à figura quadrilatera dictus; ælúrus, cujus oculi cum luna creſcunt, decreſcúntque; melanúrus turbatis aquis prodiens; ſquatina (quibusdam ſqualus marinus) eſt de Planorum, hoc eſt, planam, non rotundam ſuperficiem habentium genere, tam aſperæ cutis, ut eâ lignum ebúrque poliatur; unde & *ſerra dictus*. aliíque Pelagii.

Cetaceum genus. Omnes iſti ſunt ovipari; ceti ſeu cete vivipari. De genere *cetaceo* ſunt phoca, (vitulus marinus) delphinus ſeu delphin, celerrimus & hominum amantiſſimus: piſtris ſeu piſtrix longiſſimus: Orca, phyſéter ſeu flator; & balæna tam grandis, ut ad quaternûm jugerûm magnitudinem increſcat, aut trecentarum ulnarum; habet tamen hoſtem xiphiam, ad decem aliquando cubitos excreſcentem, qui aſſultans, eam cuſpidatiſſimô roſtrô compungit, tandémque conficit. Echenéis, Latinis Remora, piſcis

piscis parvus, cursum navis, cui adhærescit, remoratur. Hippopotamus est bellua marina, sicut plures aliæ.

Sunt & *araneæ marinæ*, nec sanguinem habentes, nec spinas, (mollia aquatilia vocant,) ut, polypus, adhærens petris & earum colorem imitans, octo prælongis brachiis metuendus; sepia seu luligo nigrum succum sive atramentum emittens, ne videatur & capiatur. Nautilus seu pompylus de polyporum genere, duobus brachiis in utrumque latus remigat. Urtica adhæret saxis, manu admotâ se contrahit, & colorem, ut polypus mutat. *Araneæ marinæ.*

Cancri sunt natatilia *crustata*, denis pedibus, binisque chelis (*seu forcipibus, flagellis, acetabulis, forcipatis brachiis, dentatis forcipibus*) instructa. Cammari (astaci) sunt cancri prægrandes (tricubitales;) quibus majores sunt mænæ, & pagúri, carabíque rotundi. Squilla habet caudam, caret forcipe, cujus individuus comes & ductor est pisculus, quem pinnothérem aut pinnophylacem vocant, qui cæcæ conchæ providet escam. Cancelli minutili sunt plurimi; ab omnium capite prominent circi ad modum corniculorum; nautilus est navigiorum archetypus. Echino spinæ sunt pro pedibus; ingredi, est in orbem volvi. *Crustata natatilia.*

Testacea sunt, Ostrea vel Ostreæ seu Conchæ aut Conchylia, (quæ & piscem, & testam significant) caréntque capite, tamen ova pariunt, ac senescente Lunâ macrescunt, crescente pinguescunt. Cujus generis sunt, quos vocant musculos, mytilos, pectines, murices, &c. è purpura, seu conchylio aut murice exprimitur succus, liquor, ros, sanies, fucus, qui ostrum, murex, purpura appellatur. E testis fiunt vasa, quæ dicuntur Porcellana, & Encaustica. Pecten est conchyle margaritiferum, quod gravi- *Testacea.*

datur rore cœlesti, & in partu emittit margaritas seu margarita aut uniones.

Insecta aquatilia. *Insecta* elementi hujus sunt: hirúdo affigens se cuti nudipedis, exugénsq; linguâ bisculâ sanguinem; tipula tantâ levitate supra aquas cursans vel stans, ut non desidat; seta aquatica equinum crinem referens: spongia petris adhærescens

Proverbialia piscium & Symbolica. Hæc de piscibus, quorum innumera cùm sint genera, nobis sufficiat hos appellatione notiores recensuisse. *Discerius.* Ad pleniorem eorum cognitionem induxit me pecoris hæc Neptunii, in classes distributio. *Mercurialis.* Tu cùm magis eruditionem captes, quàm pisces: habes hinc, in gratiam exempli, Adagia; qualia sunt: *magis mutus pisce*; unde *Pythagoras*: piscem ne edito, tanquam disciplinæ suæ domesticum, & silentii custodem. *Anguilla lubricior*, in vafrum & astutum; item *anguillam caudâ tenes*; in hominem fidei lubricæ; *delphinum natare doces*, hoc est, doctum vis instruere; *cancrum doces rectè ingredi*; indocili doctrinam impertis. *Polypi mentem obtine*; servi tempori. *Polypus est*, idem quod assentator seu adulator. *Piscis à capite putere incipit*; in principem mali exempli. *Piscis nequam nisi recens*; in hospitem ingratum ob moram temporis. *Hirudo nisi plena, non omittit cutem*; in avaros Exactores convenit. *Delphinus felle carens*, symbolum clementiæ. *Delphinus implicatus anchoræ*, symbolum Augusti Cæs. significans lentam festinationem: *Asellus marinus in ventriculo cor habens*, imago helluonum; *Sepia dolosorum & mendacium, &c.* Adde his historias; qualis de delphino, qui puerulo pro cymba, quotidianæ per undas viæ fuit. Adde fabellas; qualis de eodem vehente Arionem. Adde apologos; ut de cancro seniore frustrà cohortante juniores ad prorsus ingrediendum, non retrorsum. Adde, lepidè

pidè aut mirè naturalia; qualis captura sargi amantis capras, & ideò insidias piscatoris, caprinâ pelle & cornibus vestiti, intrantis; quas Uranoscopus piscis unô oculô dexterrimè cavet. Sunt testudines in mari Indico, quarum singulæ superficie suâ, habitabiles casas integant; & similia sexcenta. Consule de his aliquando Gesnerum, Aldrovandum de testaceis: Rondeletium de piscibus: &, quem laudavi, Nierenbergium, Schottúmque; præ omnibus Plinium & Ælianum. *Desiderius.* Perge, quæso, perge enarrare plura. *Mercurialis.* Faciam; sed de terrestribus animantibus, ad quas itineris ratio nos dirigit.

Caput XIIX.

Quadrupedia; primùm mansueta, pecora, & jumenta.

Quadrupedia progenerant fœtum vivum, alúntque lacte uberum; grandiora unicum, & rariùs; minutiora plures, & frequentiùs.

Pro integumento habent vel pilos, vel villos, vel lanam, vel setas, vel squamas. Pedes autem vel *digitatos*, & armatos unguibus; vel *ungulatos*, & quidem *ungulá* vel solidâ, ut equus; vel bifidâ seu bisulcâ, ut bos, unde dicuntur *fissipedia*. Commissuram ungulæ vocant *coronam*, & quod in ea cavum, *chelidónem* seu hirundinem; *impetigo* dicitur squama, quæ in pedibus; *juba*, crinis à collo pendulus; quod in prioribus pedum est, *genu*, in posterioribus, *suffrago* vocatur; Caruncula in fronte pulli equini *hippomanes*. Tergus, corium, pellis, exuviæ sunt partes à carne separatæ; *armus* est in brutis, quod humerus in homine. *Partes Quadrupedum.*

Cornuta. Quædam sunt *Cornuta*, caréntque superioribus dentibus, (quia materia horum transit in cornua.) quocirca ruminant cibum, habéntque quatuor ventriculos contiguos: rumen seu rumam, reticulum, echínum, omásum, demúmque intestina. Adeps, arvina, sebum seu sevum, pinguedo succutanea sunt.

Mansueta. Quædam sunt *mansueta*, sub hominum cura viventia pecora & jumenta; alia ferocia sunt, feræ refugientes hominem, quæritantésq; sibi ipsi pastum, & se abdentes per loca tenebrosa.

Pecorum maximus est *taurus*, paleari pendulo notabilis; *vacca* prægnans dicitur forda seu horda; lactaria, lacteum habens succum; nondum fœta, *juvenca*, vitulus grandescens, *buculus vel bucula*.

Minorum pecudum sunt: *Oves* lanosæ cum agnis súbrumis & abrumis, *arietibúsq;* petulcis, qui vexati coniscunt & arietant, etsi cornibus mutili, quales sunt *sectarii vervéces*,

Armentum genus est pecoris ad opus armorum idonei; *grex*, minorum animalium congregatio.

Hirsutus *hircus* castratione fit *capo*; & hic, & ille, aruncô spectabilis; petulantes *hædi* seu capellæ circumcursitant capram, & carpunt virgulta; præsertim cytisum.

Setosi sunt *porci*; qui necdum castrati, vocantur *verres*, exsecti, majales; *porcelli*, suculæ, (lactentes) sugentes *scrofa* sumen, & colostram, dicuntur *nefrendes*; depulsi à mammis, *delici*; *porcétra* est sus, quæ semel peperit; *scrofa* (sus fructuaria) quæ frequenter, & maximè cùm pro numero mammarum parit porculos.

Jumentum est pecus operarium seu veterínum; inter quæ maximus *camelus* gibbosus, quo vehiculi vice utuntur: ex iis graciliores, vocantur *dromeda-*

rii, ob cursûs celeritatem. Huic proximus *equus*, jubâ insignis & caprónis, licèt ferox, recalcitrans, effrenis, indomitus; domatur tamen, ut sessori obtemperet; præsertim canterius (spado, castratus) factus, ubi & hinnire desinit; cui opponitur admissarius. Equus calce feriens, dicitur calcitro vel calcitrosus: si duri est oris, refractarius: si ructantis, ructator: si sessorem excutit, sternax; si pedibus offendit, cespitator; si succutit, succussator (succussorius, succussor, cruciator, tortor;) si vitiatæ suffragines, (flexuræ posteriorum crurium) suffraginosus; aut enervatus equitandô; si capite ad humum impingit, cernuus; si ægrè ducit anhelitum, suspiriosus; si facilè exterretur, pavidus, contumax, formidolosus, restitator: si malè habitus, strigosus: si arrodit præsepe, morsicator; si molliter glomerat gressus, seu tolutim incedit, tolutarius, (tolutaris) gradarius, asturco: si cursu tractim & subsultim incitato, tripedarius (barbati vocant gallopáre:) si sine ephippio, desultorius: si cum eo, ephippiatus: si nunquam ephippium (sellam equestrem) passus, intractatus & novus: si cum ferreis soleis, calceatus: si conductus mercede, meritorius & conductitius, si ad cursum publicè dispositus, verédus; si candicat, leucophæatum vel glaucum appella; si præfert albam in fronte maculam, (vulgò stellam) balium dicas; si coloris mixti ex albo cum spadiceo aut nigro, bicolorem. *Vid. Ind. Equus.* Equi.

Diminutiva sunt equulus, equuleus, mannus, mannulus; sed pandus asellus servit oneri bajulando, ruditque, cùm ab agasone vapulat; *mulus & mula*, ex equo & asino generantur, celeritate vincunt asinos, imponit tamen eis clitellas (quippe clitellariis) mulio; quorum bulli dicuntur *hinni*;

at *hinnuli*, (hinnulei) sunt cervorum, caprearum, damarum, &c.

Canes & feles (*ælūri*) sunt nobis custodes; illi pecoris contra fures: hi penoris contra mures.

Canes. *Canis* enim prodit advenam latratu; improvidéque appropinquantem mordet, (præsertim catenarius) vel certè latrat (baubatur;) si irrítes, diductô rictu ringitur; si percutias, quiritatur; sed rabidus, morsu reddit hydrophobos seu limphaticos, latratum edentes more canicularum vel catellorum.

Pumili catelli & catellæ dicuntur Melitenses (Melitæi;) magni, *Molossi, Britannici, Laconici, Albani*, apti venatui, venatici; auribus flaccidis & pendulis, *Gallici*, & sagaces; more turbinis cursu prævalentes, dicuntur *tigrides, dromades. lælapes*; sponte prædatum excurrentes, vertagi; proni in aquas, aquatici, plerumq; villosi; custodes domorum, domestici, *villatici, catenarii*; qui si millum in collo habent vel muricatum, vel sine muricibus, *millati*; si pecora tuentur, *pecuarii, pastorales*; si ex venatico & gregario nati, *hybrides vel hybridæ*.

Catus (vet. Lex murilegus) perreptans angulos domus odoratur ex muscerda mures, (quos muscipula non capit) tum insidiosè captat, discerpit, devorat. Minùs audet contra sorices, & mures majores (vulgò rattos.) Etiam noctu videt.

Adagia. *Desiderius*. Quid addis hisce ex Philologia? *Mercurialis*. Ex ingenti acervo tantum, quantum primis digitis carpi potest, eáque magis vulgaria; qualia sunt: *taurô ferocior, hædô lascivior, sue immundior, fele rapacior, cane mordacior, asinô pigrior, ove simplicior, scrofá fœcundior albá, &c. asinus esuriens negligit fustem; asinus in paleas*, de vorace; *asino unguentum*, de impensis in rem vilem, idem, *caput asini ne laves nitrô*.

nitro. *asinus ad lyram*; de re inepta. *asinum tondes vel ab asino lanam*; de aggredientibus rem inutilem & absurdam. Idem *asinum sub freno currere doces*. *asinus in pelle leonis*; de jactatore inani. *asinus mysteria portans*; de indigno ad munus. *asinus inter simias*; stolidus inter nasutos. *Protrusus in rupem asellus*; temerarium cœptum. *asinus stramentum mavult quàm aurum*, quippe sectans utilius; *asino das ossa, cani paleas*; præposterè. *Fœnum in cornu habet*; scil. bos cornipeta; de iracundo homine. *Bos mutus*, de stupido. *Bove venari leporem*, stultè. *Bos lassus fortiùs figit pedem*; in sene plus judicii, experientiæ, &c. *Melitæa catella*, puer deliciis innutritus. *Canis à corio non absterrebitur uncto*; prava consuetudo. *Cane pejus & angue odisse*. *Circulus seu annulus aureus in naribus suis*; forma in impudico. *Camelus saltat*; de affectata elegantia; item, *feli crocóton*, vestem delicatam. *Canis è Nilo*; obiter & leviter. *Canis timidus vehementiùs latrat*. *Caninum prandium*; quod absque vino. *Canis in lapidem saviens seu lapidem mordens*; de formidoloso; *canis vivens melior leone mortuo*; *sus tubam*; de audiente, non intelligente. *Dux gregis ipse caper*; variè. *Cùm mula pepererit*; hoc est, ad Græcas Calendas: (Græci enim non habent Calendas, more Latinorum, sed neomenías seu novilunia) *ab equo ad asinum*, ab honestiore conditione ad deteriorem. *Desiderius*. Quàm hæc jucunda scitu. *Mercurialis*. Quàm multa alia jucundiora in hoc argumento. Dic enim: cur Lares olim caninis exuviis vestiti? Cur Alexandri equus, Bucephalus dictus? quod pretium ejus? quis spiritus alienum insessorem præter Regem non admittentis? quid de incitato equo Caligulæ, cui Consulatum destinavit, Quid de equis Plutonis, Solis, &c. Quid de Pegaso, de equo Trojano, de equo Sejani, qui possessores fecit calamitosos? Quid de

variis

variis horum animalium ſymbolicis ſignificationibus? Quis neſcit bove, deſignari laborem; equo ſolutô libertatem; inſtratô armatóque ſignum belli denotari? Quàm ingenioſum illud recentioris Poëtæ emblema! Canis labens ulcera, cum lemmate: *fert lingua medelam*; quô exomologéſis piacularis exprimitur! *Deſiderius.* Quid amœnius hac viâ, viæque duce? Te ſequar ego, ſive per Syrtes iter æſtuoſas, ſive facturus per inhoſpitalem Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus lambit Hydaſpes. *Mercurialis.* Parciùs indulge votis. In feras & belluas jam incidemus.

Caput XIX.

Quadrupedes feræ, & amphibia animantia.

FEræ majores dicuntur *belluæ*; crudeliores *beſtiæ*. *Elephas ſeu Elephantus* belluarum maxima & prudentiſſima; dicitur terreri aſpectu muſculi, grunnitúque porcinô; habet duos dentes quatuor cubitorum, qui dant candidiſſimum ebur; pabulum verò attrahit *proboſcide ſeu promuſcide.*

Rhinoceros eſt corpulentiâ (*Plin.*) ferè æquali, indutus ſquamis oſſeis, & in naſo acutum gerens cornu, quô ſolet transfodere ventrem barri, cùm præliatur cum illo; alterum cornu minus in dorſo eminet. Utrumq; in pretio, quô venena enervantur. *Ælian. lib 17. c. 40. Plin. l 8. c. 20. Majol. colloq. 7.*

Unicornis ſeu *Monoceros*, ſpectandus cornu bicubitali, quod unicum in fronte habet acutiſſimum, ſingulari pollens adversùs venena virtute; quæ ſudore ſuô prodit; incolit abditiſſima deſerta: neque capi poteſt ob incredibilem celeritatem. De hoc *Ælianus lib. 16. c. 20.* eſſe magnitudine equi, jubâ ac pilis

pilis fulvum, apri caudâ. Meminit ejus *Paulus Jovius lib. 18. histor. & Marcus Polus lib. 13. c. 15.* nostérq; *Caspar Schottus in Phisiol. Cur. l. 8. c. 49.*

Dehinc feri boves, bicornes: *bubalus, urus, bisons, bonasus*; sed hic habet cornua ad oculos reflexa, & ad pugnandum inutilia.

Ex gestantibus ramosa cornua, *Alces* seu alce est maxima, habens tergum insecabile præ duritie, media inter equum & cervum; cujus ungula, instar bovis, bifida, valet adversus epilepsiam; velocitate tantâ, ut cursu diurnô supra octingenta decurrat stadia per nivem & glaciem. Animal Norvegis & Finnlandis notum, quibus ranger, vel rangifer dicitur: Germanis Elend. Vide *Aldrovand.*

Cervus præagilis, gestans cornua ramosa, quotannis decidua (regignuntur enim;) sed cervæ non sunt cornutæ; solus è brutis lacrimatur cervus moriturus; differt ab eo barbâ hircinâ *tragelaphus* (hircocervus, animal Bohemiæ notum:) *Subulo* est, cui prima erumpunt cornua seu subulæ, seu prosubulæ.

Damæ (cui non multùm absimilis *pygargus*, quanquam hoc nomine etiam appelletur aquilarum species,) cornua latescunt, id est, latiuscula sunt. *Ibici* in dorsum reflectuntur: *rupicapræ* sunt obunca, ut auxiliô horum insiliat rupes, desiliátque indemnis. *Capreolus* cum sua *caprea*, & hinnulis, est minimus corniferorum seu cornigerorum; *oryx* habet pilos capiti obversos, unicornis, & bisulcus ungulis.

Bestiæ non sunt cornutæ, sed armatæ unguibus ac dentibus, quia non sunt herbaticæ, sed carnivoræ. Ut *Leo* robustissimus earum, armis hirtis, præsertim caudâ; apertis oculis somnum capit; Leæna vel lea primô partu quinq; fert catulos, perque annos singulos deficit singulis, dum post unum omninò sterilescit.

lescit. Aristot. Plin. Terrentur leones strepitu rotarum, gallorum cantu, & igne.

Pardus dimittit prædam cùm ternô nôn assequitur saltu; habet pellem distinctam maculis; *pardalis* seu panthéra paululum diversam, inter albicantibus punctulis. Panthera minor *Oppiano*, vulgò Genetta catus, est nigricantibus. *Leopardus* ex pardo & lea natus. *Camelopardalis* ex camelo & *panthera*. Earum oculi in tenebris fulgent, in Sole obscurantur.

Tigris omnium sævissima, (& ipsa maculosa) pulsu tympanorum adeò efferatur, ut dilaceret seipsam; capiendam eludunt falsa sub imagine vitri. *Lynx* aliquantò minor, haud dispar ferocitate, visûs præacuti, tergoréque coloratô. Hyæna corpora sepulta eruit, magnitudine lupum æquans; ejus umbræ contactu obmutescunt canes. *Crocúta* ex hyæna & leæna gignitur, voces & ipsa humanas imitans. *Mantichora* humanô propè vultu, leonis magnitudine, caudâ aculeatâ, sævitie reliquas omnes superat, humanarum appetentissima carnium,

Ursus villosus continet se per hiemem in spelæis sine victu; ursa refringit catulos circumlambendô, quia semiformes nascuntur.

Lupus, voracissima bestiarum, famelicus ululat, fugatur lapidum concussione. Deficiente prædâ, in orbem acti lupi, debiliorem devorant. Vulpes gulosa & dolosa nunquam cicuratur, vere glabrescit, & fit depilis.

Onager (asinus silvestris) perhibetur pasci ventô, si herbæ desint; pullus ejus dicitur lalisio. *Musmônes* sunt aselli caprinô villô, quidam oves silvestres vocat; *aper*, pastus radicibus, spumat rostrô, frendétque dentibus, ferit ore fulmineô

neô vertagos ac venatores, & quandoque interimit.

Simia (ſimiolus, ſimius) quadrupedum ſola expers eſt caudæ, ridicula imitatrix operum humanorum; uti & *cercophyiécus*; nec non *cynocephalus*, hominis corpore, caninâ facie, & quæ *Genetha* dicitur felis. Inter ſimiarum genera Sphinx eſt, animal ſuperiore parte hominem referens, glabrô & mammis candidis tumeſcente, pectore, & dorsô hiſpidô, caudâ nigri coloris oblongâ. *Pier. in Hierogl. lib. 6. cap. 11.*

Lepus (quô nihil timidius) dormit oculis patentibus, ac, ſi quid ſtrepit, mox arrigit aures, vel proripit ſe, & confugit ad dumeta. Si non poteſt aufugere, & capitur, vagit. *Cuniculô* nihil fœcundius, ut qui non tantùm crebrò fœtat, ſed & ſuperfœtat; cuniculos fodiens ſub terra. Utriq; vocantur *daſypi* vel daſypodes, à pedibus villoſis & hirſutis.

Erinaceus (echinus, hericius, herinaceus) visô periculô convolvit ſe in globum, erigítq; aculeos, ne prehendi queat. In autumno volutat corpus ſuper per poma recentia, aut uvas, eásque ſpinis affigit. *Hyſtrix*, cùm intendit cutem, habet aculeos miſſiles, eósq; jaculatur velut ſpicula, vulnerátq; inſequentes canes. *Melis* ſeu mellis (taxus, taſſus, taxo, taſſo) dicta eſt, quòd mellis ſit avidiſſima, ſufflatâ & ipſa cute morſus canum, ictúsq; hominum arcet. Adeps illius medicinis eſt utilis.

Gazéla exſudat fragrantiſſimum moſchum. Nec diſſimilem huic catus ſeu felis Zibethica aut Zibellina, geſtans odoratum excrementium in loculo inter femora; cujus major tunc copia provenit, quando virgis exagitatur.

Catti ſilveſtres, ac martes, inter quas ſunt ictides, vel omninò eædem, ut vult *Plin. l. 29. c. 4.* Præcipuè martes

martes Scythicæ; mustelæ silvestres seu Alpinæ, & domesticæ; & viverræ; & mures: Ponticus, Noricus, Alpinus, Araneus, Sarmaticus, Armenius, odoratus peregrinus. S. Hieronym. valent ad pellicea.

Sciurus facit sibi umbellam umbrosâ suâ caudâ, & alæ locô utitur, dum transvolat de arbore in arborem; in tranandis, dum cortici insistit, aquis, eadem pro velo est. Mele & glire nihil est somnilentius.

Sorex, cricetus, universúsque grex murinus (segetibus inimicus) cavant sibi foramina, in quibus hibernant, cæca talpa, suffodiens campos, facit grumos. Nitedula, mus agrestis, aliàs idem, quod cicindéla.

Quadrupedia amphibia. Sunt deniq; *quadrupedes Amphibia,* terram pariter incolentia & aquam. *Fiber* (seu castor aut canis ponticus) ac *lutra* seu lutris, pilosæ, caninæque formæ; jejuna adversô flumine fertur: satura secundô. Sed prior habet caudam squameam, pedésq; posteriores anserinos. *Crocodilus* movet superiorem mandibulam inter mandendum; fugit insequentem, & fugientem sequitur; perpetuum ei bellum cum ichnevmone (de quo superiùs) conspectô homine emittit lacrimas: appropinquantem devorat. *Testudo* est clypeata, ranáq; coaxans, cum *bufone* venenato & *rubeta* ac *calamita* innoxia.

Qui de animalibus, præsertim peregrinis, rariora sectatur, adeat Ælianum, Plinium, & recentiorem Gesnerum. Item legat nostri Joannis Nierenbergii Historiam Naturalem, & Casparis Schotti Physiologiam Curiosam. Apud quos, inter alias bestias, reperiet cerigones, vulpium magnitudine, catulos in duabus veluti manticis, ex alvo dependentibus, circumferentes. Quibus affine animal, quod Pigritiam vocant, ventris adipe humum verren-

rentem, & nunquam in pedes exſurgentem. De quo Athanaſius Kircher. lib. 1. Muſurgiæ c. 14. refert, ejus vocem ha ha ha gradatim muſico cantui reſpondere, la, ſol, fa, mi, re, & archopithecum nominari. Aliud animal, Gulonem appellant, Livonibus notum, capite felinô, caudâ vulpinâ, quod cadaveribus paſcitur, & obſaturatum, mox evacuatur, iterúmq; repletur. Aliúdq; apud *Maff. Hiſt. Ind. l. 5.* Cabim nuncupatur, cujus oſſa geſtata nullum è vulneribus ſanguinem dimittunt. Nobis hiſce non licet immorari.

Huc revocantur *Zoophyta*, (ſive terreſtria, ſive aquatilia) quæ ſunt animalia imperfecta, plantarum inſtar immobilia, certóque adhærentia loco; contrahunt ſe tamen, & ad contactum quaſi refugiunt, ut ſunt ſpongiæ, & urticæ marinæ. Mirabilis eſt radix illa Palæſtinæ Baaris, quæ, teſte *Joſepho lib. 7. belli Judaici*, veſperi, ſimilis flammæ, inſtar jubaris fulgurat, refugítque accedentem & evellere tentantem, nec capi poteſt priùs, quàm aliquô ſuccô conſpergatur. *Deſiderius.* O quàm magnus & mirus in parvis Deus! *Mercurialis.* Altiùs exclamares, ſi altiùs arcana naturæ pernoſſes. Nos inter ambulandum quaſdam ex hac animantium feritate (quas qui cicurant, manſuetarii dicuntur) in manſuetioris literaturæ cenſum transferamus. Elephas caduco trunco innixus capitur; divitiarum & humanarum rerum inconſtantiam notat. Ellephantis partus, de re magnæ & longæ exſpectationis: parturit enim decem annis. *Ex muſca elephantum*, de nimia rei exaggeratione. *Rhinocerôtis naſus*, de ſagace. Cervus longævus & fugax; in Gallia captus cum torque, cui inſcriptum: *Hoc me Cæſar donavit* *Ubi cervi cornua abjiciunt*, de loco abdito & abſtruſo. Leo ſymbolum vigilantis Principis. *Ex*

Zoophyta.

Symbola & Adagia.

ungue leo. Leonem larvâ territas. Leoni mortuo insultant lepores. Furit ut tigris raptis catulis. Tigridis ubera suxit. Lupus in fabula : si superveniens amputat loquendi facultatem; nam lupi visi adimunt vocem. *Homo homini lupus. Ovem lupo commisisti. Lupus non curat numerum. Lupus pilum mutat, non mentem. Lupum tenere auribus*; de re plena periculi. *Lupus circa puteum agit chorum*, videlicet circumiens, & frustrà inhians aquæ; de vana spe. *Ale luporum catulos*; ingratos & malum pro bono reddentes. *Lepores duos insequens, neutrum capit. Leporem non edit*; in informem: *Ex ore lupi*; de re præter spem recepta. *Ursi fumantem nasum ne tentaveris, nec instar onagri te putes esse liberum*; quòd si disputandum, instar erinacei in formam pilæ te convolve, ne prehendi possit quidquam, præter aculeos, seu acuta responsa. *Murem imitare: uni non fidit antro.* Mus Armenius, limô ante ostium cavernæ illitô, capi se potiùs à venatoribus, quàm eô fædari patitur. Typus castitatis. *Vulpes esse noli, quia fraudulenta bestia*; quanquam non defuit, qui putabat leoninæ pelli caudam assuendam vulpinam; quod in usu etiam hodiè Pseudopoliticis. Id probo in vulpecula, quòd, semel elapsa, difficulter iterum capiatur laqueô; si quid est factu facile, vulpem cogita, quæ pyrum comest; si quis versutus; *cum vulpe vulpinandum est*. Ostentatorem in vestibus, simiam in purpura nomina. Et simiam matrem illam appella, quæ complexu, hoc est, stultô amore enecat filios; & de nobili genere, sed indocto: *Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia*; & de fucatis facie fœminis: *simiarum pulcherrima deformis*, & de ficto fletu: *Crocodili lacrimæ.* Quòd autem sorex suô indiciô se prodat & pereat; de quo? *Desiderius.* De garrulo & mendaci puero. *Mercurialis.* Non malè. Hinc protollamus gressum ad

Sanctius

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ;
Deus
Os illi sublime dedit, cælúmque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

de quo eleganter *Lactantius*: Solus ex omnibus cœleste ac divinum animal homo, cujus corpus ex humo (nomen quoq;) excitatum, vultus sublimis, status erectus originem suam quærit, &, quasi contemptâ humilitate terræ, ad altum nititur, quia sentit Summum Bonum in Summo sibi quærendum, memórq; conditionis suæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat.

CAPUT XX.

Homo.

HActenus collustravimus classes rerum conditarum, quibus quia Creator dedit dominatorem conformatum ad imaginem suam; hunc, agedum, speculemur, sed intentè; ne, aliis cognitioni tuæ subjectis, ipsum te ignores, corpore brutis similem, mente ad Angelicam excelsitatem factum. Es autem, secundùm Philosophos, *Microcosmus*, cujus cœlum sit anima; in qua Sol Ratio, lumen voluntas; ejusdem actiones & actus reliqua sidera, errantia quidem, si à recta mentis semita devias: Fixa, si constantem servant, & imperturbatum virtutis ordinem.

Microcosmi mundus inferior est corpus, in quo caro terra; sanguis aqua; spiritus vitalis aër; bilis ignis; cor aurum; cerebrum argentum; sensus gemmæ; meteóra affectiones; fulmina ira; pluvia tristitia.

Homo conceptus in utero matris dicitur *embryo*; editus in lucem *infans*; tum *puellus* ac pusio; puerulus, pupulus; impubis, *puer*; pubescens, *adolescens* (pu- *Ætatis humanæ incrementa.*

(puber, ephebus;) assecutus terminum staturæ, *juvenis*; tum *vir*; mox provectiore ætate *senex*, denique in decrepita senecta, *senecio, silicernium, capularis, depontanus.* Sic è pupa fit puella, tum adolescentula, inde juvencula; dehinc mulier; tandem annosa vetula (anicula) edentula.

Ita humanæ vitæ curriculum nihil est, nisi nasci, puerascere, adolescere seu pubescere, virescere, senescere, mori.

Occupationes singularium ætatum.

Si attendas ætatis occupationes; infantia se ipsam ignorat; pueritia ludicris transigitur; adolescentia curiosis afficitur; juventus vanis oblectatur; virilis ætas laboribus fatigatur; senectus relabitur ad puerilem infirmitatem (repuerascit, fitque bis puer;) donec senilis marcor consumat & consummet vitam, nimis quàm fugacem.

Interea tamen in hac vitæ usura demandantur nobis magna peragenda, ut præparemur beatæ æternitati, in quam ex rebus cum virtute gestis intromittendi sumus. Disce igitur, te ipsum nosse, tuíq; notitiâ in salutem uti, memor illius: *γνῶθι σεαυτόν* quod Satyricus monet figendum, & memori tractandum pectore.

Septem gradus ætatis humanæ.

Hippocrates ætatis humanæ septem gradus constituit. Infantiæ vult esse finem annum septimum; pueritiæ decimum quartum; adolescentiæ duodetricesimum; juventutis tricesimum quintum; virilis ætatis quadragesimum secundum: senectutis quinquagesimum sextum; senii novissimum annum vitæ humanæ; senectæ vitia sunt tenacitas & avaritia; effusio juvenum; de his Poëta Venusinus:

Imberbis juvenis tandem custode relictô
Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti: monitoribus asper:

Uti-

Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúsque, & amata relinquere pernix.

De his ætatibus Dicta mihi occurrunt: *Nuces pueriles relinquere; excessit è pueris, à puero assuevit, vel à pueris, à teneris unguiculis ad hoc instituti fuerunt.* Puer Juvenali dicitur bullatus heres, quia olim bulla (nobilioribus aurea) in cordis figuram formata infantibus suspensa. Infans & infantia de eo dicitur, qui rem, quam novit, verbis explicare non potest: *Senectus leonis præstantior hinnulorum juventá*; de senecta cruda viridíque, aut viri fortis ac strenui. *Optimum obsonium senectuti labor* (præteritus.) *Senectus non sola venit*; multi cum ipsa morbi ac molestiæ. De effœto: *alterum pedem in cymba Charontis habet. Ætas senecta, corpus senectum. Vivax senectus*, cujus symbolum serpens, tempore vernô pellem exuens. Consilium in senibus & maturitas judicii per mespilum arborem, cum lemmate: *non matura priùs, quàm putrida.* Adolescentiæ seu Juventutis imago adolescens, velatis oculis equo feroci insidens cum lemmate: *quò tendis?* & responso muti digiti, in equum intenti: *quò huic libet.* Vitæ verò humanæ brevitas & fragilitas per puerum inflantem aqueas bullas, cum epigraphe: *homo bulla.* De fœmina hæc tria: *mutabile semper fœmina*; alterum: *ad lacrimas oculos erudiere suos*; tertium: *urítque videndô.* Addo fabulam Promethei fingentis è luto hominem, & particulam leonis addentis stomacho; hinc stomachosi; hinc etiam, meliore de luto ficti, qui sagacioris & perspicacioris indolis. *Desiderius.* Ut me delectant hæc parerga. *Mercurialis.* Protogenes Satyrum pinxit cum perdice; hujus contemplationi cùm inhiarent omnes, delevit Satyrum, ægrè ferens, additamentum præferri operis capiti. *Desiderius.* Video, quid velis; ad alia. *Mercurialis.* Equidem

Philologica.

dem ad eadem; nam de homine agemus pluribus. Hoc obiter: hominum frusta, dici parvos; pessimos verò, bipedum nequissimos.

Caput XXI.

Corporis humani externa membra.

Corporis nostri compagem, rationalis *Quintil.* animæ habitaculum organicum, tanquam illustre sapientissimi specimen architecti, nemo satis mirari queat, si articulatim spectetur.

Quæ membra bina data sunt, ex adverso locantur ad latera; quæ singula, per medium; præstabiliora supremô locô vel intimô; sequiora infimô vel extremô.

Capilli. *Capilli* (crines, capillitium) contegunt potissimam partem capitis, súntq; cirri, cincinni, comæ, cæsaries. *Antiæ* vel *caprónæ* demittuntur in frontem, anteventuli vel propenduli, *Crobylus* est virorum, *scorpius* puerorum, *corymbi* fœminarum. Sunt autem capilli tonsi, intonsi, pexi, impexi, asperi, rigidi, crispi, hirsuti, culti, inculti, simplices, neglecti, incompositi, concinnati, compti, sparsi, in humeros effusi seu diffusi, per scapulas immissi, nodati, vibrati, calamistrati, crispati, obliquati, vittati, intricati, explicati. Inde comati, cæsariati, capillati, criniti, crispuli, hircipili, horripili, cani, &c. Capillamentum sutile est coma adoptiva seu adscititia, galericulum. Apulejo, relícina coma dicitur, quæ versùs occiput est refuga.

Facies. Anteriorem partem decorat *facies*, quæ naturalis est à matre; at vultus ab affectu ducitur & dicitur: ex illa dignoscimus personas; ex hoc motus animi. Unde vultus suspensus, incertus, obscurus, ambiguus, gravis, minax; hinc vultuosus, & dimin. vulticulus.

In

In facie *frons* eminet, figura propè semicirculari, desinens utrinq; in tempora, plerisq; glabra, paucis hispida, senescentibus rugosa, lætis erugata, explicata, porrecta, serena; iracundis contracta, caperata, striata, severa; tristibus obducta. Aliquibus lata, aliis angusta, quibusdam tuberosa; inverecundis attrita, perfricta; verecundis liberalis. *Frons.*

Oculi (lumina) subjacent fronti, fenestræ animi, animi, mentis interpretes, figurarum judices, mobiles, lubrici, & quoquo versum emissitii, acres, acuti, lyncei, hebetes, clari, nitidi, truces, torvi, flagrantes, transversi seu limi, obliqui, eminentes, in cavitatem reducti, noctuini seu glauci, herbei, nigelli, aquilini, milvini; prodentes iratum, propitium, lætantem, dolentem, fortem, ignavum, audacem, timidum, amantem, odiô affectum. Facti sunt ex *tunicis* tribus, (juxta alios è quinq; *v. c. 25.*) scilicet Cornea, Uvea, & quæ dicitur Aranea seu Reticulata, quam eandem asserunt esse cum nervo optico; & transparentibus humoribus tribus, Aqueo, Crystallino, Vitreo. Prominuli cernunt obscuriùs, profundiores clariùs. Sed *hirqui* seu anguli sudant sæpè lacrimas, quotidiè *gramias.* *Oculi.*

Pupilla seu *pupula* (circumfusa albô, seu albugine aut albumine) est speculum, in quo imagunculæ rerum objectarum resplendent in forma pupularum. *Iris* est circulus ambiens pupillam; orbis seu *sinus* aut *pelvis*, est oculi cavum. Pupillam humectant *palpebræ* nictandô; *cilia* verò (è crepidine palpebrarum enata) unà cum *superciliis* prohibent, nequid incidat.

Auriculæ sunt adaptatæ auribus; patulæ ad repercutiendos sonos, & cavatæ, atque anfractibus flexuosæ. Infima pars, *ansa* auriculæ; summa dicitur *pinnula*; *capreolus* exterior ambitus; corneolus *Aures.*

 est

eſt introitus, ut, ſi qua minima beſtiola conaretur irrumpere, in ſordibus illarum, tanquam in viſco, inhæreſceret, ſonúſque multis flexibus relatus amplificaretur. Pars interior dicitur *ſcapha* (cavitas, concha ;) pars latior cartilaginea, *pinna* ; *teſtudo* eſt, quâ foramen & meatus patet. Stapes quid ſint, & incus, & malleolus, vide infrà de auditu, *cap. 27.*

Naſus. *Naſus* incipit ad *intercilium* (medium inter ſupercilia ſpatium,) datus reſpirationis & olfactûs causâ. Demittit ſe inter duas genas, diſcriminatúrque in duo *ſpiracula* ſeu reſpiramina, id eſt, nares, ideò contractiores, ne quid nocens poſſit pervadere; habentes humorem ad pulverem, & multa alia repellenda utilem ; per quas demanans *mucus*, detinetur à *vibriſſis* ſeu pilis, ne defluat ante munctionem, quâ ſe mucroſi emungunt. Orbiculus protuberans naſi, *pirula* vocatur ; pulpæ, ſeu carnoſæ partes utrinque ſepientes, vocantur *alæ* vel *pinnulæ*: Cartilago diſcriminas nares dicitur *interfinium* (iſthmus & imbrex:) pars recta naſi, *columna* ; quæ ſi in medio aſſurgit, naſum facit aquilinum.

Labra, Os, Malæ. Infra hunc ſunt rubicunda *labra* (inferiora, propriè dicuntur *labia*,) *os* apertile ; tum *mentum* & *malæ*, ephebis lanugine, viris barbâ intectæ. *Bucca*, mala inferior eſt, depreſſiórque. Labri ſuperioris cavum dicitur *lacuna* vel *philtrum* ;) inferioris ſcrobiculus, nomen habet *nympha* ; quâ appellatione afficitur etiam cavernula utriusque malæ recedens.

Barba. Labrum, quod ori supernè imminet, tegitur *myſtace* bipartitô ; utrumque ſæpe barbitiô aut *aruncô*, qui eſt barba promiſſa ac prolixa, ad pubem aliquando porrecta. Sed quidam ſunt imberbes & inveſtes ; alii à barba barbatuli : alii barbati & multibarbi, barbitium ſuum paſcentes, alentes, permulcentes. Quidam barbeſcunt (*Gellio* veſticipes.) Barba raditur,

ditur, rasitatur, demitur, ponitur, deponitur, sæpiúsque depectitur, sæpissiméque mutatur.

Jugulum pars est colli anterior, (quæ nonnunquam *gula* dicitur,) in qua *guttur* (animæ canalis, seu canna pulmonis, vel aspera arteria.) *Cervix*, pars colli posterior est. *Gula* (æsophagus, seu canalis, per quem descendit cibus, *Lactantio*, fistula cibalis,) cujus pars summa, fauces: postrema, stomachus.

Pectus & inferiora.

Pectus turget papillis, quod hirtum maribus calidioribus; in fœminis sunt *mammæ*, mammillæ, ubera. Pars pectoris anterior, quâ concurrunt costæ, dicitur *sternon*, pertingítque ad *os ensiforme*. Infra *thoracem* est *venter* seu alvus; cujus anterior pars continet *hypochondria*, & *scrobulam* cordis; media *umbilicum*; infima *abdómen*, (sumen, aqualiculum) cum adjacentibus *verendis*, (genitalibus, pudendis, velandis) quæ ut nudare, ita nominare pudor vetat.

Tergum & adjuncta. *Latera.*

Tergum habet *humeros, dorsum, lumbos* & *nates* (podicem; anum) obvolutas *clunibus*, sessionis gratiâ. Ad *latera* sunt *axillæ* & *hypochondria* (partes subjectæ costis *nothis* Latinè præcordia; quanquam hæc vox significat etiam partes interiores, cordi vicinas;) sub axillis sunt pili subalares, & *hircus*, alarum virus.

Humeri, brachia, manus.

Ab *humeris* pendent torosa *brachia*; hinc flexiles cubiti, quibus inniti solemus; & *lacerti*, qui summa pars brachii; sicut infima, *manus*, perquam versatiles, ut quidvis pro lubitu versare ac informare possint, quarum sinistra tenet, dextra operatur; quamvis hoc se habeat apud scævolas contrariè: apud ambidextros indiscriminatim.

Manus cava, dicitur *vola* (in qua sunt variæ incisuræ ac lineæ;) diducta, est *palma*: contracta, *pugnus*;

Digiti. *gnus*; ab hoc colaphus: ab illa provenit alapa. Habétque *digitos* quinos, & quisque digitus, præter pollicem, *articulos* tres seu internodia, totidémq; *condylos* seu nodos, quorum postremi exeunt in *ungues*: horum albida puncta dicuntur *nubecula*, quibus scabimus, scalpimus, lancinamus, laceramus. *Pollice* premimus; *Indice* monstramus; *Mediô* (verpô, infami) ludificamus; *Annulari seu Medicô* gestamus annulos; *Auricularis* servit pro auriscalpio. Pars prima manûs dicitur *carpus*, seu brachiale, unde exoriuntur digiti; *metacarpium* seu torus appellatur, quod inter pollicem & medium digitum interest, Græcis henar. Talitrum, est percussio convolutis inflicta digitis.

Femora & pedes. Infra coxas sunt *femora* seu femina; sub genibus *crura*: sub poplite *suræ*; à *suffragine*, seu flexura est imus pes, continens talos & *calcaneum*, seu calcem, plantámq; convexam, ejúsq; partem anteriorem, nempe *tarsum*; & callosum concavúmq; *solum*, (vulgò soleam) seu *volam* pedis: & *hallum* seu *hallúcem*, scil. pollicem cum digitis, quibus subnixi, eminentiùs protollimur.

Adagiones. Atque hæc standô; nunc ista procedendô: *Fronte capillatá, pòst est occasio calva. Ne scalpendis quidem auribus est otium. Adunca nare suspenditur*, qui subsannatur. *Naris emunctæ*, est homo sagax. *Nasum alicui fingere*; est ludere quempiam. *Ater, an albus, sit, ignoro*; de ignoto. *Inter os & offam multa cadunt*, vel: *inter calicem, supremáque labra. Manum de tabula*; interquiesce. *Manum non verterim, digitum non porrexerim*; etiam vernaculæ nostræ familiaria sunt. *Præxosos aut præmorsos sapit ungues*; dictio aut scriptio docta. *A capite ad calcem. Pulchrum est monstrari digitô, & dicier: hic est. Desiderius.* Hoc Demostheni in votis erat. *Mercurialis.* Atque hæc satis; Priùs enim

enim componat vesper olympum; quàm ut nos hujusce generis loquendi formulas in has viæ & temporis angustias componamus. *Desiderius.* Sic viam mirè mihi fallis & tempus. *Mercurialis.* Plenum gero his crepundiis marsupium, sed jam non promendis. *Desiderius.* Memini, me aliquando audire, miram esse partium corporis humani inter se in longum, latúmque proportionem, quæso, ne sine me hoc nescire. *Mercurialis.* Peram hanc meam, *cornu*, credo, putas esse *copiæ*, adeò aliud super aliud ibi condi, indéque depromi posse tibi persuades. Præbe aurem, implebo illam. Statura hominis recta proportione constantis, quatuor est cubitorum, seu pedum sex, vel viginti quatuor palmorum, vel septuaginta duorum pollicum; si manus conjungantur in medio pectore, ita ut extremitas unius medii digiti tangat extremitatem alterius, tunc latitudo à cubito ad cubitum est dimidia; longitudo capitis à mento ad verticem est octava pars totius longitudinis: extensorum brachiorum latitudo fit æqualis toti longitudini; medius digitus æquat longitudinem frontis: mediô digitô pes triplo, manus duplo longior est: pedis longitudo æquat pectoris latitudinem. Si homo extensis manibus & pedibus ambitum circuli contingat, ejus circuli centrum umbilicus erit. Hæc Anatomici; Tu si plura requiris, eos consule. *Desiderius.* Quod fieri potest paucioribus, non debet fieri pluribus. Mihi tua sufficiunt; Tu mihi ductor es, & via; alios non adeo. *Mercurialis.* Ut lubet; sponte enim tua, itineris te hujus comitem esse volo. Sed hinc eamus, ne serò venientibus

ossa.

CAPUT

CAPUT XXII.

Partes corporis ossea.

LIbétne introſpicere interranea? videbis mirabiliorem corporis humani ſtructuram; cujus fulcra oſſea circiter trecenta ſunt; diviſa in oſſa capitis, trunci, artuum.

Capitis partes oſſea. Capitis *calvaria* (calva) eſt pectinatim velut conſuta ex pluribus oſſibus. Suturæ ſeu commiſſuræ ſunt tres, & totidem cranii partes; ex quibus antica (anterior) dicitur *ſinciput*, media *vertex*, poſtica (poſterior) *occiput*; quæ omnes pericraniô teguntur. Utrinq; ſunt tempora, ſic dicta à cognoſcendis annis. Oſſa transverſa in temporibus, aures complectentia, vocantur Anatomicis *forcipes*. Duæ ſunt *maxillæ*, (mandibulæ) quarum ſuperior immobilis; inferior rotunda in hominibus, oblonga in brutis; continent triginta duos dentes, in totidem alveolis; Anteriores ſeu Primores infrà ſupráque quaterni, vocantur *Inciſores*; utrinque illis proximi, *Canini*; priores omnes *Gelaſini*; dehinc quinque *Maxillares* ſeu *Molares*. Primi cibum incídunt, ſecundi frangunt, tertii confractum atterunt & attenuant; poſtremò *Genuini* bini in extrema gingiva. Oſſa, quibus continentur, vocantur *præſepia*, *præſepiola*, *morsariola*, *cavernulæ*, *loculamenta*; committuntur *ſepto* (ſeptô ſeu maceriâ;) hæc veſtitur *gingivâ*: purgantur dentiſcalpiô (dentifriciô.) Oris cœlum ſeu cavitas, quod dentibus labiiſque quaſi palis munitum eſt, *palatum* dicitur. Infantes dentiunt, quando dentes mittunt.

Trunci oſſa cum ſ[illegible] artibus [illegible] *Truncum*, ſeu ſtipitem ſine capite & artubus, ſcilicet abſque manibus & pedibus conſtituunt in longum quidem *ſpina dorſi*, quæ, ut ſerviat corporis flexu-

flexuræ, ac erectioni, dissecta est in *vertebras* (verticulos, spondylos) triginta quatuor; quarum septem insunt *cervici* (quæ incipit à foramine occipitis, & desinit in initium pectoris:) duodecim tergo; quinque lumbis; quatuor ossi sacro; residuæ sex, ossi *coccygis*, (cartilagineo) cui nomen à similitudine, quam habet cum rostro cuculi, qui Græcè dicitur coccyx.

Ossa pectori muniendo sunt data; antrorsum *sternon*, (quà concurrunt costæ:) à tergo *scapulæ* duæ, quas cum sterno copulant *claviculæ* seu *jugula* (in avibus furculæ dictæ; utrinq; à latere costæ duodenæ, omnes exeuntes è vertebris spinæ, quarum septenæ superiores (longiores & firmiores, quas *Veras* vocant) articulatæ sunt cum sterno; quinas breviores appellant *Nothas*. *Os Sacrum* sub lumbis nominatur os ilium; in opposito (sub ventre) os pubis: ad latera, quà femoribus insistit, os coxæ vel coxendicis, Græcè ἰσχία, unde ischiadicus morbus, cum suis *acetabulis*, circa quæ versatur.

Artus, sunt manuum & pedum ossa; illa impacta *scapulis*, hæc *coxendicibus*. Ossa manus unius tot sunt, quot vertebræ spinæ dorsi: os brachii unum, cubiti duo (ulna & radius;) *carpi* ossicula octo; *metacarpii* quatuor; *pollicis* tria: reliquorum digitorum singulorum quaterna; conjunctim sedecim. *Ossa manuum.*

Sed in pede tricena sunt. Os *femoris* unum: *cruris* duo (*tibia* & *fibula*:) *tarsi* septem: *metacarpii* quinque: digitorum quatuordecim; & insuper *patella genualis*, *seu mola*. *Ossa pedum.*

Major ossa, sunt cava intrinsecus, continéntque medullam; minora tantùm succosa sunt; omnia contecta extrinsecus membranulis.

Junctura ossium simplici *commissurá* glutinantur, ubi *Junctura ossium.*

ubi sine flexu sunt: sed ubi debent flecti, cohærent articulatim, per insertum caput alterius, *cotylæ* (sinui, concavitati, acetabulo) alterius: interpositâ tamen cartilagine, (velut culcitrula) ne ossa mutuô contactu & attritu dolorem sentiant; ac ne etiam violentô motu divellantur, aut luxentur. Quilibet articulus circumligatur ligamentis firmissimis; est autem *ligamentum* filum durius, ossa inter se colligans, & reliquas partes ossibus connectens; *tenontes* (vulgò tendines, vel tendónes) sunt pars ligamenti; servientes arbitrario motui artuum. Cartilágo est osse mollior, & ex parte flexilis. Anatomici ossiculatim scrutantur ossa.

Dicta, ex ossis. Hinc Dicta sumuntur. *Dente Theoninô rodere*, id est, maledicô. *Dentem dente rodit; mordax mordacem. Dentes pruriunt*, avidè quid cupienti. *Lentiscum arrodit edax*, nam ex eo ligno dentiscalpia; *dentifrangibulo dentes franguntur*; ossifragus fracturâ ossium quempiam debilitat. *Quidam macilenti vix ossibus hærent; metuentibus concutit ossa tremor. Calvum vellis*; idem, quod aquam è pumice; anam ab asino; æthiopem lavas; littori loqueris; austrum percellis, &c. Nunc ab ossibus ad pulpam.

Caput XXIIII.

Carneæ partes corporis, & internæ.

Sceletos, est corporis compages ossea, sine carne; *caro* autem pars è sanguinis coagulo concocta, quæ sceleton circumvestit, non instar continuæ massæ, sed (ob diversas motiones membrorum) dispertita velut in funes carnosos, aut farcimina, quæ Anatomici vocant *musculos*, nervorum fibris circumjectos; *nervi* autem sunt tenues, quasi funiculi cavi, instrumenta sensuum, & motuum, ad articulos,

Musculi, nervi, fibræ.

los, & membra flectenda & extendenda, seu explicanda; à corde tractæ & profectæ, in omne corpus ducuntur. *Fibræ* sunt tenuia fila in extremitate viscerum, idoneæ attractioni, retentioni, expulsioni, &c. musculorum sunt quadringenti quinque: nervorum triginta paria.

Cerebrum officina actionum animalium, (cujus posterior pars dicitur Medicis *cerebellum*, ubi sedes memoriæ;) sicuti in sinu cerebri anteriori *sensus Communis*; in medio sensus Phantasiæ; convelatum geminâ *meninge* seu membranâ, quarum crassa & superior (cranio alligata) dicitur *dura mater*; tenuior & inferior cerebro proxima, *pia mater*. Hinc exit *sacra fistula*, (medulla spinæ;) & ab hac rami nervorum dividunt se per totum cotpus. *Cerebrum, ejusque partes.*

Cava trunci, sunt divisa in duas concamerationes, dissептas ab invicem; cavitatem succingit membrana, quæ *Pleura* dicitur carneô septô transversô, seu *diaphragmate*, supra quod est thorax.

Thorax continet præcordia, nempe cor, inclusum pericardio (involúcro, à quo humectatur, ne incandescat æstu,) figurâ pyramidali, unde prodit aörta magna, stipes, seu truncus arteriarum, (quæ sunt spirituum vitalium, & subtilissimi sanguinis vehicula) dividendarum per omne corpus; & pulmones circumdatos cordi, raritate quadam assimili spongiæ, contrahentes aspirandô, & dilatantes exspirandô. *Thoracis partes.*

Viscera Abdominis (Aqualiculi) sunt septem. 1. *Ventriculus*, cibi, potúsque receptaculum, cujus orificia duo; quorum superius dicitur Stomachus, excipiens alimentum: inferius Janitor, per quod Chylus cum Excrementis transit in *Intestina*, multos anfractus habentia, quorum commune vinculum, mesenterium. 2. Ventriculus est circumtectus omen- *Viscera Abdominis.*

omentô, (membranâ pingui; ad cujus dextram jacet *Jecur.* 3. (hepar, officina ſanguinis) cum oblonga *veſicula Fellis.* 4. (flavam bilem concipiente.) Ad ſiniſtram verò *Lien.* 5. ſeu *Splen.* Et in lumbis duo *Renes.* 6. (qui ſeroſum ex hepate humorem exceptum & percolatum tranſmittunt per Uretéres.) Tandémque *Urinaria Veſica.* 7. Omnia hæc ſunt circumtenſa Peritonæo (membranâ tenuiſſimâ ſed firmiſſimâ.) Tota verò corporis compages cute continetur; cujus exterior pars Cuticula, Græcis epidermis.

Deſiderius. Deum bonum! qualis hæc ſtructura, qualis fabrica! *Mercurialis.* Tacitus auſculta; creſcet admiratio. Sed priùs in viam, & ad noſtra Diverbia. Sceletos apud Ægyptios inter pocula circumferebatur cum carmine:

Diverbia.

Eheu nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti, poſtquam nos auferet orcus,
Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.

Ambigui ſenſus clauſula. Fibræ ſunt corneæ vel ferreæ homini immiſericordi, & dura præcordia; ſed mollia miſericordi. Quidam petulanti ſplene cachinnant; aliis difficili bile tumet jecur (à quo jecuſculum.) Ciceronis ſunt: *epiſtola plena ſtomachi; erupit is ſtomachum in aliquem: malum intra viſcera;* ſeditio inteſtina. Viſceratim dixit Ennius. Eleganter Plautus, de viſcerum doloribus; lien necat, renes dolent, pulmones diſtrahuntur, cruciatur jecur, radices cordis pereunt. Quid tibi occurrit? *Deſiderius.* Olim in extis victimarum plurimùm in utramque ſuperſtitionis partem valebant fibræ, unde minaces, triſtes, lætæ. *Mercurialis.* Eruditè. Quid aliud? *Deſiderius.* Guloſus, eſt homo abdomini ſuo natus. *Mercurialis.* Et tu ad ingenuas artes factus & natus es, qui tam liberaliter reſpondes. Videamúſ porrò, quid in corpore humano lateat ampliùs.

CA-

Caput XXIV.

Humores corporis cum spiritibus.

Quemadmodum ossa explentur carne; ita caro undatur humoribus; hos autem permeant spiritus, effectores omnium, quæ fiunt in corpore.

Humor primarius, est *Sanguis*, rubens & dulcis; tum *Pituita* (phlegma) subalbicans, & insipida; dehinc *Cholera* (bilis flava, & amara;) tandem *Melancholia* (bilis atra, & acida.) *Humores corporis.*

Pro præpollentia humorum inducitur diversitas Temperamenti; ut alii dicantur *Sanguinei*, calido-humidi, & alacres. Alii *Cholerici*, calido-sicci, & feroces. Alii *Phlegmatici*, frigido-humidi, & segnes. Alii *Melancholici*, frigido-sicci, & tristes. *Temperamenta diversa.*

Spiritus autem fiunt è depuratissimo sanguine; & diffundunt se per corpus totum, ad illud vegetandum, & excitandum, ut vivificat. *Naturalis* spiritus diffluit ex hepate per venas, canales sanguinis. *Vitalis* dissultat ex corde per arterias (venas pulsatiles.) *Animalis* dimánat è cerebro per nervos. *Spiritus trini.*

Quisque illorum fungitur munere suô peculiari. *Naturalis* distribuit membris nutrimentum. *Vitalis* communicat iisdem vividum calorem. *Animalis* dirigit sensum & motum; quæ singula, quâ ratione fiant, disce. Prius tamen aliquid pro Humaniore Eruditione præcerpendum ex dictis. *Eorum functiones.*

Eruditio.

Quam tu confers hîc symbolam? *Desiderius.* Hæret aqua. *Mercurialis.* Nequaquam; quis enim neget, benignam tibi venam ingenii fluere? quis inficietur, spiritus inesse generosos? Et nunquid legisti illud Curtianum, cùm Philippus Medicus dicit suum spiritum semper ex Alexandro Magno pependisse?

 Vul-

Vulgò notum est, quid sanguis sit pauperum. Non perinde; quomodo inter se distent homo sanguinarius, & herba sanguinaria. *Desiderius.* Quomodo? *Mercurialis.* Ille exprimit; ista supprimit sanguinem. Constitutionem corporis tui si vis nosse, cogita, quid somnies crebriùs. Nam Sanguineus læta, jucunda, hilaria Phantasia volvit; Melancholicus tristia, lugubria, funebria, horrifica; Cholericus jurgia, rixas, ignes, gladios, prælia, cædes; Phlegmaticus fluvios, puteos, pluvias, pisces, ranas. *Desiderius.* Ohe, jam novi me. Lapsus, ruinæ, foveæ, funera, sepulchra, mortuales larvæ me territant. *Mercurialis.* Gaude hinc. Nam teste Philosophô: *Omnis ingeniosus est melancholicus*: & vice versâ. Nunc ad id, unde nutrimur, & crescimus.

Caput XXV.

Functio naturalis.

OMmnia membra nutriuntur sanguine; sanguis autem fit ex concoctis alimentis, hoc modô.

Alimentum (incisum Prioribus dentibus, atque confractum Caninis, si quid durum fuit) manditur molaribus: mansúmq; demittitur è bucca per *gulam* in stomachum, qui ex utraque parte *tonsillas* attingens, palatô extremô atq; intimô terminatur; hic cùm agitatione & motibus linguæ cibum depulsum ac detrusum accepit, fit *concoctio prima*, hoc est, conversio congesti cibi & potus in chylum, (Græcis χύλωσις) qui pultis est instar vel cremoris ptisanæ; si quid hîc non sufficienter percoctum est, auget pituitam.

Concoctio prima.

Chylus.

Chylus defertur per inferius ostium (Anatomicis orificium) ventriculi in lactes, (sunt hæ graciliora

inte-

intestina, convoluta in multimodas spiras, & obvoluta mesenteriô, quod medium locum inter intestina obtinet, (Ciceroni intestinum medium) ibíque eliquatur puriùs, protusis fæcibus crassioribus per intestina crassiora, egestísq; & ejectis forâs, quæ dicuntur oleta & merdæ.

Faces è prima concoctione.

Quod autem nutriminis inest chylo, exugunt venæ *mesaraicæ*, (Græcis mesaréæ) immittúntque hepati per venam *portam*, ubi peragitur *concoctio secunda*, hoc est, chymus, qui est massa sanguinea; amotis inde per tres vias ternis excrementis, serosis, turbidis, perustis; nam, quod seorsum est, id meat ex hepate per venas emulgentes ad renes; ulteriúsque per venas albas (uretéres seu meatus oblongos) ad vesicam, cui urina instillatur, & exinde lotium mejendô ejicitur.

Chymus fit concoctio secunda.

Quod turbidum est in sanguinis confectione, id trahit ad se lien, (receptaculum atræ bilis) immittítque rursum intestino crasso per venulas certas. Tandem vesicula fellis receptat inflammatiores portiunculas sanguinis, transmittit itidem in intestina multiplicia, & tortuosa ad stringendum & relaxandum, *Cæcum, Colum, Rectum*, quæ inde stimulantur ad egerenda ciborum recrementa, onera; seu reliquias, ut Cicero loquitur; Celsus vocat alvi dejectiones; vulgò sordes & stercora. Intestinum *Jejunum* dicitur, quòd perpetuò inane reperiatur, dum continuo expellit, quidquid receperit, affluentis in se bilis acrimoniâ lacessitum. Antiqui *hiram & hillam* dixerunt.

Recrementa concoctionis secundæ.

Sanguis sic purificatus digeritur per venam cavam (quæ in parte gibba jecinoris) dimittentem ramusculos quoquoversus, ubi fit *concoctio tertia*; dum quodvis membrum bibit illum sanguinem exstillantem, & assimilat sibi lentâ agglutinatione, atque sic

Concoctio tertia.

in corpus vertit. *Excrementa* hujus tertiæ concoctionis ſunt impuritates membratim collectæ, expellendæ per poros cutis, & alia emunctoria, puta per ſudorem, ſputum, mucum, ſternutationem, ut ne faciant putreſcentes morbos.

Trium con-concoctionum declaratio major.

Hanc mirabilem naturæ operationem clariùs ſic accipe. *Prima cibi concoctio* (vulgò digeſtio) & converſio in chylum, fit in ſtomacho; ubi partes craſſæ, & ineptæ nutritioni egeruntur per fæces in ſeceſſum; *ſecunda concoctio* fit in hepate; ubi chylus vertitur in ſanguinem; partium verò inutilium ſecretio & egeſtio fit per urinam. *Tertia concoctio* fit in membris ſingulis, quæ ſanguinem ex hepate per venas acceptum ſibi aſſimilant, convertúntque in carnem; ubi egeſtio partium inutilium fit per poros, per quos partes ſanguinis ad carnem nihil addentes expelluntur per ſudores, vapores, exhalationes, &c.

Ergo quodcunque membrum indignum alimenti ſollicitat ſuas venulas: iſtæ venas: hæ jecur: jecur venas meſaraicas: hæ ventriculum; ventriculus verò corrúgat ſe, ſi non habet, quod det. & hoc eſt, quod vocamus *eſuriem*; *ſitim* autem, cùm opus eſt alimentô humidô, faucésq; areſiunt.

Nunc in itu quæ parerga? *Deſiderius. Fames eſt optimum cibi condimentum.* Plura ne require, jejunus ſum. *Mercurialis. Fames & mora bilem in naſum conciunt. Multa docet fames. Venter non habet aures. Bibit ut Afra ſerpens;* de valdè ſiticuloſo. *Oppidò famelicus eſt eſuritor, & pater eſuritionum. Fames auri ſacra eſt,* id eſt, deteſtabilis; rerum immundarum, obſcœna. Eriſichtonis & Tantali fames ſitíſq; celebrantur à Poëtis. *Ovidius lib. 8. metamorph.* famem ad vivum depingit. Nos feſtinemus eò, ubi moratur vita.

CAPUT

CAPUT XXVI.

Functio vitalis.

Vitalia sunt *Cor, Pulmo, Cerebrum, Jecur*; vitæ instrumenta. *Cor* fons vitæ, caloris nativi focus & fomes, arteriarum radix & pulsuum author, excoquit è purissima portione sanguinis flammulam (quæ spiritualis & vitalis dicitur) distribuendam per arterias in omnia membra. *Vitalia: Cor.*

Palpitat autem præ calore continenter: ut experiri potes contrectatu pectoris, arteriarúmq; pulsu; præsertim ad carpos, & ad tempora.

Pulmo ergo illi adjacens attrahit, distendendô se instar follium, frigidiusculum aërem, eúmq; afflandô cordi, refrigerat illud, rursúmq; se comprimendô, & tepefactum aërem reflandô, egurgitat fuliginosos halitus: quod spirare & respirare vocamus, per *systolen* & *diastolen*. *Pulmo.*

Quæ res cùm deserviat vitæ sospitandæ, factus est canalis ille (à faucibus oris in pulmonem descendens) ex cartilagineis annulis, ut posset patere semper, claudi nunquam; ne respiratio intercipiatur; dicitúrq; *arteria aspera.*

Atque hæc arteria est simul vocis instrumentum; quippe cujus summitas, *guttur*, habet rimulam fistulæ similem, quæ animam seu spiritum à pulmonibus exceptam respirat, & reddit. Cicero vocat ostium, adjunctum linguæ radicibus, quô stomachus adnectitur; in quam aër impulsus sonat; acutiùs vel graviùs; prout annulus *trachee* (fistulæ, quâ spiritus ab ore fertur ad pulmonem) se progerens, superior aut inferior, à *larynge* (quæ est summa pars arteriæ) distantiam facit. Articulatam vocem efficit varius soni allisus ad linguam, palatum, dentes, *Arteria vocis instrumentum.*

ubi quædam est caruncula pronunciationem adjuvans, (Anatom. *uvula* seu *plectrum*) variáque configuratio oris.

Multisonæ volucrum voces,

Inde est, quod brutorum voces multísonæ, & tamen unísonæ sint. Accipiter enim pipat, vultur pulpat, anser gingrit, gratitat, glacitat; anas tetrinnit, apis bombilat, aquila clangit: ciconia crepitat, glocerat, cygnus drensat: cicada frinnit: cornix corniculatur: (meliùs, cum *Persio*, cornicatur) corvus crocit, crocitat; unde crocitatio; cuculus cuculat: gallus cucúrit, canit; gallina gracillat, glocitat, glocit, singultit: graculus (monedula) frigulat, fringultat: grus gruit: hirundo trinsat: luscinia (aëdon, acredula) mitilat: milvus lipit, jugit: noctua cucubat: palumbes plausitat: passer pipit: perdix cacabat: pica garrit: regulus & merops zizinulant: strunus pisitat: turtur gemit: tinnunculus tinnit: ulula ululat: pulli (pipiones) pipillant: grillus grillat, pavo pupillat, psittacus garrit, vespertilio stridet, &c.

& aliorum animantium

Anguis sibilat: aries blacterat: aper frendet: asinus rudit: bos boat: canis latrat, baubatur, catulit: catulus glaucitat: cervus & onager rancent: equus hinnit: elephas (barrus) barrit, unde barritus; hircus mutit: leo & cervus rugit: lepus vagit: lupus ululat: lynx orcandô fremit; mustela dintrit: ovis balat: panthera caurit: sus grunnit, sorex desticat: rana coaxat: verres quirítat: vulpes gannit. *Pisces* carent voce, quia carent pulmone, ac tracheâ. At

Hominis voces & soni.

homo potest aliter atq; aliter sonare, dum tristis suspirat, flens singultit, ægrotus gemit, impatienter dolens plorat, ejulat, lamentatur: tacitè loquens mussat, mussitat, aut susurrat; sonorè clamat, vociferatur, ridet, cachinnatur. Pubescentes, cùm incipiunt subraucescere, dicuntur *hirqualli*, & *hirquallire*.

Quia

Quia verò trachéa non potest tolerare aliud præter aërem, (alioquin mox tumultuatur, tussiendóq; quærit expectorare rem molestam) additum ibi operculum (*epiglottis, gurgulio, sublinguium*) obturat laryngem, cùm alimentum *œsophago* ingeritur, ne quid effluat. *Tussis.*

Tonsillæ sunt, duæ fungosæ glandulæ, (vulgò *amygdalæ*) ibidem ad uvulam sitæ; veluti fontes salivæ (salivi) ad linguam salivandam.

Desiderius. Unde hæc in animantibus vocum discordia? *Mercurialis.* Pro varietate pulmonum, musculorum thoraci & costis interjectorum, asperæ arteriæ, laryngis, gurgulionis. Distinguit autem lingua sermonem, seu format articulatam vocem, dum aërem concavitate arteriæ pulsum, & in amplitudinem palati incidentem, variè frangit; quòd si ea sit hum ctior, aut mollior, balbuties inducitur, aut turbida vel impedita locutio. Ad vocis distinctionem faciunt dentes, excipientes ictum linguæ; & labra, suâ compressione aut diductione. *Unde vocum discordia?*

Desiderius. Quid philologikôs? *Mercurialis.* Idem abs te quæro. *Desiderius.* Ex fabellis didici, Æsopum in forum missum obsonatum, ut optimum emeret & pessimum, linguam domum retulisse.

Mercurialis. argutè. De corde ego paucula, cui nomen Isidorus à cura facit, quâ custodiendum sit. Primò membrum est animalis nobilissimum, sedes vitæ; quæ juxta Salomonem Sap. 2. vivax est in corde nostro igniculus, scintillas à se emittens & jaculans (verba scil. quæ loquimur,) & fumum (nempe spirationem;) qui, quemadmodum deficientibus scintillis redigitur in cinerem; ita, ubi in nobis desinit & sermo, & motus cordis, corpus in pulverem abit. Exinde significat locum in quemvis medium, ut cor maris (ejus profunditatem;) cor terræ (ejus

çentrum.) Tertiò denotat viſcera. Quartò animam. Quintò mentem, judicium, intelligentiam, prudentiam. Sic *Lucretius*:

Conſilium, quod nos animum mentémque vocamus;
Idque ſitum media regione in pectoris hæret.

Juxta *Tullium*, qui prudentiâ aut ſapientiâ caret, cor non habet; hinc ſapiens omnis, cordatus. Sextò voluntatem. Ita David: paratum cor meum, Deus. Ita Latinis res cordi eſt, quæ placet, & amatur. Ita corculum vocant, cui blandiri volunt.

In Symbolicis: cor ardens indicat amorem. In igne aut crate toſtum, iram. Colligatum cum altero; concordiam. In thuribulo fumans, preces ferventes; muribus ambeſum, curis afflictum. Triangulare eſt; non niſi trigonô, quô Deus trinus, & unus deſignatur, explendum. Unicâ pyramidis cuſpide, ſeu punctô ad terram vergit; cætera cœlo; in cujus ſimilitudinem continuô motu cietur. Ut nihil dicam de aliis ſenſibus myſticis, quos Cardiogogis relinquamus. Tu ai, quid hoc ænigma?

Dimidium ſphæræ, ſphæram, cum principe Romæ. *Deſiderius*. Quia de corde ſermo eſt; facilè divino tres literas, COR. *Mercurialis*. Cordatè. Convertamur ad ſenſus noſtros, & quomodo ſentiant, perſcrutemur.

Caput XXVII.

Functio animalis, cum ſenſu, motu & quiete.

Functiones ſpiritûs animalis.

SEdes *ſpirituum animalium* eſt in cerebro; unde illi excurrendô per nervos, (ad oculos, aures, nares, linguam, & per omne corpus) faciunt, ut, quidquid nos contingit, quale ſit, cognoſcatur.

Nam

Nam caleátne aliquid, an frigeat, comperies tangendô; (uruntur manus frigore, mordentur algore) humidum an ſiccum ſit, prenſandô; durum an molle (mollicellum) comprimendô; aſperum an læve, attrectandô; grave an leve, attollendô; ubi ſit in tenebris, palpandô.

Primus eſt ſenſus, *Tactus*, (totô corpore æqualiter fuſus, ut omnes ictus, omnésq; nimios & frigoris & caloris appulſus ſentire poſſimus, præſertim in nervis, carne, & cute, quô ſi afficimur blandè, voluptas eſt; ſi moleſtè, dolor; ſi blandulis prenſationibus, titillatio; ſi minutilis compunctiunculis, (*Senecæ*) pruritus. *Senſus Tactus.*

Idem ſpiritus examinat *ſapores* linguâ, poroſô & nervoſô membrô: deprehendítque, mel eſſe dulce, fel amarum, acetum acidum, piper acre, fructum maturum, ſapidum, (*Apicio*) immaturum, auſtérum; labruſcum, acerbum; multáque prorſus inſipida (*Gell.*) hoc eſt, corrupti, ingrati, infirmi, fatuíq; ſaporis, & inſulſa. Quædam ſunt acidula, ſubacida: quædam dulcicula, ſubdulcia: in quibusdam pinguis ſapor, dulcedo. (*Gail.*) Fici pingues, languidè dulces palmæ. (*Plin.*) Alia muſtea: quædam amara, amarulenta, fellea; alia aceſcunt, amareſcunt, exaceſcunt, immareſcunt, dulceſcunt, edulcantur: quædam vellicant linguam cum adſtrictione, &c. Eſtq; ſecundus ſenſus *Guſtus* ſeu guſtatus, qui ſecundùm *Ciceronem* habitat in ea parte oris, quâ eſculantis & poculentis iter natura patefecit. *Guſtus.*

Tertius eſt *Olfactus*, (odoratus) internoſcens odores, hoc eſt ſubtiliſſimas exhalationes rerum; quæ, permanandô ad nares, ſpiritum afficiunt vel gratè, ut ſunt ſuaveolentia, fragrantia; vel moleſtè, ut graveolentia. Sic aduſta caro exhalat nidorem; putida putorem; rancida rancorem; (quale ſolet *Olfactus.*

 eſſe

esse lardum & arvina) morticina fœtorem: omnia enim mucida, & situ corrupta, putent, sordent, fœtent, rancent: sunt olida, graveola, subrancida; alia obolent allium: alia redolent rosam. Est odor gravis, ingratus, injucundus, insuavis, malus, ignavus, inimicus; evanescit, aboletur, defluit, evaporat, exspirat.

Vis jam scire, quomodo fiat *Olfactio?* ausculta. Exterior nasus circa pirulam est corneus seu potiùs cartilagineus; à medio incipit esse osseus; os illud variis est foraminibus instar cribri, aut spongiæ pertusum (únde Anatom. *Colatorium* & *cribriforme* dicitur.) Ex his foraminibus, duo sunt majora, ex quibus gemini ducuntur meatus, quorum alter ad interiorem nasum pertingit, unde tanquam per canalem deferuntur excrementa cerebri ad nares, & pituita percolatur; alter versùs palatum tendit, vocantúrq; Anatom. *processus mammillares*, quia os illud cribri non multùm absimile est extremitati mammillæ; quibus adhærentes carunculæ dilatantur, cùm attrahimus aërem & transmittimus odorem; constringuntur, cùm exspiramus. Ita olfacimus & odoramur.

Visus. *Visus* est quartus & præstantissimus omnium sensus, quo discriminamus colores in oculo, qui est figuræ rotundæ. Ut sit omnem in partem mobilis ad excipiendas species, & rerum imagines. Componitur ex septem *Musculis* motoribus; quinque *Tunicis*; tribus *Humoribus*; unô *Nervô*, qui vocatur *Opticus*. Ex Tunicis prima dicitur *Adnata seu Alba*, ducens originem è pericranio, & maximam oculi partem circumtegens. Altera *Cornea*, quia corneæ lamellæ tenuissimæ, similis. Tertia *Uvea*, quòd uvæ folliculo, cui pedunculus detractus, assimiletur. Quarta *Reticularis* vel *Retina*; non quòd in retis morem contex-

Partes oculi.

ta,

ta, cùm ſit ſolida & denſa; ſed quia figuram refert hemiſphæricam, quale eſt genus quoddam retis piſcatorii, è ligneo circulo ſuſpenſi. Quinta *Aranea*, quia tenuiſſima & leviſſima. Ex humoribus, intimus dicitur *cryſtallinus*, ſeu κρυςαλλοειδής, ſive glacialis, quòd glaciem ſuâ pellucidate imitetur, etſi mollior ſit illâ. Proximus ei *Vitreus* ſeu *Albugineus*, quia vitro vel albugini ovi ſimillimus. Tertius *Aqueus*, ab aquæ ſimilitudine, ſitus in anteriore oculi parte, ut ſpecies in eo adumbratæ evidentiùs pingãtur in cryſtalloide, in qua ſecudùm *Ariſtotelem* fit *viſio*; alii dicunt eàm effici in fundo Tunicæ Reticularis. Reſidet autem in medio centri oculi cryſtallinus, quem ambit Aranea; vitreum amplectitur Tunica Reticularis; inter Uveam & Corneam interjacet Aqueus. Per uveæ foramen, pupilla cernitur. Ex colore hujus Tunicæ dicuntur oſculi cæſii, glauci, &c. *Adnata* cohibet oculum in ſua ſede, continetque. Nervus opticus, biſurcus, (*Plin.*) ex cerebro proficiſcens, oculis inſeritur, defértq; ſpiritus opticos, ſubtiles & puriſſimos, ſpeciéſq; ab oculo ad ſenſum communem trajicit, & à multis ſedes viſionis dicitur.

Inter *colores* albus & niger ſunt *extremi*; luteus ſeu flavus, cæruleus, viridis, ruber, *intermedii*. Albitudinis & nigritudinis (albedinis & nigredinis, alboris & nigroris) gradus ita dignoſce. Creta & ceruſſa eſt candida: fons argenteus: capillus canus: ebur lacteum: palea pallida: aſinus cinerus, cineraceus ſeu murínus: caro ruſſa ſeu ruſſea (vulgò incarnatus:) unguis albicans: pix eſt atra: æthiops fuſcus, aut etiam furvus: paſſer pullus: & anſer aquilus (ſubniger:) caſtanea ſpadicea (badia, ferruginea, Phœnicia,) oculi quidam bætici: carbo anthrácinus, fuligineus, piceus; corallium, & corvorum pennæ coracinæ. *Colores.*

Discrimen inter cærula & lutea.

Inter *cærulea* (cærula) & *lutea* discernes, si dices, caryophylla hyacinthina, violas janthinas (amethystinas) suggillationem (vibíces) lividam seu plumbeam: cyanum lapidem, vel cyaneum, subcæruleum (quidam & hyacinthinum dicunt;) felínos oculos, cæsios (glaucos, glaúcinos:) aurum verò est flavum, cadaver luridum, lupa rava, (ravilia, qui ravos oculos habet. Prompt.) lapis semicoctus, gilvus, cereus, cerinus, helvus: buxei vetularum dentes: ovi vitellum, luteum, croceum, crocinum.

Discrimen inter viridia & rubra.

Inter *viridia* & *rubra* sic discrimina; quercetum est herbeum (herbidum:) pinetum prasinum, (porraceum:) pontus vitreus, hyalinus, thalassinus, marínus; cùm undat, venetus: E rubris sunt: coccus vel coccum; (unde coccinus, coccineus) granum tinctorium seu infectorium; unde color ille, quem vulgò *carmesinum* vocant; inferioris splendoris est, purpureus, conchyliatus, ostrínus, è conchis collemus: Idem ab urbibus dicitur Tyrius & Melibœus, vulgò *scarlatinum* nominant. Labia sunt rubicunda, rosea; minium (cinnabaris, sandaraca factitia) est puniceum: lacca subpurpurea; flamma rutila; vulpecula rufa; leo fulvus. Quibus adde cervínus, mustelínus, &c. Lignum Brasilum vel Brasilicum dilutioris est purpuræ. Burrus dicitur, qui ex cibo & potione rubet.

Desiderius. Ita colores illustrâsti, ut me, ad illos non parùm cæcutientem, oppido illuminâris.

Mercurialis. Ne multùm moreris, si quando de coloratis alia atque alia judicia legeris; neque enim ignoro, quantas contentiones purpura & coccus (ut de aliis taceam) excitent. Nos cùm pluribus sentiamus, & loquamur. Neque illud valdè laborandum, quomodo novitia colorum discrimina ex-

pri-

primas; ſimpliciora habes; cum pictoribus miſce & finge compoſita.

Ita in viridibus quædam nomen accipiunt à pſittaco: quædam à pomo citrio; alia à malo, malina. Aut in luteis, à ſulphure, pomo aurantio, aurora, iride, &c. aut in cærulis, à flore malorum Perſicorum; aut in rubris vel purpureis: ut à ſanguine ſanguineus: à ceraſis ceraſinus; à violis violaceus: à malva ſeu maloche aut móloche, malochinus ſeu molochinus. *Colorum denominationes à rebus variis.*

Iterùm colorum alii ſunt pleni & ſaturi, abundantes, largi, ſuaves, floridi, liquidi, vividi, vegeti, pertinaces, &c. Alii remiſſi, diluti, ſurdi, fuſci, lenti, auſteri, ſubobſcuri, fugaces, obſoleti, evanidi.

Unde illæ diſtínctiones; ſubviridis, ſubrutilus, ſubalbidus, ſubruber, ſubrubicundus, ſubrúfus, ſubaquilus, ſubniger, ſubpallidus. Item rubicundulus, candidulus, nigellus, nigricans, &c. Et verba: albeſcit, rubeſcit, caneſcit, candicat, inalbeſcit, exalbeſcit, flavet, flaveſcit, rufeſcit ad ſatietatem, &c. Item unicolor, multicolor, verſicolor, maculoſus, aſperſus, tinctus, guttatus, guttis intertinctus, &c.

In auribus eſt officina *Auditus*, qui eſt quintus Senſus, ubi ſpiritus diſcriminat ſonos, (ſonores, ſonitus) id eſt, coagitationes concuſſi circa ſe aëris, quas percipiunt audiendi organa, quæ intelliguntur ex fabrica auris interna, nimirum primò eſt *anfractus* (ſeu cochlea) giratus, ſeu giris flexus, ejúſque foramen ſeu *exitus*; tum membranula (*tympanum*) illi foramini obtenſa; ſuprà hanc, cavitas, in qua tria oſſicula, quæ *Anatomicis* vocantur, *malleolus, incus, ſtapes,* ſibi mutuò incumbentia; inde *feneſtellæ* duæ, quemadmodum in nolis perforatis; tum *canaliculus* ad oſtiolum cannæ pulmonis, ſeu aſperæ arte- *Auditus.*

arteriæ, ut aër, qui eſt in aure, poſſit per reſpirationem agitari. Fit verò auditio in tympano; ubi aliud vibramen perciet clamor, aliud ſibilus &c. hinc varietas ſonorum in tibiarum nervorúmq; cantibus; intervalla, diſcrimina, & vocis genera permulta: canorum, fuſcum, lene, aſperum, grave, acutum, flexile, durum, &c.

Diverſi ſonitus. Sonitus cum geminatione repercuſſus, & reſonans, ac reboans, *echo* dicitur; modulatus, *cantio*; è fractura veniens, *fragor*; ex eliſis, *crepitus*; &, ſi vehementior ſit, *fremitus*; valdè tenuis, *tinnitus*; qui propriè metallorum eſt, &c.

Senſus tres interni. Ut autem ſentias, te ſentire, dati ſunt *Senſus Interni tres*. *Senſus Communis* ſub ſincipite; ubi etiam eſt appetitus geminus, vel potiùs unus, quem Philoſophi vocant *Concupiſcentem* & *Iraſcentem*. 2. *Phantaſia* ſeu vis imaginandi, ſub vertice; ubi ſpiritus tanquam in ſpecula ſtans arripit ſimulacrum cujuslibet rei viſæ, auditæ, olfactæ, guſtatæ, tactæ. Sed ibi, ubi Senſus habitat Communis, hæc eadem idóla ſpeculans, dijudicat. 3. *Memoria* ſub occipitio, illas icones in futurum recondit, & pro occaſione depromit.

Officium igitur *Senſus Communis* eſt, attendere; Phantaſiæ, imaginari; Memoriæ, meminiſſe; aut, ſi quid oblita fuerit, reminiſci. Idem animalis ſpiritus efficit motum, quem Philoſophi vocant localem, nobis dicitur facultas motrix, dum diſcurſans per nervos, & implens muſculos, hinc intendit ligamenta ſeu chordas (*Anatom. tendines*;) inde retrahit; quam intenſionem & attractionem ſequitur motus membri.

Motus localis.

Feſſus autem quærit quieſcere, ideóq; humoribus à corde ad cerebrum ſublatis, ibíque refrigeratis, & inde relabentibus, inducitur *ſopor* (quies) lixatis

Somnus.

tis sensibus, & ab operatione externa requiescentibus; quod est dormire, dum spiritus defessi & dispersi ac disperditi sese intra se recolligunt.

Naturalis enim spiritus maximè tunc vacat digestioni; *vitalis* reparat nativum calorem; *animalis* se ipsum in cerebro vegetans, & suas cellulas transcursans, in quæ phantasmata incidit, illa reassumit perspeculanda, quod *somnium* vocamus. *Somnium.*

Tempestivus sopor recreat nos, quia vires auctat; nimia vigilia fatigat, quia exhaurit; nec tam impensè debilitati inedia, quàm insomnia.

Qui dormiturit, is oscitat, & pandiculatur (totô corpore extenditur:) qui dormítat, is nictat oculis, & nutat capite; qui dormit, somniat, & aliquando stertit: qui edormivit, expergiscitur, (seu evigilat) experrectúsq; expergefacit (seu excitat) alios. *Varietas dormitionis.*

Desiderius. Vigilans ego hactenus dormitaveram, dum sentire me sensi, & quomodo sentirem, nescii; jam expergiscor.

Mercurialis. Etiamnum gramias in oculis circumfers, quas secuturis narationibus abstergam; nunc intereundum hos versiculos volve:

Nos aper auditu, præcellit aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.

Et insuper adverte, innumeras translationes à sensibus duci. V. g. *Odorari* pro rescíscere & sagaciter deprehendere; odor pro suspicione & rumore; olfacere pro deprehendere; subolere pro suspectum, obolere pro molestum esse, aut in suspicione; nasus pro judicio. Unde olet mendacium, lucernam, redolet Atticismum. *A Gustu* dicimus nos hominem degustâsse, regustâsse: esse ad gustum, ad palatum nostrum; devorâsse molestiam, tædium, viam; concoxisse injuriam. Et hæc: sapit arrogantiam: resipit juvenile quidpiam; nauseat audire; evomuit *Metaphoræ à sensibus ductæ.*

muit dolorem animi; exſpuit miſeriam; conſputavit alios maledictis; deſpuit ſeu contempſit. *A Viſu* oriuntur hæ phraſes; obſervari oculis pro recordari: proſpicere pro conſulere: deſpicere pro faſtidire: ſuſpicere pro æſtimare: connivere pro diſſimulare: cæcutire & hallucinari pro falli judiciô; Vide, id eſt, attende, cura, intellige, cognoſce, perfice; viderit ipſe, id eſt, ejus rei cura ſit ipſi. Videre licet; vide ſis, id eſt, ſi vis, &c. *Ab Auditu.* Non eſt audiendus, id eſt, non eſt ei credendum. Audi me. Benè audit, qui laudatur; malè, qui vituperatur; ægrè, qui Senſu Auditûs laborat. Audiens dicto, idem, quod obediens juſſiti. *A Tactu*: Rem acu tetigit; ſcopum tetigit; putat ſidera tangere vertice; tetigit ipſum; ſeu dictô perſtrinxit; commovit; tangit animum memoria; amor laudis. Vota tetigere Deos, frigidè dixit; mollis ſeu effœminatus eſt; durus & aſper. De coloribus vulgatum illud: cæcus ad colores; & de oſcitatione: oſcitante unô oſcitat & alter. De ſomno Poëtæ fingunt geminas ipſius portas; per alteram corneam vera ſomnia, per eburneam falſa exeunt. Juxta *Macrobium* inſomnium eſt, quod cum ſomno avolat & evaneſcit; Phantaſma ſeu Viſum quælibet ſpecies per quietem objecta; Somnium, quod figuris velatur, interpretatione intelligendis; Viſio, cùm evenit eodem modô, quô apparuerat; Oraculum, cùm Dii aliquid in Somniis demonſtrant. *Ovid. 11. Metamorph.* lepidiſſimè deſcribit Somni domicilium, ejúſque tres filios; quem *Maro* nominat conſanguineum lethi: *Seneca* fratrem. Eleganter *Claudianus*:

> *Omnia, quæ ſenſu volvuntur vota diurnô,*
> *Pectore ſopitô reddit amica quies.*

Et reliqua. Nobis excuſſô ſomnô & ſomniô vigilan-

landum eſt, &, quid ratio ſit, quid intellectio, perquirendum; de quibus axioma Philoſophicum; nihil eſt in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu. Eſt autem intellectus ſeu mens aut intelligentia, facultas animi nobiliſſima, quâ res etiam incorporeas, & ab omni materia ſejugatas, notiones, atq; formas apprehendimus, eóq; cæteris animantibus antecellimus. *Deſiderius.* Cupio pluribus intelligere, quid ſit intelligere. *Mercurialis.* Intelliges: Nota *Adagia. Non omnibus dormio. Tuum tibi narro ſomnium: Amantes ſibi ſomnia fingunt: Aliud ſtans, aliud ſedens. Naturam expellas furcâ, tamen usq; redibit.*

Caput XXIIX.

Mens cum affectibus, & Conſcientia.

Quia Senſus percipiunt præſentia tantùm objecta, & quidem *ſuperficiariè*, data eſt mens, hoc eſt, vis ad abſentia quoq; penetrandi, abſtruſa indagandi, futura præſagiendi: cum arbitrio appetendi bona agnita, vocántq; *Appetitum Concupiſcentem* (vulgò Concupiſcibilem:) & facultatem audenter proſequendi concupita: appellántq; *Appetitionem Iraſcentem* (vulgò Iraſcibilem.) Prior appetitus fertur in bonum ut abſolutè delectabile, ejúsq; ſex affectiones ſunt. *Appetitus Concupiſcens. Appetitus Iraſcens.*

Triſtor, amo, cupio, delector, abominor, odi.

Poſterior tendit in illud, ut eſt arduum, & in ſui perſecutione difficultatem conjunctam habet; cujus motiones ſunt quinque:

Deſpero, iraſcor, timeo multùm, audeo, ſpero.

Uterque eſt iterum duplex; alter *rationis expers*, (quem vulgo nominant *Inferiorem & Senſitivum*) quia fertur in bonum Senſibile (*Gellio*) ſeu corporis; Græcis ὁρμή; hominem huc atque illuc rapiens; *Appetitus Inferior & Superior.*

piens; alter *Rationalis* (sive *superior*) quia ratione ducitur, & ad animum ac voluntatem pertinet.

Ratio. Vocamus autem *Rationem*, Vim illam penetrantem causas, consequentia, progressus & antecessiones; quæ rerum intellectum quærit; quod est intelligere; producendô per intellectionem verbum mentis seu locutionis internæ. Vim boni appetentem, dicimus *Voluntatem*, quæ rerum electionem exposcit. Utramque includit *Animus*, seu Vis consectandi desiderata, aliquando mentem significans, aliquando affectum. *Anima* est id in homine, quod vivit, sentit, & movetur, pro qua non rarò sumitur Animus.

Voluntas.

Animus.

Virtus & vitium intellectûs. Hæc tria faciunt differre hominem à brutis, imò homines ab hominibus, dum alii plùs aliis & melius intelligunt,, volunt, satagunt. Nam qui inquirit multa, *industrius* est: qui arripit facilè rem, ingeniosus: qui excogitat, *solers*: qui noscit, *gnarus*: qui notitiam firmavit usu, *expertus*: qui rebus novit uti, *prudens*: qui utitur, *sapiens*: qui abutitur, *astutus*, & *fallax*.

Actus intellectûs. Contrà, qui nihil curat, est *socors*: qui nihil percipit, *stupidus*: qui tardè *perspicit*, hebes: qui nihil perpendit, *improvidus*.

Quòd quis sensu tenet, id *scit*; quod ratione, id *intelligit*, quod fide, id *credit*. Sed hîc relatio verisimilis, facit *persuasionem*, probata & demonstrata *assensum*; admissa sine probatione, *credulitatem*.

Quorum causam non intelligimus, miramur; quæ pernoscere volupe est, *rimamur*; sed vera rei perceptio dat *scientiam*; falsa *errorem*; debilis *opinionem*; ex conjecturis veniens *suspicionem*; nutans *dubitationem*: impedita *hallucinationem*: nulla *ignorantiam*.

Indagatio veritatis. Porrò in rebus perpendendis eò fertur assensus, ubi vel necessitas, vel evidentia, vel certitudo aut saltem probabilitas major apparet. Ad *veritatem* indagan-

dagandam, primò inserviunt sensus externi, qui se deniq; colligunt (uti indicatum suprà) ad interiorem illam vim ac facultatem, quæ vocatur *Sensus Communis*. Quibus est addita *Phantasia*, (Imaginatio) in qua phantasmata (simulacra, species, imagines,) excitantur eorum, quæ Sensu comprehendimus. Hinc rerum intelligendarum formatur *conceptio*, Phantasiam sequitur *æstimatio*, quæ judicium inferius dicitur. Ad hanc accedit *cogitatio*, seu *dianœa*, quæ perceptas imagines ad examen & judicium superius revocat; unde *opiniones* oriuntur. Post hanc est *Ratio* seu *consultatio*, quâ plura ad deliberandum de una re hinc illinc conferuntur; Rationem sequitur *intellectus*, dum vera terminatio fit post Ratiocinationem; idcirco in eo quies mentis & scientia.

Voluntatis verò est, liberè, & sine coactione bona amare ac velle, qui sunt actus *prosecutionis*; mala odisse ac nolle, qui dicuntur actus *Fugæ*. Rursus sunt alii *Eliciti*, seu in ipsa producti; alii *Imperati* membris. Si quando fit, ut hæc placeant, & illa displiceant, est ex accidenti; tunc enim externa species decipit eam, ut deteriora eligat, & spernat potiora; ídq; ex libidine; quæ est voluntas, rationis expers, seu cupiditas effrænata, juxta illud: *Video meliora probóque, deteriora sequor.* *Actus voluntatis.*

Nam ex aberrationibus intellectionis veniunt errata voluntatis, & dehinc animi conatus enormes, moliminá que irrita, quia ignorantia boni, affert ejus *neglectum*: satietas *fastidium*; præfervidus amor *zelum*.

Unde & reliquæ *animi affectiones*, (affectus) concitationes (Græcis πάθη, vulgò passiones) veniunt; nam si bona absunt, desiderat illa, optat, sperat, pro adipiscendis nihil non tentat; metuit tamen frustrationem, atque, si videt differri, sentit tædium; si *Affectiones animi.*

 ad-

adsunt, lætatur, plaudit, oblectátque sese perfruendô iis; saturatus tamen, illa fastidit. Si eripiuntur, tristatur, dolet, queritur, pœnitudine affligitur, desperat, &c.

At mala magis inquietant eam, quam dixi, Voluntatem; nam ventura abominatur, formídat, tremiscit; advenientia horret, trepidat aut stupescit; postquam obvenerunt, irascitur, mœret, luget, &c.

In alienis bonis & malis non semper eodem modô affectus est. Animus ibi enim gratulatur, aut invidet, hîc commiserescit, aut si perversus est, exultat, insultat, &c.

Risus. Ex delectatione, quæ conjuncta cum aliqua admiratione, provenit risus (unde pueri & fatui, multa admirantes, facilè rident; secùs verò gaudentes;) est autem *risus* vibratio quædam seu titillatio diaphragmatis cum musculorum, pectoris, ac oris dilatatione seu diductione, ex affluxu spirituum vitalium, ad conceptum intus gaudium explicandum. Contrarium fit in fletu, ubi constricti oculorum anguli exprimunt lachrimas. Et quia lien fœculentum crassiúmq; humorem (materiam tristitiæ) ad se trahens, reliquuum sanguinem puriorem atq; agiliorem facit, ideò optimorum spirituum procreatio & promptitudo major ad hilaritatem & risum excitatur; unde versiculi:

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commovet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Conscientia. Mens obversa sibi ipsi & actionibus suis, dicitur *Conscientia*, quam dirigit habitus principiorum, circa agenda (vulgò agibilia) ad rectè vivendum, Græcis συντήρησις (*synteresis*) vocatur, quæ, si prævidet se intellecta & electa bona secutam, reprobata verò mala aversatam esse, gaudet; quod testimoni-

monium Conſcientiæ vocatur, ſin', paveſcit, & fit contra ſe ipſam, index, actor, teſtis, judex, & tortor, quem *Remorſum* Conſcientiæ vocant. Adagium, *Conſcientia, mille teſtes.*

Deſiderius. *O quantum eſt*
Nil conſcire ſibi, nullá palleſcere culpá!

Mercurialis. Homerus, neſcio quam herbam, nepenthes eſſe finxit, quæ vino injecta triſtitiam diſcuteret, animique hilaritatem induceret; illam ego herbam, credam, eſſe timorem Domini, innocentiæ cuſtodem. Sed hæc ad mores; nos modò naturam indagemus.

Caput XXIX.

Accidentia præter naturam, morbi; primò externi.

SEcundùm exteriorem aſpectum, quidam ſunt corpulenti & obeſi: alii graciles, macilenti, & ſtrigoſi: quidam formoſi: alii deformes, ac turpes; (gibbus enim, ſtruma, & quodvis tuber aut tuberculum deformat, ſecundùm interiorem habitudinem, alii ſunt firmi: alii invalidi, ac teneri.

Integræ functiones dant ſanitatem, læſæ morbum, ſive læſio fiat à mala *conformatione membrorum* (ut cùm majora aut minora ſunt juſtô;) aut malè figurata; aut perperàm ſituata, *Floro*; ſive à *ſolutione continui* (ut in vulnere, ulcere, luxatione, fractura, ruptione;) ſive à *vitiata craſi*, ſeu temperie humorum, ut in morbis. *Triplex cauſa morborum ſeu læſionum.*

Malè figurati ſunt, obſtipi, cernui, captiones, frontones, buccones, milones, ſeu labeones, dentones, naſones; & qui habent naſum aduncum vel reduncum, nempe grypi; ſimum vel reſimum; unde *ſilones*, quibus naſus ſurſum versùs repandus: *prima malè figurati.*

simones, quibus nares superiùs depressæ; recalvastri, sincipite calvi; *brochi* vel *bronchi*, vel bronci, qui dentes habent eminulos, & os productum; Scabrones, *Ulp.* qui dentes aut gingivas illuvie scabras aut spurcas habent; mentones à mento longiore; gibbosi, strumosi, verrucosi, varicosi, pectorosi, pustulosi, ventricosi, cerebrosi; lagochíli, à labro leporino, gutturosi, à magno gutture; pectorosi, à tumido pectore.

Cui sunt parvi ocelli, *ocella Junio*, vel *lucinius* dicitur; unoculus, vel cernens oculis contortis, *cocles* (defioculus;) distortis *strabo* (strabus:) obliquatis ac limis, ac alterutrô minore, *pætus*; semiclausis, & tantùm admota videns, *myops*; non videns ad lucernam, & calígans, *luscius* (luscitiosus;) cui delacrimantur oculi, *lippus*; cui sunt prominentiores, *exopthalmus*; cui reductiores, *cœlophthalmus*. *Nyctalops*, qui occaso sole, oculis est hebetioribus.

Mutus est impotens fari (à congenita surditate;) *traulus*, non pronuntiat literam R. *blæsus* malè sibilat; *balbus* hæsitat; *nasutus* putatur odorari acriter; *flaccus* esse bardus; *bucculentus* esse ingluviosus; crispus & subcrispus non calvescere; rufus tardè canescere.

Mancus caret manu; *manutius* nimis habet magnam; *ancus* contractam; *sedigitus* redundat digitô, scæva, scævola, utitur sinistrâ pro dextrâ. *Pedo* habet pedes longiores debitô; *pansa* (plancus, *Plautus*) latiores; *loripes* incurvos; *scaurus* talos nimis exstantes; *Varus* crura divaricata; *vatius* (vatia) in medio extorta; *valgus* præcrassas suras; *compernis* sibi atterit genua; *myscelus* est pedibus brevioribus (brevipes;) *atta* humum terentibus; *agrippa*, natus pedibus priùs editis.

Vulnus

Vulnus fit aut cæſim, aut punctim, aut morſicatim (mordicus;) *plaga* percuſſione aut contuſione; *vibex* verbere; *puſtula* uſtione; *pernio* gelatione; *callus* induratione; ſed *livor* eſt ſignum plagæ; *cicatrix* ſupereſt à curato vulnere: cui cruſta inducitur: exaſperatur, reſilit, impletur, ad maturitatem pervenit. *Cauſſa ſecunda à diſſolutione continui. Vulnus.*

Ulcus eſt ſubcutanea putredo, malignum aliquando, tetrum, verminoſum, Chironium, Thelephium; cujus ſuppurationem vocabis *abſceſſum* (apoſtéma;) centrum verò *vomicam*, exſtillantem pus, tabum, ſaniem; è pure convoluto & concreto fit *glandula*. At, quod de loco in locum ſerpit, eſt *herpes* (gen. herpis;) quod circa ſe carnem exedit, *cancer* (carcinóma, phagedæna;) quod eandem mortuam facit, *gangræna*. Calloſa in pedibus tubercula, *clavi* vocantur. *Ulcus.*

Ozana eſt ſuppuratio in naribus; *polypus* in iisdem *excreſcentia Medic.* (excreſcens caro;) *redivia* (reduvia) in unguibus, cùm cutis ſe volvit; *paronychia* (paronychium,) cùm eadem intumeſcit. *Oſcédo* (aphthæ, ſtomacace, vulgò ſcorbútus,) ſerpentia oris vulnera; *ſcelotyrbe*, ulcus infeſtans crura; *glaucóma* (æ & atis) eſt ſuffuſio oculorum, vitium humoris cryſtallini, ſeu infeſtans oculos pellicula, circa pupillam concretô humore ſuffuſos, acu detrahenda & deducenda; *argema* (æ & atis) albúgo, inficiens iridem oculi; *ægilops* eſt eorundem fiſtula; *vari* & *ecthymata* ſunt pituítæ eruptiones, (vulgò *varioli* aut *morbilli*) ubivis ſe ſpargentes, neutiquam exulcerandæ.

Luxatio fit, cùm oſſa emoventur ſuis acetabulis; *fractura*, cùm diffringuntur; *ruptio* (vulgò ruptura) accidit membranis, quæ viſceribus & inteſtinis circumtenduntur, facítque in peritonæo *herniam*, *ramicem*, *Luxatio. Fractura. Ruptio.*

micem, aut etiam *enterocelem*, hoc eſt, procidentiam *Plin.* inteſtinorum in ſcrotum, unde ramicoſi, hernioſi, enterocelici.

Huc quadrat illud Horatianum:

Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.

Et illud:

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Nempe non videmus, manticæ quod in tergo eſt. Nemo ſine vitiis naſcitur; felix, qui minimis urgetur.

De cæco, ferente claudum humeris, *Alciatus.*

Quò caret alteruter, concors ſic præſtat uterque:
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

Si juxta claudum habitas, ſubclaudicare diſces, *Plutarch.* Apud Ciceronem quidam vocatur Bambalio, ob hæſitantiam linguæ. Nos, ſi penitiùs perluſtremus corpus humanum, in eo noſocomium offendemus. Quid tibi occurrit? *Deſiderius.* Quod nuperrimè legere memini. *Mercurialis.* Quid illud? *Deſiderius.* Homo eſt fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium, mortis mancipium, fragile ſimulacrum, tenuis umbra, umbræ ſomnium, ſpirans cadaver, viva mors, pila, quâ ludit Deus. *Mercurialis.* Doctè. Pergamus.

Caput XXX.

Interni morbi.

Tertia morborum cauſſa, vitiata temperies humorum. Morbi ex ventriculo.

Jam denarrabo morbos temperamenti (quatuor primarum qualitatum in corpore humano) ordine functionum.

Ventriculus ſi nihil alimenti appetat, eſt anorexia; ſi plus nimis, *bulimia* (fames lupina;) ſi abſurda, *pica*; ſi aſſumpta coquit imbecilliùs, fiunt fluctuationes, erum-

erumpentes sursum per singultus, aut per ructus; deorsum autem per flatus, aut etiam crepitus; si coquit pravè, vermes; si omninò non coquit, & rejicit per superiora, nausea & vomitus; per inferiora verò, *lienteria*, intestinorum lævitas, quæ recepta alimenta mox incocta reddit; *cardialgia*, seu *plethóra*, torquet ac rodit stomachum, unde & rosio seu torsio stomachi dicitur; κακοςόμαχ@, laborans solutione stomachi.

Ex intestinis. Si intestina non ejiciunt, (dejiciunt, exinaniunt, exoerant ventrem, non faciunt oletum, si alvus nihil excernit, est adstricta, seu consistit) dicitur *constipatio*; si cum torminibus (unde torminosus, qui patitur, torminalis, qui infert) in ilibus, *ileos* seu ileus (vulgò iliaca passio seu volvolus, ubi cibus excrementis permistus rejicitur ore;) si in intestino crasso seu colo, *colica* (colicus morbus;) si verò dejectio nimis est crebra, *diarrhœa*, (fluor alvi, cita alvus; *foriolus* eô malô laborans) profluvium, & resolutio ventris; si sanguinolenta, *dysenteria*, unde dysentericus; si pauca, & cum difficultate, aut inani conatu egerendi, *tenasmus* (vel tenesmus;) si sursum & deorsum, *cholera*.

Mesaraicarum venarum obstructio dat inflationes, melancholicam, hypochondriacam, & lentas febres.

Ex hepate. Ex *hepate* proveniunt hepatici morbi; quod generat sanguinem aquosum, intercutem, fit *hydrops* (hydropisis, tympanites, aqua intercus;) si semicrudum, κακοχυμία, *cachexia, atrophia*, malus corporis habitus, & consumens macies & pravâ concoctione, & pallor; si nimis acrem, *scabies, psora, pupulæ, boæ, furunculi*; si occulta se malignitas admiscet, *lues Venerea, inguinaria, morbus Gallicus, lepra, elephantiasis.*

& aliis partibus corporis.

Fel inficiens ſanguinem, efficit *auriginem* (flavum ſcilicet, aut nigrum icterum, morbum regium, arcuatum) gracilitatem, tabem. *Lien* verò multas fæces colligens inducit ſiniſtro lateri tumorem, & *ſcirrhum* (duritiem;) easdem autem derivans ad ani exitum, *hæmorrhoides*, (ſunt hæ fluxus venarum cruentus) aliquando cum procidentia natium, aut *fico*.

Serum detentum diutiùs in *ureteribus* (canalibus veſicæ) facit *lumbaginem* (debilitatem in lumbis;) in renibus & veſica, *calculum* & *nephritidem*; unde nephriticus; ſuppreſſa verò urina excitat *iſchuriam* (lotii retentionem, ſuppreſſionem;) difficilis, *dyſuriam*, (cùm magno cruciatu;) guttatim exiens, *ſtranguriam* (urinæ ſtillicidium, ſubſtillum) ſanguinea, cruentam *mictionem*; immoderata, *diabéten*, cùm ſtatim redditur, quod bibitur.

Ex vitioſitate ſanguinis.

Aſſimilatio ſanguinis delati ad membra aut nulla, aut paucula inducit *macrorem*; nimia, inflationes & inflammationes; quas vocant in tonſillis *anginam* (quando inflammatur epiglottis:) ſub lingua *ranulam*: in venis *varicem*: in cute ubivis *eryſipelata* (vulgò, & barbarè eryſipelas) ſeu ignem ſacrum, *Celſo*; prava, *impetigines* (infectionem & pruritum cutis;) in facie *lichénes*; in mento *mentagram*; alibi *vitiligines*, (lentigines) maculas ſubrufas, ad modum lenticulæ; unde lentiginoſi; in capite, *porrigines* (furfures, furfuraceas ſquamulas, unde furfuroſus;) ſed *alopecia*, (capillorum defluvium) calvities, canities, ſunt à defectu humidi vitalis (*Medicis Radicalis*;) *pleuritis* (laterum, vel lateralis compunctio aut dolor) eſt inflammatio membranæ, coſtas ſuccingentis.

Ex Humoribus ſuperfluis.

Superfluitates coctionum aſcendentes ad caput, indéque defluentes in partes ſubjectas, faciunt deſtillatio-

lationem, *catarrhum* rheumatiſmum; quæ ſi delabitur ad oculos, facit *lippitudinem*; ſi ad fauces, *gravedinem*; unde gravedinoſus. Si ad tracheam, (fiſtulam pulmonum) *raucedinem*; ſi exulcerat pulmonem, purulentáq; excreatio adeſt, *phthiſin*, (tabem, quæ totum corpus extenuat,) unde *hæmoptici*, ſanguinem exſpuentes. *Peripneumonia* eſt inflammatio febrilis pulmonum, cum difficultate ſpirandi; unde pulmonarius, phthiſicus, tabidus. Si deniq; ſalſa illuvies detruditur ad articulos, *arthriditem* (articularem morbum,) quam vocabis in manu *chiragram*; in pede *podagram*, (unde podagricus, podagrioſus, podager;) in genu *gonagram*; in coxendice *ſciaticam*, (iſchiadem, iſchiacum, vel iſchiadicum dolorem; morbum coxarium) quibusdam etiam lumbago vocatur.

Motus cordis intenſus, dicitur *palpitatio* cordis; nullus, animi *defectio*; (deliquium) reſpiratio difficilis, anhelatio nimis frequens, vocatur *aſthma* (unde aſthmaticus & ſuſpirioſus;) thorax ejecturus aliquid moleſtum, excitat vehementi commotione *tuſſim*: cerebrum *ſternutationem*; at qui dormiunt ſupini, vel proni recubantes, facilè infeſtantur *anhelitu*.

Senſu læſi ſunt cæci & cæcutientes; ſurdi & ſurdaſtri; & quibus eſt obtuſus odoratus vel guſtus; & qui ſtupent, ut attacta non dignoſcant; internô autem ſenſu nihil imaginari poſſe, eſt *ſtupor*; difficulter, *hebetudo*; abſurda, *delirium*; delirium verò cum adjuncta febri, *phrenéſis* eſt, ſeu phrenítis, rabiès (epilepſiæ ſpecies; *Medicis analepſis, & catalepſis*, vulgò *convulſiones*;) cum triſtitia, eſt *melancholia*; cum furore, *mania*; nihil reminiſci poſſe, aut ægrè, *oblivioſitas* eſt. *Senſu læſi.*

Invo-

Morbi ex obstructione nervorum.

Involuntarius motus uni s membri, est *convulsio*: minutus & creber, *tremor*; cutem tantùm stringens, *horror*; corpus rabidè jactans, *epilepsia*; (morbus comitialis caducus, sacer, sonticus, Herculeus;) obrigescens in membro, *spasmus*, (nervorum distentio & rigor;) *tetanus* (tetanicus morbus) rigor est colli: *torpedo* omnium membrorum seu ademptus toti corpori sensus, *apoplexia*, (sideratio, apoplexis;) uni lateri, hemiplexia; uni membro, paralysis, quæ omnia proveniunt ab obstructione nervorum, & prohibito affluxu spiritûs animalis; qui, si in cerebro ipso circumvagatur, est *vertigo*; hinc vertiginosus, apoplecticus, epilepticus, paralyticus, &c.

Somnus nullus, aut pauxillus, est *insomnia*; nimius, *somnolentia*; continuus, *veternus*; (lethargus, catalepsis, inexpugnabilis dormiendi necessitas) cum respiratione intercepta, & turbulenta somniatione compressoris alicujus, *incubus*; (*ephialtes*, suppressio nocturna) surgens per insomnium & obambulans, *noctambulus* appellatur; vigilans introversis sensibus, & oculis inconnivis, & in animi raptu, *exstaticus* dicitur.

Diversi morborum effectus.

Alii ergo morbi faciunt dolorem, ut calculus; alii pruritum, ut scabies; & alii stuporem insensilem, ut paralysis; alii sunt acuti, citissimè perimentes, ut pestis; alii lenti, diuturnitate affligentes, ut phthisis; alii palabundi, populares, & contagiosi, ut *epidemia*; & quævis lues vaga; alii affligant calore & frigore, ut in *paroxysmo* (accessu, accessione febris;) quæ ideò querquera (hoc est frigida tremore) dicitur *Gellio*, cujus indicia, rigor, perfrictio, horror; quæ semel tantùm veniens, *ephemera* (diaria) nominatur; Est & aliquandiu durans, continua, repédans per vices, intermittens, colliquans, ardens;

Febres.

ardens; & hæc rursus vel quotidiana; vel tertiana; vel quartana; periodica, stata: errans, varians; vel deniq; pestilens, *bubones*, & *carbunculos* (*anthraces*) producens; aut tandem latenter penitissimè ossa depascens *hectica*, haud curabilis.

Cæterùm *febris* (febricula, febrilis ardor, calor) suos habet circuitus; venit, corripit, supervenit levi vulneri, incursat, oritur, accedit, consistit, perstat, torret febricitantem; desinit, recedit, intermittit, conquiescit, levatur, recurrit, redit & exacerbatur, minuitur, mitigatur, veterascit, evanescit, abigitur, depellitur, sistitur, tollitur, deducitur, discedit, est in decessione, sub decessu, &c. qui loquendi modi aliis quoq; morbis accommodari possunt. *Alterationes febriles.*

Cephalgia (cephalæa) infestat, totum caput; *hemicrania*, alteram partem capitis; *odontalgia*, dentes & gingivas; acutissimè, cùm infantes dentiunt, quia gingivæ scinduntur. *Symptomata* verò, affectus, effectus, accidentia morborum (*Celsus* vocat *accessiones*, quòd ad morbos accedant, eósq; instar umbræ comitentur) sunt, v.g. *veternus* lethalis: membra infrigidata: procidentia oculorum: excrementorum & retentorum vitia: suppressio, excretio, retentio immodica; appetitus abolitus; memoriæ & sensuum læsio; difficilis respiratio, locutio, & pulsuum debilitas, syncope seu concisio, spirituum viriúmque crebræ defectiones animi; nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures contractæ, crura disjecta, &c.

Enumerant, & lamentantur miserias vitæ humanæ *Plinius proœmio lib. 7. & ejusdem lib. c. 50. Plutarchus in consolatione ad Apollonium. Augustinus de civit. lib 21. cap. 14. & c. 22. ac 23. Item lib. 13. cap. 10.* quærit, an vita mortalium mors potiùs, quàm vita dicenda sit.

Defi-

Desiderius. Satis est morborum illætabilium : ad alia, quæso, pedem convertamus. *Mercurialis.* Paucos incensum vocavi, pro eo, ut agmen est innumerabile, quod ex infelici Pandoræ pyxide evolavit. Sed tu, ne contagium vel per aures trahas, cum Pythagora τῇ ὑγιείᾳ (bonæ valetudini) lita.

Desiderius. Hîc enimverò Pythagoréum me profiteor ; & sanus ex morbidis abire cupio. *Mercurialis.* Averruncent Superi, ut te hinc abducam insanum ; si quid sapimus ; Id modò sapiamus ; nam in monstra delabemur. *Desiderius.* Ubi Parœmiæ? *Mercurialis.* Ibi, unde tu abire properas. *Desiderius.* Pando sinum, eundô colligam, quidquid sparseris. *Mercurialis.* A morbis corporis, verba transfer ad morbos animi, & optima habebis *Dicta* dicenda. Nos *res* exspectant, & quidem portensæ.

Caput XXXI.

Vitia naturæ, & monstra.

Monstrum quid?

Monstrum à monstrando dictum est, quòd aliquid significandô demonstret; unde & ostenta, portenta, prodigia dicuntur. Est verò monstrum seu res monstrosa universim aliquid præter naturam, deficiens, aut excedens, aut à natura deerrante editum, & procreatum. Vel, ut in scholis loquuntur, est effectus naturæ, qui deviat à recta consuetáq; secundùm speciem dispositione; quæ deviatio, quò est major, hoc est res monstrosior ; nam prodigii mensura, est erroris magnitudo ; hinc majus portentum :

Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum :

quàm si puer sit capite arietinô , vitulus humanô , ovis bubulô, &c. Ejusmodi inconsueti naturæ effectus in omni reperiuntur genere rerum.

In

In Elementis *portentosa meteóra* sunt, cùm pluit sanguine, sulfure, lapidibus, ranis & aliis insolitis; cùm igniti globi decidunt; aut ardentes clypei per aërem transcurrunt; cùm acies armatæ visuntur in nubibus; cùm amnes retrò fluunt, nullô terræ motu impulsi. In metallis quoq; & lapidibus inveniuntur ostenta; itémque in vegetabilibus, ut cùm triticum degenerat in secale; imò in lolium; hordeum in ægilopem, (festucam *Plin.* quæ enecat frugem;) avena in avenam fatuam, &c. *Monstra in Elementis.*

Monstra in animantium genere variè accidunt, deflectente naturâ ab ordine suo, & lege. Quod ut penitùs intelligas, ex physiologia præmittendum est, in generatione animalium quinque potissimùm concurrere. *Primum* est, virtus formatrix semini inhærens, moréque opificis corpus membratim delineans & effingens; quæ si aberrat; nascuntur *hermaphroditi*, seu *androgyni*, ambigui sexûs. *In animantibus.* *Caussa monstrorum.*

Secundum est, materia ipsa, ex qua fœtus coalescit; nam ex seminis confusione & mixtione oriuntur varia monstra, in mari præsertim, semihomines & semibestiæ; item bigeneres, ut muli ex asino & equa: leopardi ex pardo & leæna; hybridæ ex fero sue & domestico, &c. ejusdem penuriâ, aut defectu progignuntur monoculi, unipedes, aliísque membris defecti; item nani, pumiliones, & breves homunculi, Pygmæi, quorum tota cohors pede non est altior unô; ex ejus quoque redundantia procreantur vastâ mole gigantes, Goliathi, Polyphemi, &c.

Tertium est, fœtûs receptaculum, quô continetur in utero. Ita quædam animantia sortiuntur plura membra, quàm naturæ cursus postulat, unde sunt partus bicipites, &c.

Quartum

Quartum eſt, primarum qualitatum (ſcilicet caloris, frigoris, ſiccitatis & humoris) complexio: ex quarum temperatura, animantium ſalus, integritáſq; dependet; quarúmq; aſymetriâ, ſeu exceſſu, defectúve, aut intemperie contigit, ut quibusdam infantibus accreſceret barba, pueris cani.

Quintum eſt, regionis, aëris, aquæ conſtitutio, diverſúsq; ſiderum influxus & afflatus; unde Africa dicitur monſtrorum parens, & in Alpibus magna eſt ſtrumoſorum copia. Et populi quidam Scythiæ dicuntur tam inſigniter auriti eſſe, ut auribus ſe totos contegant. In India quidam Sciopodes vocantur ſeu umbripedes, qui unô inſtructi pede, ſed tam latô ſunt, ut ejus ſe umbrâ contra Solis æſtum defendant. Arimaſpi & Cyclópes unum in fronte oculum gerunt; alii ſine cervicibus oculos in humeris habent.

Præter allatas monſtrorum cauſſas, eſt parentum *vis imaginandi*, ſeu facultas imaginatrix, quæ, quas abſurdas ac peregrinas formas concipit, fœtui imprimit; ſic gallina ovis incubans, milvi aſpectu perterrita, pullos excluſit milvinô capite. Sed quia peccata ſeu vitia, à naturæ lege aberrantia, infinitis modis contingere poſſunt, quis eſt, qui percenſeat omnes monſtrorum cauſſas?

Cæterùm monſtroſa plurima & portentoſa non tam naturæ erroribus, quàm Divinæ voluntati, aut Dæmonis artibus imputanda; Dei eſt, prodigioſa Nabuchodonoſoris in bovem transformatio, & uxoris Loth in ſtatuam ſalis converſio, &c. Acherontici verò artificis eſt, variis præſtigiis monſtra, v.g. *lycanthrópos* mentiri & repræſentare.

Quod autem narrant de longævo & unicò *Phœnice*, ave exurente ſeipſam, & reviviſcente è cineribus; item de *Pelicano* reſtituente vitæ pullos à ſer-

ſerpente occiſos; & de *boa*, ſerpente ad 120. pedes excreſcente, integróſque devorante cervos; & de *hydra* ſepticipite; & de gryphe volucre quadrupede; & de *harpiis* obſcœnis avibus; de *ſalamandra* ingnem extinguente; & dé *centauro* ſemihomine & ſemiequo; de *Geryone* tricorpore; & de *Pygmæis* cum gruibus belligerantibus, &c. videntur magna ex parte fabuloſa.

Fauni verò & *Satyri*, homines ſilvani & hirſuti, ſemiviri & ſemiferi; *Tritónes* item, & *Sirenes*, ac *Nereides*; ſi figmenta non fuerant, dæmonia fuerunt, aut monſtra, de pecudum marinarum genere; uti & monſtrum Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella. Curioſa de monſtris habet *Caſpar Schottus in ſua Phyſiologia curioſa*. Mirabile in Gallia monſtrum natum eſt anno 1639. Erat ſexu maſculum, formâ venuſtâ: cui à pectore adusque umbilicum duo corpuſcula annexa, ſibi mutuò cohærebant. Amare ſe invicem videbantur, unde creberrima oſcula. In ſomno capiendo vices mutabant; vigilabat alter, alterô dormiente. Quoties hilaritatem unus prodebat riſu, triſtitiam alter præ ſe ferebat ejulatu. In baptiſmo, uni nomen Ludovici, alteri Philippi datum. Hinc conjectorum vaticinia de futura inter Reges Hiſpaniæ & Galliæ, cognomines, concordia. Cæterùm *Anthropophagi*, aliíque mortales, beſtiis propiores quàm hominibus, vitâ & moribus ſunt monſtroſi.

Deſiderium. Quos ego quidem variis figmentis & metamorphoſibus à Poëtis expreſſos arbitror, dum crudelem Lycaonem, in lupum: curioſum Actæonem, in cervum: procacem Jovem, in taurum: duram Nioben, in lapidem: maledicos Lyciæ ruſticos, in ranas: ſuperbas Pierides, in picas: loquacem Prognen, in hirundinem: impurum Tereum,

in upupam: vetulam Hecubam, in canem: voluptarios Ulyssis socios, in porcos: protervum quendam puerum, Cereri illudentem, in stellionem: alios, in alias bestias, quibus moribus affines erant, mutato finxerunt. *Mercurialis.* Enucleâsti hunc corticem Nos eam, quam dixisti, Deam frugum reverentius tractabimus, à qua prima agrorum cultura profluxit. Quare transeamus ad artes rusticanas.

CAPUT XXXII.

Rusticanæ artes, primúmq; Horticultura.

Divisio rei rusticæ.

RES rustica seu Georgica variè distribuitur. *Maro* divisit in cultum agrorum: curam hortorum sive arborum; tractationem pecoris: procurationem apum. Secundùm *Varronem*, ratione terræ, discriminatur quadrifariàm; aut enim ager est arvus, id est, sationalis: aut sativus seu consitus (aptus arboribus:) aut pascuus seu compascuus, herbis tantùm & animalibus vacans: aut floreus, serviens hortis & floribus. *Columella* sex partes constituit rei agrestis: agriculturam: vineaticam (curam vinearum:) pecuariam: pastionem villaticam: rem hortensem: rem arborariam. Nos cum aliis tripartitam faciemus, scil. curam hortorum, & vinearum: agriculturam seu cultum agrorum: & tractationem pecoris, quam vocant Bucolicam, seu Pecuariam, & Pastionem villaticam. Officina ruralium operarum est villa, cum hortis agris pascuis.

Instrumenta hortensia.

Instrumenta hortensis curaturæ sunt: ligo ad fodiendum; pala (plana & concava) ad inutiles herbas & quisquilias ejicendas: rastrum (rastellum) ad planandum & corradendum; rutrum ad compla-

planandum & runcandum solum: sarculum ad sariendam & evellendam glebam duriorem, exstirpandas arbores & frutices; irpex (ῥιζότομ@) ad herbas ruri conquirendas; bacillus ligneus ferrô obductus ad foramina facienda pro plantatione: bipaliô plura unô ictu terræ imprimuntur; volvulus, (lignum teres instar cylindri) quô solum æquatur; vehiculum (curriculum) trusatile ad evehendam terram ejectitiam; vimen ad alligandos frutices; ferculum stercorarium ad portandum res omnes hortenses; furca tricornis, vel tridens spargendo fimo; culter aptando ramulo insititio; cannabis linúmve impexum, obligandis insitorum stolonum fissuris, & ceratum iis inunguendis; marra abradendo musco ab arboribus, & exscindendis herbis inutilibus; falcula ad putandum; forfex ad tondendum, & abscindendos nidos erucarum ac papilionum; uncus ambidexter, reduncô rostrô, ad ramos partim trahendos, partim rescindendos; harpagium ad rigandum; scalæ ad amputandos altiores ramos, & poma legenda; pileus stramineus, vel testaceus, ad defendendas plantas à gelu; ligneæ tegetes, aut crates scirpeæ, ad novella germina adversùs nocturnum frigus tutanda; serra tenuis, & acuta, non nimis profundè dentata, ad præcidendum arboris caudicem, aptandum insitionibus; (lupus est serrula manubriata) nec non securicula in usus varios; denique terriculamentum fugandis avibus.

Horticultura exercetur ab hortulanis, vel edulio-rum causâ in olitorio & pomario; vel deliciarum ergò in viridario & topario.

Hortos sepimus *sepimentis*, sive humilioribus, ut sunt agger, præstructâ fossâ ex congestitia humo factus; maceria è congerie lapidum acervata; vacerra *Sepimenta hortorum.*

ex una & altera pertica, constructa; areolas (
in cépinis fieri solet) canteriolis munimus. Si
altioribus, ut est sepes è sudibus & vitilibus,
palis latioribus perforatis, trajectisque per e
longuriis; seu implicatis virgultis plexa; v
ex arborum truncis humi defossis, & vivis
è frutetis; vel plancæ è ligneis tabulis coagmen
tatæ; vel denique murus è cæmento & calc
structus.

Olitor. *Olitor*, satúrus olera, elapidat terram, stercorát que; tum fodit, ligone, aut bipaliô (bidente,) ad dagerátq; pulvinos palâ, & spargit semina per areolas, confarrítq; & resarrit (unde sarritio, sarritura) rastellis; tum rigat, pòst exherbat, hoc est, runcat, & eruncat, vellit, elidit, necat, manibus aut sarculis, adnatas vitiosè herbulas, (pravas & inutiles herbas, cùm teneræ sunt) nam factæ aridæ rixantur, ac celeriùs rumpuntur, quàm sequantur. Tandem colligit matura oluscula subsecandô, aut evellendô, aut effodiendô; quædam exolescere & in semen maturescere, seu olescendô summum cacumen tangere sinit.

Arborator. *Arborator* (pomarius) plantat seu arbustat plantarium, (frondator frondat) dum conserit seminatium semine fructuum; aut depangit (pangit in terram taleas) surculos è ramis præcisos, (præcidaneos *Varron.*) aut serit vivas radices, (plantas cum radice inserendas, insititias, plantarias, novellas arbusculas,) decorâ serie (unde insitio, consitio, consitura, insitus, ûs, insitor, consitor, plantator, plantatio:) quibus diffisis inserit surculos, insitósque oblinit emplastro; dehinc scalprô (falculâ, seculâ *Varroni*, arborariâ, putatoriâ, insitivâ, cujus ductu, non ictu conficit putationem) putat, resecat, circumcidit, deputat germina; exputat stolo-

stolones: abnodátq nodationes; & amputat, si quid arefieri cœptum est.

Producuntur autem & *propagantur* plantæ hunc in modum: quædam proveniunt sponte; aliquæ per semen; aliquæ per insitos stolones, malleolos, taleas, ramulos, idq; insitione, delibratione, inoculatione seu implastratione, cùm scilicet resecta & fissa arbor vel resectos surculos accipit; vel inter librum & materiam semina admittit; vel gemmas cum exiguo cortice in partem sui delibratam recipit. *Propagatio plantarum.*

Depurgat etiam & emuscat muscosas, formicosas, vermicosas arbores à musco, erúcis, araneis; sideratas verò, (carbunculatas, unde carbunculatio) cariosas, steriles, effœtas; vel ablaqueat (seu circumfodit) aut summatim, aut profundiùs; rursúmq; circumaggerat; vel stirpitus eradicat; recisa siquidem, aut etiam excisa, repullulant, iterúmq; in materiam frondémq; se effundunt, excurrunt germinationes, supernascuntur caules, & circumnascuntur; evulsa non refruticantur, nec surculos emittunt, nec iterum excrescunt, egerminant, progerminant, repullulascunt. Est verò morbus plantarum, *articulatio*, cùm tenera germina seu germinum nodi læduntur; *vermiculatio*, cùm vermibus roduntur; *sideratio*, cùm vaporum siccitate moriuntur. *Depurgatio.*

Idem collúcat succisis arboribus locum, lucem immittendô; sublúcat, ramos earum supputandô; interlúcat easdem per intervalla, deputandô, & duméta exscindendô ac sequendô runcína sive vangâ (aut runcone, *Palladio*) seu falce silvaticâ, *Varro* falculam ruscariam vocat; pondus gravidum ramorum, scipionibus suffulcit.

Maturi (maturati) *fructus*, aut decidunt ultrò; aut carpuntur manu strictoris; aut decutiuntur perticâ, si quò manus non pertingat: aut excutiuntur quas- *Fructus arborum.*

ſatione arboris, & colliguntur à legulis; ſed durabiliores ſunt ſtricti cadivis aut caducis; ſerotini præcocibus (præcoquis, præmaturis;) vegeti viétis; & conditivi, crudis ac immaturis.

Eduntur aut recentes (aliquando cum termite devulſi:) aut ſracidi: aut torridi, ut ficus aridæ, & uvæ Solem paſſæ, majores & minores, &c. quidam verò naturâ ſuâ duracini ſunt.

Olivitas. Poſtquam eſt olivatum in oliveto (olivæ lectæ ex olea tempore olivitatis,) oleum inde exprimitur in *trapéto*, aut molâ olivariâ; aut etiam decapulatur, (de vaſe in vas transferendô (in olearias ampullas ſeu lecythos; *amurca* (craſſamentum, ſedamentum) ſubtus ſubſídens unà cum *fracibus* (fæcibus) abjicitur. Laudatur viride; vituperatur candidum, crudum, omphacinum. *Drupæ* ſunt olivæ nondum edúles; *colymbades* conditaneæ; *ſamſa* vel *ſamſa, æ,* oſſiculum. Liquor oleaceus elicitur ex variis ſeminibus, (ut lini) herbis ac nucleis; magma, atis, eſt olei recrementum, & craſſamen.

Topiarius, Flores ſelectiores. *Topiarius* apparat viridarium (violarium, roſarium) è ſelectioribus floribus, rarioribúsque plantis: quales ſunt florum; lychnis Chalcedonica: trachélum Americanum: (vulgò flos Cardinalis) flos paſſionis, (alius à granadilla:) flos Mexicanus, ſeu Peruanus: flos Africanus: iris Suſiana nigri coloris: campanula Hiſpanica; plantágo roſea: leucoium: onobrychis: millefolium, &c. Herbas triplici genere in ſuas quasq; areolas diſtribuit: Medicas, Eſcarias, Coronarias. Idem exornat hortum topiariô opere, idest, amœnis ambulacris, virentibus pergulis ac ſtibadiis; deniq; ſalientibus fonticulis, & hydraulis.

Arbuſculæ topiariæ. Plantarum verò & arbuſcularum rariorum ſunt: ſyringa alba & cœrulea; ſambúcus aquatica: ciſthus ſeu

seu ladanum: anagyris, sive laburnum: mali Punicæ, Medicæ, laurocerasi, lauri, cypressi, ficus, colutea vesicaria, Canna & ficus Indica, rosæ Damascenæ, seu moschatæ, centifoliæ; poma amoris: stramonium vel stramonia; balsamina, (*officinis* viticella vel momordica) ruscus, myrtillus, sabína vel savína immortali comâ virens: rhododaphne seu nerium, *officinis* oleander.

Idem *areas* digerit in pulvillos & toros, quorum extremitates (margines, ripæ) vestricibus herbis & plantis investiuntur (ut spicâ nardi, lavandulâ, rutâ, salviâ, thymô, buxô, bellide, serpillô, porrô, amaracô) quæ tondentur, ut tonsa lentiùs succrescant. *Areolæ hortenses.*

Semitas seu vias ambulatorias arenâ conspergit, nec rarò corticibus quernis molitis, postquam usibus alutariorum jam satis inservierunt; quæ inutiles herbas suâ interimunt acrimoniâ; consternuntur & semitæ lapillis variegatis; item glareâ; aut ruderantur.

Series arborum in quincuncem aut quaternionem disponitur, inter quas ab utroq; latere ambulationes instruuntur; aliquando pulvilli anfractibus miris ingredientes fallunt, dicuntúrq; labyrinthi. Ambulacra, uti & pulvinos exornant variæ effigies ex herbis aut fruticibus efformatæ, repræsentantes insignia, & arma gentilitia, horologia, & animalia. Huc serviunt ligustrum, spina seu uva crispa: ribes seu baccæ S. Joannis: genistæ, prunus silvestris, oxyacantha, seu spina acuta. Sunt autem areæ ita formandæ, ut runcantium manus ad dimidiam latitudinis partem facilè perveniat. *Dispositio arborum.*

Desiderius. Ita me Volupia, & alma florum Dea amet Flora, ut tu, hac dissertatione tuâ hortensi, sensus rapuisti meos, & alterum penè Hortensium

reddidisti. *Mercurialis.* Aliud est aures pascere, aliud oculos; quibus ut plusculum demus, en chartam typicâ picturâ subjicientem aspectui, quidquid de cultura rei hortensis disseruimus. *Desiderius.* Respiremus hîc parumper, & vireta utróque perambulemus lumine. *Mercurialis.* Tantillam moram non abnuet Pales, agrorum Diva, quam mox invisemus. Vides hîc, quanta herbarum, florum, fruticum, arbuscularum hortensium multitudo, quanta varietas, de quorum multis antiqui Latini, imò Græci quoque, quanquam addictiores rei hortensi; ne per somnium quidem. Unde igitur nomenclaturas nobis suppeditarent? *Desiderius.* O amœnam Veris faciem, ô floridam Zephyri familiam, vel in papyro spectandam? quàm multarum plantarum nondum meminimus. *Mercurialis.* In transitu, quod sæpius monebo, sumus; in oculos quæ magis incidunt obvia, in sermonem quoque cadunt.

Quid referimus ex hortis? *Desiderius.* Fragrantiam in naribus. *Mercurialis.* Pomum ego unum in manu, oculis, animo fero. *Desiderius.* Nihil conspicio. *Mercurialis.* En malum Punicum seu granatum; in medio apertum; lege literas cortici inscriptas. *Desiderius.* Lego: Tot Zopyros. Quid sibi hæc verba? *Mercurialis.* Darius, Persarum Rex, tot sibi fideles optabat ministros, & Zopyri (qui vulneribus sibi inflictis Babylonem cepit) similes, quot in pomo illo grana continerentur. *Desiderius.* Regiè dictum, votúmque. *Mercurialis* Nos à Rege ad rusticos abeamus.



CAPUT

Caput XXXIII.

Agricultura seu Agricolatio.

UT varia sunt *rusticorum* officia, ita varia sunt instrumenta & nomina. Dicuntur enim agricolæ, agricultores, ruricolæ, aratores, coloni, villici, pastores, olitores, messores, colligatores, fossores, vinitores, vitisatores, vindemiatores, fœnisecæ, frondatores, arboratores, sartores à sarriendo, occatores, operarii, procuratores, prædiatores, pecuarii, proculatores, porcularii, mellarii, columbarii, oviarii, caprimulgi, equimulgi, bumulgi, gallinarii, pullarii, jugarii, salictarii, bubulci, subulci, opiliones, caprarii, armentarii, anserarii, agitatores jumentarii, asinarii, equarii, camelarii, &c. ***Rusticorum nomina.***

Instrumenta rustica, præter superiùs enumerata, sunt usurpatiora: flagellum, sudes, palus, vallus, linter, aqualiculus, vectabulum, carrúca, sarrácum, plaustrum, traha, mulctra, (mulctrale, mulctrum,) sinum, haustrum, urna, pedum, cribrum, cribellum, dolia seu vasa olearia, amurcaria, vinaria, frumentaria, crates scirpeæ, sacci, labra, infundibula, situlæ, trullæ, matelliones, alvi, molæ trusatiles, quarum manubrium dicitur molile: & asinariæ; pila sabacea & fararia: subjugia, strata & instrata, ac ornamenta, equis, bubus, asinis, &c. Nec non torcularia, cuppæ, paviculæ, nasiternæ, corbes & corbulæ, occæ, ligones, præla, aratra, (simplex & auritum) furcæ tricuspides ac tridentes, aut bidentes, tricornes & tricuspides ac tridentes; cauteria, seu castratoria ferramenta, & tonsoria: mallei; falces messoriæ, stramentariæ, fœnisecæ, putatoriæ, arborariæ ac silvaticæ, pastinum, merga, ***Instrumenta rustica.***

dolábra, ſparta, modii, ſemodii, ſecures, fiſcinæ, fiſcellæ, quali, cola, teſtes. Per inſtrumenta aratoria JCti intelligunt, equos, boves, aſinos, aratra, currus, &c.

Agricola colit agrum panis causâ, campeſtrem, collinum, montanum, macrum, pinguem, medium utriusque; (limoſus inutilis eſt ad tractandum) hoc eſt, præparat arvum ſementi, & obſerit ſemine, frugésq; demetit, ac exterit.

Officia coloni. Jam *coloni officia* ſunt. Colit ágrum vel fundum, imperat arvis; exercet incultum & rude ſolum; quandòq; derelictum, deſolatum; aut rus jam antè cultiſſimum. Præparat arvum, dum in ſolo inarato extirpat vepres, aratúmq; ſtercorat; quem in uſum, ſterquilinia ſeu fimeta ex vario fimo, bovíno, caballíno, gallinaceo, ſuillo (quem, ſeu quod, ſuccerdam vocant) aggerantur; commendatur ſtercus ſeu fimum anniculum, requietum, maximè triennale, ut fiat ager *reſtibilis*, (qui quotannis reſtituitur) idoneus conſeri farreô ſpicô, biennii tempore. Sed *Vervactum* (quod alternis annis relinquitur, & perſeritur: aut paullò levioribus ſationibus ſeritur, quæ minùs exugunt terram; & *Novale*, (quod primùm exercetur, ſeu præſcinditur) quia requieta & feracia ſunt, nec exucta, haud indigent ſtercoratione. Succedat autem ſationi ſerenitas, & temporis clementia, tum enim citiſſimè prorumpent ſemina. Fundorum ſepta, dicuntur *Tutelæ*, quarum quatuor genera. *Naturale*, obſitum virgultis ac ſpinis; *agreſte*, ex palis & virgultis implicatis; *militare*, ex foſſa & aggere terreo; *fabrile*, videlicet maceria, ex lapide, vel laterculo coctili aut crudo. De qua re paullò ſuprà.

Aratio. *Arator* bobus junctis ad aratrum, & agitatis ſtimulô, tenet lævâ ſtivam, ne inter arandum deliret, dextrâ

dextrâ verò rallam ; quâ amoveat glebas ; interim vomer infertus buræ vel buri, ac dentali, profcindit (roftrandô vel roftrante ferrô) terram liratim, feu facit fulcum aut liram, (*porca* eft cumulus feu terra editior inter duas liras intercepta ;) quô peractô, fit *verfura,* toties redeundô fulcatim , donec *jugerum* (cujus minima pars dicitur *fcrupulum,* decem in longum & latum pedes continens) fit abfolutum, fimúsque fubaratus ; tum enim rurfus *abjugat* , feu abjungit.

Fundum fic peraratum (inverfum, fubactum,) aliquantò poft *offringit* , feu arandô *iterat* ac *tertiat* ; atque, fi glebofus eft, inæquat, (glebas frangendo) five *cylindris* fupervolutatis, five *occis* (crate, pectine) tractim raptatis. In uliginofa humo facit *elicos* feu *colliquias* , ad derivandam uliginem, demúmq; habet arvum, agrúmq; paratum. Laffatum verò & defatigatum, denuo ftercorat, (ut fiat ftercorofus) aut urit crematis ftipulis.

Hinc *fator* feminat jugeratim per areas frumentum fementicum ; (quod non fit plùs, quàm annicu- *Satio.* lum, ut comprehendat citiùs, è terra exeat, & in fegetem prodeat) peractâq; feminatione vel fatu, *inoccat* ; tum *farrit* fata, dum fruticefcunt, ne à zizaniis (qualia funt tribuli, vicia, lolium, lappæ) fuffocentur. Frumentum fementicum, Vere fatum, dicitur *alicaftrum* ; mifcellaneum *farrago.*

Quando fegetes flavefcunt, *meffis* adeft; ubi mef- *Meffis.* fores demetunt frumenta falcibus mefforiis ; demeffáq; difponunt manipulatim, & manipulos colligunt in mergites ; colligántq; tomicibus, aut vinculis ftramineis ; & congerunt acervatim per denos , quindenos, &c. injiciúntq; prehenfos mergâ plauftris, conftringúntq; *malô cereali* & convehunt in horrea ; aut faltem congeftant in *nubilarium* , fpicilegiô relictô egen-

egentibus, ſtipulâ verò paſcuis. Ita ſemen reſpondet, & redeunt fructus. Et ut nihil horum ignores; ſcias, quod alibi quoq; monui, *ſegetem* dici id, quod aratum & ſatum eſt; *arvum*, quod aratum, necdum ſatum. In ſegetibus, quod culmus extulit, vocatur ſpica, quæ, ſi mutila non eſt, habet *glumam*, ſeu folliculum ſive thecam grani; & *ariſtam*, ſeu apicem è gluma inſtar acûs eminentem. In frumento primum eſt herba; quæ deinde faſtigiatur in *ſtipulam*.

Tritura. Tum *tritores* (cudentes) tritúrant frumentum flagellis in area, (olim tribulabant, hoc eſt, tribulâ vel tribulô exterebant ſeu exulcabant) excuſſáq; grana ſubjactandô ventilabris emundant à paleis; & pennatô verriculô expurgant ab aceribus; (panis enim acerosus quem delectet?) & ſecernunt incerniculô à recrementis; denique poſt trituram inſipant (immittunt) ſaccis frumentariis, & inferunt opulentiores granariis, pauperiores cameris; hoſtem metuentes cryptis; ſtramenta & ſtramina religantur in faſces.

Diverſum jus in fundis. Hereditarius poſſeſſor fundi elocat quandoque colono prædium (*locator conductori*) pro annua penſione; aut uſumfructum *mancipi*, ſeu *mancipio* ad aliquot annos: (ubi prædes poſtulari & accipi ſolent) aut *partiario* ad dividendos proventus: aut *villico* ad villicandum pro condicta mercede, unde ager *ſcripturarius*, *fructuarius*, *uſufructuarius*, *decumanus*, *vectigalis*, immunis. Prædium clientelare vel beneficiarium, vulgò *feudum* dicitur. *Emphyteuta*, qui locat; *emphyteuſis*, eſt jus emphyteuticum; cliens ipſe fiduciarius, perpetuarius, *Ciceroni* dicitur, accepiſſe fiduciam; pecora ipſius dicuntur colonica. In villa, (cujus partes tres, *Urbana* pro domino: *Ruſtica* pro villico & familia, ubi ſtabula & inſtrumenta a-

ta agreſtia: *Fructuaria*, continens fœnilia, palearia, cellas, olearias, torcularias, deſtutarias, vinarias; granaria, horrea, furnos) præter diverſa ſtabula, erunt tectæ porticus, in quas plauſtra ſubduci, ubi inſtrumenta ruſtica aſſervari, lignorúmque ſtrues erigi poſſint. *Villici* eſt (cujus uxor *villica* dicitur; *Caſaria* eſt mulier cuſtodiens caſam) auctoritatem imperandi habere, ſomni potúsque inebriantis parcum eſſe, opus exigere, familiam & diſciplinam agrariam obſervare: villicationis & ruſticationis peritiam apprimè callere, ut intelligat, quidquid ad rem ruſticam pertinet; qualia ſunt: noſſe tempora ſativa, far pinſere, faces incidere, candelas ſebare, foſſas tergere, ſtercoratam cortis colluviem erivare, vias publicas munire, privatas & ſecretas circumſepire, eáſque clathris ſeu obicibus clathratis, aut tranſennis ligneis, aut cratibus, aut gerris vimineis claudere, lignatum ire, ligna cædere; cæſa, cuneata, aut etiam ſecta, in ſtruem ſeu congeriem componere; unde lignatores, xilorómi, ſectores lignarii) runcare ſegetes, aut eas nimiùm luxuriantes, in primis herbis depaſcere; angarias item, ſi qua ejusmodi onerum vehendorum aut bajulandórum neceſſitas villæ eſt impoſita, fideliter præſtare, ac exhibere. Veteres ajebant, nequam eſſe agricolam, quisquis emeret, quod ei fundus poſſet præſtare; malum patremfamilias, quisquis interdiu faceret, quod noctu poſſet, niſi intepeſtate cœli coactus. Pejorem, qui profeſtis diebus ageret, quod feriatis deberet; peſſimum, qui ſerenô die ſub tecto potiùs operaretur, quàm in agro. *Deſiderius.* Oracula omnibus ruricolis inculcanda; ſed audi; quem balátum, mugítum, grunnítum, rudítum, hinnítum, latrátum percipere mihi videor? *Deſiderius.* Hic chorus, & hi cantores, nunc ſymphoniâ

Villici officia.

phoniâ suâ nos vocant. Interea de melioribus Dictis hinc auferas tecum. *Ut quisq; serit, ita metet. In alienam messem mittis falcem. Fertilior seges est alieno aut vicino in arvo. Mihi nec seritur, nec metitur. In saxis seminas. Littus aras. Sterilem fundum ne colas.*

Caput XXXIV.

Bucolica, seu Pastoritia.

DIximus suprà, Pastoritiam dividi in *Pecuariam*, & *Pastionem*, præcipuè Villaticam; nam Pastio duplex est, *Villatica*, & *Agrestis*; per illam educantur animalia in villis; per hanc in silvis. Pecoris nomine intelliguntur greges, armenta; sylvestres, domesticæ animantes, aves, pisces. *Pecuariæ*, sunt partes tres. *Prima* est, de minore pecore; ut sunt ovis, agnus, capra, hircus, hædus, sus, verres. *Secunda*, de majore; quales boves, vaccæ, asini, asinæ, equi & equæ. *Tertia*, de illis, propter quæ fructus capitur, tametsi ex eis non capitur, ut muli, hinni, canes.

Pecorarius. *Pecorarius* est, qui pecorum curâ victum quærit in villa pecuaria, puta lactariis, (vulgò lacticiniis) lanicio, & carnibus. Providet ergò, per pecuarios servos, pecoris fœturam, stabulationem, pabulationem. Pecudes fœtant feliciter, si matrices seminis sunt boni.

Stabula. *Stabula* sunt, ovile, caprile, agnile, suile seu hara, equile, bubile; & caulæ seu mandræ tralatitiæ, quibus solet includi noctu ovinus grex, ad agros, ejus stercore saturandos seu lætificandos. Alicubi pastoritia turba, mapalia sua carrucis circumvehit.

Pabula. *Pabula* sunt, vel recentia pascua, quò greges & armenta, per publicos actus seu vias, solent agi, pro-

prodigi, pelli, & propelli, ínq; paſcuis locis paſci; &, ſi unus paſtui non ſufficiat, hinc inde diſpeſci. Vel domi miniſtrata, herbacea, palearia, ſtramentitia (conſecando paleas in ſcamno ſtramentario) interdum & frumentacea. Veſperi ex paſtu ſeu paſtione depelluntur, & coguntur domum.

Prata, fœnum. Prata dicantur fœno: quæ ſi fuerint ſiccanea, irrigantur corrivatis rivulis. Ubi gramen deſectum eſt *ſeculis*, aggregatur per *ſtrigas* aut *ſtrias*; ſuperiore parte ſiccatum verſatur, & corraditur *raſtris* in cumulos, & acervatur; alicubi tridentibus in metas ſeu pyramides, exacutos ſcilicet vertices; denique vectatur *vehibus* ad fœnilia. E renaſcente gramine, fit *chordum*, (ſerotinum, ſecundarium ſeu autumnale gramen) quod autumnô ſecatur. *Siciliunt* prata, qui, quod relictum in fœnificio, ſubſecant, unde *ſicilimentum Catoni*.

Diverſa paſtorum nomina & officia. *Bubulcus* ſeu *bubſequa* exhibet pabulum ſuis bubus, (bubulo pecori) dum in præſtegis, aut quibuscunq; ſeptis ſtabulantur, idq; in præſepi vel cratibus. *Equiſo*, ſeu equarius, agáſo, camelarius, mulio, ſuo equino, aſinino, mulionióq; armento; *ſubulcus* verò ſuibus ſuis in aqualiculo; *caprarius* paſcit capellas virgulis frondium; Pecora luxuriantur, & luxuriant in campis, vituli vitulantur; bovinari obſoletum & antiquatum eſt.

Opilio inſtructus pedô & flagrô, ac moloſſis, quos contra lupos communit millô, educit paſtum oviariam ſuam, (gregem ovium) inſignitam charactere peculiari, & numeratam, non ſine peculio. Tempore tonſuræ (unde vellera & vellumina conglobata) oviculæ lavantur (aliàs quoq; perluuntur) ut à ſcabie integræ præſtentur; & à tonſtricibus tondentur, ſeu lanantur, vellúsque detonſum lanariis venditur.

Vaccæ

Lac, & butyrum. Vaccæ præbent *lac*, quod villica mulgendô excipit mulctrâ seu mulctro; è mulctrali infundit finis (finibus, fitellis, camellis) per colum; postridie demit pinguedinem, seu florem, sive cremorem, lacti innatantem, indéque conficit succussatione seu jactatu aut agitatione butyrum, inde butyratum, & ebutyratum *Pont.*) remanente primum lacte serosô seu agitatô: item oxygalâ vel oxygalate. Coagulum est lac gelatum & concretum: Colostrum, quod post fœtum mulgetur, & ab eo sugitur. Dicunt ex liquidis omnibus, quæ cibali causâ usurpantur, nullum esse lacte alibilius.

E secundario lacte, densatô ope coaguli, formantur in casearíis formis, aut *casei*, vaccini, caprini, ovilli; aut præssæ manu solâ *meræ*, iterum defluente serô; tandem desiccantur casei in caseali; qui laudantur, dum vel recentes, molles & mustei; vel acres & inveterati: maximè si cæci, & solidi; non item, si oculati, pumicosi, fistulosi, spongiosi, sapore fatui; conficiuntur etiam casei ollares.

Pecudum saginatio. *Pecudes* destinatæ mactationi, segregantur ab aliis, obesantur opimantúrq; saginâ, in saginariô, pastore obsipante escam; útq; faciliùs pinguescant, genitalia illis inciduntur; unde arietes *majales*, porci castrati, capones aliæq; aves altiles, quas pinguefaciunt fartores fartilibus offis & turundis. *Serarii* porci appellantur à sero lactis, *colluviares* à colluvie *pistrinenses* à sagina pistrinæ.

Pecudum morbi. Quia verò pecudes quandoq; fiunt *morbidæ* (nam oves sunt pulmonariæ, laborant mentigine, scabie, hirudinibus in jecinore, sues grandinosæ à grandine, cùm sub lingua venulæ variosæ nigrescunt, & totum corpus inficiunt. Boves coriaginosi, seu coriagine laborantes, ob vitium pellis, tergo adhærentis; equos hippomane infestat, &c.) Veterinaria medi-

cina

cina non est ignoranda illi, qui rem curat pecuariam. Pecudum rejiculæ sunt, quæ propter ætatem aut morbum rejiciuntur.

Pecoribus accensentur *aves cohortales,* quæ in cohortibus, gallinariis, columbariis, aviariis, ornithonibus, & ornithotrophiis aluntur, & è quibus plumæ velluntur, pro lectulis & culcitris explendis. Deinde pisces, qui asservantur in piscinis, seminariis, vivariis, seclusoriis. Gallina facit ova, cùm parit: pullos, cùm excludit; pullastri sunt in genere gallinaceo, quod nani in hominibus. *Aves cohortales.*

Quodlibet pecus rectè parabitur, & habebitur, si ætas in eo, si forma seu qualitas, si seminium consideretur, quæ omnia ad emptionem referuntur. Post emptionem, si scienter alatur, si fœturæ, nutricationis, sanitatis sedula fuerit adhibita procuratio. *Oves* (pecus ovillum) probantur ab ætate, si neque vetulæ sint, neque meræ agnæ. In forma exquiri solet corpus amplum, lana non modica, eadémque mollis, villi alti atque densi, circum cervicem & collum præcipuè; venter lanosus, crura humilia. Genere præstantes olim ducebantur Milesiæ, Calabræ, Appulæ, & potissimùm Tarentinæ. In ariete laudatur altum procerúmque corpus, frons ampla: intorta cornua & ad rostrum prona: ravi oculi lanâ operti: aures latæ, pectus, scapulæ, clunes lati: venter promissus, testes ampli, cauda densi velleris, & prolixa. In ovilibus pavimentum sit eruderatum, & proclivum, nam uligo scabritiem ovibus importat, & lanam ipsarum ungulásque corrumpit: æstate diluculò conducantur pastum, ut tondeant rorulenta gramina; sub æstum diei medium, compellantur in umbram; desectis frumentis, caducâ spicâ saturandæ; sic reddent, in annum venturum, opimam segetem, obtri- *Procuratio, & bona constitutio pecoris.* *Ovium.*

tis stramentis, & fimô suô. Arietes (sicut aliæ pecudes) admissarii dicuntur, qui ad sobolem procreandam, seu progenerandam, ad agnam admittuntur; castrati, quibus testiculi sunt adempti, vocantur verveces; & ex his sectarius est, qui, gregem agnorum præcedens, ducit; oves fœminæ maritantur post bimatum. Agni à matre seu lacte depulsi tenerius sunt nutricandi: agnelli, serotinâ fœturâ nati, dicuntur chordi.

Caprarum. *Capræ* sint firmæ, magnæ, corpore lævi, crebrô pilô, uberis maximi, lactis abundantissimi, simillimæ hircô, & sub rostra duas habentes mammulas seu papillas, ex ipsarum faucibus dependentes. Hircus sit amplissimô corpore, cruribus crassis, plenâ & brevi cervice, gurgulione largiore, flaccidis & prægravantibus auribus, exiguô capite; nigrô, densô, nitidô, molli, & longissimô pilô. Nomen habent capræ à carpendo virgulta, frutices, arbusculas, rubos; gaudent saltibus, dumetis, collibus.

Porcorum. *Suibus* volutabrum pro cubili, & anima pro sale est, quæ carnem servet, ne putrescat. Scrofæ seu porcæ sint longissimi statûs, unicolores potiùs, quàm variæ, & multiplici partu fœcundæ. Verris venter sit promissus, clunes vasti, nec crura procera, nec ungulæ; ampla & glandulosa cervix; rostrum breve, & resupinum. Porculi post bimestrem nutricatum, seu porculationem, à mammis removentur, & *delici* nominantur. Porculatoris est curare, ut, quamvis porcus sit immundum & spurcum animal, ejus tamen stratum præstetur mundum, crebriore purgatione.

Generis bubali. In *genere bubulo* quatuor sunt gradus vitulorum, juvencorum, boum, novellorum, vetulorum. In primo, sexus discernit vitulum à vitula, in altero, juven-

juvencum à juvenca, seu *junice*; in duobus ultimis taurum à vacca. Sterilis vacca, dicitur taura; prægnans, (fœtans, fœtificans) *horda*. Taurus mas est, & admissarius vaccarum, differt à castrato, quòd sit ipsi torva facies, aspectus vegetior, breviora cornua, torosior cervix, ventre aliquantùm substrictoriè. Jugatorius est, qui jugo subditur. In emptione attenditur, ut sint boves porrectis lateribus, proceris & robustis cornibus, latis & crispis frontibus, oculis magnis, hirtis auribus, compressis malis, dorsô rectô & planô, vel etiam subsidente; non gibberô; patulis & resimis naribus; cervicibus torosis ac longis; palearibus à collo ad genu dependentibus; corpore bene costatô; bonis rotundísque clunibus; caudâ profusâ usque ad calces; inferiore parte frequentibus pilis subcrispâ; compactis cruribus & brevioribus, genibus eminulis; pedibus non latis, coriô non asperô, aut durô.

Ex *Asinis* olim commendabantur Arcadici; silvestres dicuntur onagri; animal plagarum, penuriæ, laboris & famis tolerantissimum, morbis non facilè subjectum, esuriens tamen negligit fustem; à quo stulti petunt lanam; notum est Proverbium, *asinus ad lyram*. *Asinorum.*

Equos (quorum ætas à dentibus amissis deprehenditur) commendat modica magnitudo; vastitas & parvitas dedecorat; fœminæ clunibus ac ventribus latæ sint; admissarius corpore amplô, formosus, partibus inter se ubique proportione respondentibus. Admissuræ præfectus *Perorìga* dicitur. Equus castratus appellatur *spado* seu *canterius*. Equi futuri species ab indole, & corpore equuli seu pulli pendent. Optimus erit, si hilaris, & intrepidus appareat: si interritus ad conspectum rei novæ auditúmque: si, in pastu & cursu, cum lasciva alacritate gre- *Equorum.*

 gales

gales ad pugnam lacessit, nititúrque palmam præripere: si fossas sine cunctatione transilit: si pontes & flumina sociis haud exspectatis transgreditur. Adde caput exiguum, membra non confusa, oculos nigros, nares apertas, auriculas breves & arrectas, cervicem amplam nec longam, jubam crebram, subcrispam, in dexteriorem partem inclinantem: pectus latum musculorúmque toris numerosum, humeros seu armos grandes, ventrem substrictum, lumbos latos ac deorsum versùs pressos, spinam duplicem, caudam (seu *muscarium*) densam & setosam, accrispantem; (curti dicuntur, quibus cauda præcisa) crura recta, alta, æqualia: genua parva, &, quemadmodum clunes, rotunda: ungulas duras, altiores, concavas, coronis mediocribus suppositis; totum denique corpus non nimis grande; sublime tamen & erectum. Cùm sint autem multa equorum genera, videndum, quâ stirpe veniant. Nobiliores à regionibus nuncupantur Neapolitani, Ungarici, Turcici, &c. Equorum alii ad cursuram; alii ad vellaturam, seu vecturam sunt accommodati; quosdam oportet fiscellis capistrare.

Mulorum. *Muli* sunt bigeneri, & insititii, equæ & asini satu creati; hinni ex equo & asina progignuntur; hi minores sunt illis; auribus equinis, cætera similes asinis. Laudantur muli, qui peramplô corpore, validâ cervice, robustis ac latis costis, pectore musculosô, & vastô, feminibus lacertosis, cruribus compactis, coloris nigri vel maculosi.

Canum. *Canum* agrestium genus est triplex: *Venaticum*, quod adhibetur ad venatum exercendum, & parùm juvat agricolam: *Villaticum*, quod villam, &, quæ in ea sunt, custodit; tertium, *Pecuarium seu pastorale*, ad propellendas hominum & belluarum à pecore inju-

injurias. Laudatur in his magnitudo ampla, vastus & canorus latratus, color unus, magísque albus, aut niger, dejectæ & propendentes aures, nigri vel glauci oculi, acri lumine radiantes, amplum villosúmque pectus. Tempore admissuræ catulire dicuntur. Nomina canum ne multùm sint polysyllaba.

Jam ad villaticam pastionem pertinent etiam aves & pisces, hoc est ὀρνιθῶνες, ὀρνιθοβοσκεῖα, ὀρνιθοτροφεῖα, stabula, seu receptacula avium cohortalium, & earum, quæ conclavibus septæ, ad pinguedinem nutriuntur; & ἰχθυοτροφεῖα seu piscinæ. Veteres (& hodiè ditiores) habebant etiam λαγωτροφεῖα, seu leporaria, aut vivaria pro lepusculis, capreis, damis, cervis, apris, & aliis hujusmodi feris quadrupedibus, quarum venatione oblectabant oculos, & inde lautiorem epularum apparatum, tanquam ex cella, depromebant. *Alituum*, qui terrâ sunt contenti, aut intra, aut juxta villam pascuntur, sunt pavones, columbæ, turtures, turdi, gallinæ; amphibia verò, id est, partim aquatilia, partim terrestria, sunt anseres & anates. *Pavonis* maris, non fœminæ, honor est cauda, picturatas & gemmantes pennas in orbem circum se ostentantis, cùm plures speculatum accersisse animadvertit; si nemo adsit, indignabundus eam colligit. En superbiæ hieroglyphicum. In turturibus pudicitia & casta viduitas celebratur: *Columba* felle caret, neque morticiniô, neque prædâ vivit: conjugium semel initum studiosè servat; singulis ferè mensibus fœtificat: perpetuò gemit propter solicitudinem de fœtu, & ovis, quæ quot mensibus parit; propter timiditatem in summis tectis habitat. Turdis altilibus inclinatæ figuntur perticæ, perforatis in parietibus, aliæque in eis trans-

Avium cohortalium, ut sunt Pavones.

Pavones.

Columbæ.

transversæ gradatim aptantur, quò se recipian sessum. Nessotiophíum pro anatibus & anaticu lis ponitur locô palustri. *Anseres* adipandi, calid & tenebrosô locô clauduntur; carpunt, quidqui est tenerum; hinc abstinendi à locis consitis; clan gore produnt insidiantem, ut olim Gallos in Capitolio; stabulum eorum χηνοβοσκεῖον. Præ his longè major cura & pastus debetur *gallinis*; Plumæ in iis commendantur rubicundæ aut fuscæ, pennæ nigræ; sint robusti corporis, quadratæ, pectorosæ, capitibus magnis, rectis, rutilísq; cristis; probatissimæ numerantur, quæ quinos habent digitos, ita, ut ne cruribus emineant transversa calcaria, nam hoc virile insignè effert eas in contumaciam. *Gallinacei* mares eminent rubentibus ac sublimibus cristis, rostrô brevi & aduncô, oculis ravis & nigris, paleâ ex rutilo subalbicante: jubis ex auro flavis per colla cervicésq; in humeros diffusis, pectore musculatô, feminibus hirtis, cruribus brevibus, unguibus longis, caudâ magnâ, & prominentibus utrínq; pennis inflexâ. Sint elati, alacres, vigilaces, intrepidi, sæpe vociferantes, in pugna pertinaciter resistentes, conjugalem gregem animosè defendentes. *Matrices gallinæ* si fœcundæ sunt, dicuntur Adrianæ; aliàs effœtæ; quædam pumiliones; laudantur Medicæ, seu Decumanæ; improbantur albæ, tanquam molles. *Cibaria* gallinarum, pinsitam hordeum, & vicia, cicercula, milium, panicum, excreta tritici, lolium decoctum, furfures; morbus illarum *pipita*. In *caveis* crebræ perticæ trajiciantur, quas insideant & transiliant; Adsit pulvis, quô se superfundant, & pennas emundent; tempore parturitionis constrata sint paleis cubilia; & substramina identidem recentia substernantur; capones sunt exsecti galli, &c.

Nunc

Marginal notes: Anseres. — Gallinæ. — Gallinacei. — Matrices gallinæ. — Cibaria, & cors.

Nunc inducam te in *Apiarium*, unde *Apes* ſeu Apiculæ emittunt examen quotannis, cum addito duce ſeu rege, ut quærant novum alveare (alvear, ſive alvearium.) Struunt crates cellulis ſexangulis,(ſexangularibus,ſive hexagonis) & complent ac ſtipant melligine, (mellificantes) faciúntq; favos. E quibus tempore mellationis, ſeu mellis vindemiæ, mel effluit ſincerum; crates verò liquantur in ceram. Naſcitur pullities, cùm vernant & exundant novis fœtibus: procedunt ad opera, inſident floribus, quos aggerunt & comportant in ſua cubilia, ſeu apiaria, non ſine bombo; aliæ ſubvectant aquam & roris guttas, lanugine totius corporis. Melitúrgus ſeu mellearius ex mellificio ſeu confectura mellis, facit quæſtum. *Apiarium & Apes.*

Idem fugientem apiariam juventutem crepitaculis æneis revocat ad *melitrónem*, & alveos. *Saccharum* (ut hujus hîc obiter meminerimus) ſuccus eſt prædulcis, isque duplex. Vel enim eſt friabile, & in mutas formatum, (*Plinio* ſal Indicus) aliàs ſaccharum album, rude, infectum, vulgò culinarium; vel eſt mel factitium, è medulla cannarum Indicarum expreſſum, & excoctum igne, donec in ſpiſſitudinem & duritiem quandam concreſcat. *Deſiderius.* De mellilegis volucribus, niſi grave eſt tibi dicere, pluſcula audire cuperem, de quarum natura, moribus, ingenerata ſollertia non dubitavit Poëtarum princeps poſtremum Georgicorum librum mirabili eloquentiâ contexere. *Mercurialis.* Obſequar petitioni. Ex apibus aliæ ſunt ruſticæ, & ſilveſtres, aſpectu horridæ, & iracundiores, operis tamen ſtudioſæ; aliæ urbanæ, eæque vel breves, & in rotunditate compactiles, vel longæ, & veſpas referentes, minùs probatæ; ex his piloſæ, maximè vituperabiles. Quô autem pactô naſcantur, magna eſt *Saccharum.* *Apum natura.*

inter eruditos quæstio ; multorum est opinio , eas floribus progigni, & omnis concubitûs ignaras esse: alii sentiunt , partim eas ex avibus, partim ex bubulo corpore putrefacto aut fimo progenerari ; repræsentant monarchiam ; habent enim regem, cui deditæ sunt , & obtemperant ; huic forma eximia & corpus duplô, quam reliquis, majus, pennæ breviores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula, quodam diademate candicans ; majestate armatus, non aculeô ; foràs prodeuntem universa plebs comitatur, circumdat, ac protegit ; fessum sublevat, & succollat ; ubi ille consederit, castra locantur. Dum populus labore occupatur, ipse intus opera lustrat ; assiduum habet satellitium , quô auctoritatem suam apud cives subjectásq; conservat. Comprehensô duce, totum examen tenetur ; amissô, dilabitur, & aliò commigrat. Diligunt apes mirum in modum munditiem ; excrementa operantium, unum in locum congesta, turbidis diebus per otium exportant. Nulli loco inquinato aut malè olenti assident. Interdiu ad portas more castrorum statio est ; nocte quiescunt usque ad matutinum; tum una velut buccinâ , geminô aut triplici bombô reliquos de somno excitat. Si dies videatur mitis futurus , se ex alveari promunt ; secùs, remanent domi. Quæ flores congerunt, prioribus pedibus semina onerant , totæque onustæ remeant sarcinâ pandatæ. Excipiunt eas ternæ aut quaternæ, atque exonerant; aliæ domi struunt & poliunt favos ; aliæ materiam suggerunt ; aliæ cibum præparant ex eo, quod allatum est. Coortâ procellâ venti , feruntur lapillum pediculis correptum gestare, eóque se librare, ne impetu flatûs auferantur. Cùm vespera propinquat, minùs minúsque in alveo strepitant, donec una circumvolitans, bombô emissô, quietem impe-

imperet: quô factô, ab omnibus altum consequitur silentium. Vita illis septenniô longior non conceditur. Mellarius non patietur plures regulos, quæ est materia seditionum. Deterior, latámq; trahens inglorius alvum, neci dedatur. Gratum apibus pabulum thymus, serpyllum, lens, pisum, ocymum, cyperus, rosa, viola, lilium, cytisus, faba, ervilium, cunila, papaver, conyza, casia, melilótus, melissophyllus, cerinthe, eriganum, rosmarinus, amaranthus, pyri, pomi, &c. item frutices amelli, caules acanthi, scapus asphodeli, gladioli, narcissi, omnísq; generis flores. Hæc ex Plinio, aliísque. Nunquid exsatiavi te auditione?

Desiderius. Novum auscultationis appetitum excitâsti. Quid de piscibus? *Mercurialis.* Varia est significatio piscinæ; nam hoc nomine vocantur loci, in quibus lavant & natant homines: in quibus adaquantur jumenta; in quibus anseres & anates vivunt; in quibus lupinum & cannabis, aliáque ad usum macerantur; nos de iis agimus, quæ diximus Græcè ichnotrophía nominari. Pro cyprínis fundus sit pinguior, humidior, rarior; argumenta præstantiæ *cyprini*, vulgò carpionis, sunt caput exiguum, oculi emissitii, venter capacior & distentior, pinnæ & squamæ non luteæ, aut luridæ, sed nitidæ, & subcandidæ, totum denique corpus latius, quàm longius; de cætero non improbatur locus glareosus, calculosus, sabulosus. Habent piscinæ, propter intumescentis undæ insultus, aggerem, vallum, loriculam, canales, septa, & emissarium, per quod aqua tempore piscationis emittenda. Piscinarius curabit, ne humor necessarius aliquando pisces relinquat; explorabit, num quippiam, furore ventorum tempestatúmque, aut ab ipsis aquis læsum & violatum, sarturâ, emendatione, instauratione

Piscium cura.

Cyprinus.

K 5 indi-

indigeat; studebit, ne quid ibi ab avibus, à bestiis, hominibus detrimenti accipiatur; providebit certa ciborum genera, cuiq. piscium naturæ idonea; eximiam cyprinorum in fœtando luxuriem inductis luciis depascet; aliáque, quæ commemorare longum esset, facientibus iter. Istud addo, ex piscinis, plaustris, ac doliis ad vivaria & seclusoria squamigerum pecus avehendum; vel ad ichnopolíum, (forum piscarium;) ubi incerniculis, ex soliis vasisq; depromuntur. In ipsa piscatione adhibentur verricula bina, unum majus, maculis grandioribus, per quas juventus elabatur: alterum minus, maculis angustioribus, ad minutiores illos aquarum incolas capiendos. *Desiderius.* Non credo equidem, Orpheum in silvis inter suspensas cantu animantes, aut inter delphinas Arionem plus lætitiæ sensisse, ac dispertiisse, quàm ego te harum enumerante pecudum greges perceperim. Nunc quò tendemus porrò? *Mercurialis.* Mactè animô; si qua nobis per viam obrepsit fames, eam cerealibus, quæ se nobis offerunt, donis propitiabimus; Ubi, prius mori nostro servientes, paucula Dicta dixerimus. Ut sunt: *Ovis una scabiosa totum inficit gregem. Duo galli gallinacei in eodem fimeto. Canis ad vomitum. Sus ad volutabrum. Bos ad pristina præsepia. Mulus mulum scabit. Cùm mula pepererit. Albæ gallinæ filius. Ex ovo prodiit* (formosus.) *Ovo prognatus eodem. Lac lacti; ovum ovo simile. Lis de lana caprina; de tribus capellis; de umbra asini. Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere.*

Aliáque horum longè plurima. Nos, quam cepimus, pergamus viam.

CAPUT

Caput XXXV.

Artes alimoniæ frumentaceæ.

INſpectemus jam operas mechanicas, quæ introducunt novas formas rebus naturalibus, pro comparandis variis vitæ commoditatibus. Ejusmodi operationes fuerunt primæ, circa victum (alimonium *Varron.* alimoniam *Macrobio*) frumentaceum, ut molitoriæ, piſtoriæ, &c.

Antiquitus tundebant frumenta piſtillis in mortario, conficientes inde ptiſanam (pultem ex farina hordeacea;) deinde in pila pinſebant pilô, (ruidô, qui, in ſublime evectus, mox decidens ſeu ruens, ſubjecta contrivit) unde prodibat alica, (confectio quædam ex frugum quarundam farina, diverſimodè præparata, ut *Plinius* docet; potiſſimùm tamen ex zea deglúbita) quorum officina fuit piſtrinum. *Antiquorum piſtrinum.*

Poſtea ſunt excogitatæ *molæ farinariæ*; ubi circumagitatus velociter lapis molaris, (*catillus* ſuperior, *meta* inferior) mobilis ſuper immobilem, comminuit frumenta molis ſuggeſta, (per *infundibulum* ſeu *tympanum farinarium* transmiſſa) in farinam; cribrum vero excuſſorium ſeu pollinarium ejectat, perciſtam pollinariam ſeu molariam, primò crimum, craſſiuſculam farinam inſtar arenulæ, unde vernaculum nomen habet, efficax in uſu ciborum. Tum pollinem, florem farinæ triticeæ *Celſo*. (Aliis pollen eſt volatica farina, molendini parietes dealbans) ſeu ſiliginem, ſimilaginem, aut ſimilam; tum utriculum ſeu creturam (tenuius farinæ recrementum;) inde furfurem, purgamentum craſſius. Secális quoque triplex molitura eſt.

Molæ

Molæ farinariæ. Molæ istiusmodi erant primùm manuariæ, manubriô seu molili trusatiles; succedebant *asinariæ*, (*jumentariæ*) versandæ per jumenta molaria (seu molendinaria aut pistrinensia.) Utimur hodie *alatis* (pneumaticis) ventô versatilibus, sed magis *aquariis* (*hydromylis*) ad quas aqua derivatur, positô objectaculô in flumine; quæ per *tympanum* (*rotam haustoriam*) à *modiolis* hauritur, & erogatur per columbaria (foramina) *pinnis* seu assamentis, undæ impetu illud impellentibus. In *mola serraria* arborum trunci dentatâ machinâ undis agitatâ, rotisque, dissecantur in asseres.

Ad majores aquas fiunt moletrinæ binæ, trinæ, quadrinæ; unde molitoribus pro molitura tantò plus emolumenti accedit. Cribraria alica seu amylum est farina sine mola, factâ solâ tritici maceratione & exulceratione.

Pistor. *Pistor*, (panifex, pistrix fœmina) præcinctus semicinctiô, *cernit* (cribrat) iterum farinam farinariô cribrô (incerniculô;) affusâque aquâ & fermentô, (*fermentat*) addit salem, & *subigit* ac *depsit* manibus *massulas*, decerptas de subacta massa: aut abrâlas de *mactra*, quas impositas *palæ* seu *infurnibulo* infert, immittit, ingerit *furno*, per *præfurnium*; sed inde priùs ignem proruit *rutabuló*; quia non coquit panes subcinericios, ut olim, qui inter prunas assabantur; sed percoquit eas calore clibani, moderatè calefacti. Nam si fumus sit justô vel calidior, vel frigidior: si vaporaria, seu tubi clusiles non tempestivè laxentur: si non satis fermentata farina; aut fermentum sit inefficax; si massa minùs tumescit; aut malè sit subacta; tumefactus discedit panis, atque rimas agit, seu fit rimosus, aut nimis crustosus, cortice vel crustâ adustâ, aut fit crudus, rudis, densus, incoctus, parùm excoctus; spongiosus, assurgunt *bectæ* vel *bettæ*, seu

pusulæ

pusulæ aut pustulæ, unde panis pusulosus seu pustulatus.

Est autem *panis* alius cibarius, gregarius, plebejus, secundarius, (confectus ex farina, de qua pollinis pars sit excussus antè) secaliceus, ater, recrementitius, sordidus, furfureus, (furfurosus, furfuraceus) acerosus, hordeaceus, avenaceus, fabaceus, &c. Alius primarius, siligineus, similagineus, pollinaceus, niveus, candidus, dominicus. Alius bis coctus, (ne muceat) seu nauticus, sive buccellatus. Coliphium est athletarum panis valentissimus; cóllyra puerorum tenuior & levior. Alius fermentatus, alius azymus sine fermento. Item est recens, spongiosus, durus, aridus, exuccus, prædurus, induratus. Quoad figuram, est cuneatus, orbiculatus, in spiram flexus, &c. Orbes majores toti familiæ in victum diurnum sufficiunt. *Prompt.* Massa vel pasta panis. Interior pars mollis, & porosa, dicitur *medulla*; exterior infrà, & suprà, *crusta*. Pistor dulciarius liba coquit. *Panis.*

Ad *panificium* (pisturam, opus pistorium) requiritur materia bona, & proba, ut est *triticum*, fractu contumax, densum, grave, colore aureô, lucidum, læve, mundum, pinguíque terrâ ortum; quod, ne ducat situm, aut excrescens fugiat, versandum est crebriùs, agitandum & ventilandum *palis* ligneis. *Artóphylax* custodit & vendit panes in *artopolio*, seu *panario* publico. *Triticum.*

Nos affabulationem, ut loquuntur, subjungemus. *Rota molendini aquis mersa*, quibusdam mentem significat, inter fluctus immotam. *Ejusdem farinæ* dicuntur esse socii, minùs boni. *In frigidum furnum immittit panes*, qui indocilem docet. *Serò molunt Superûm molæ, sed deniq; malis frangunt cornua.* *Molam qui vitat, vitat & farinam*, fructus cum molestia.

Hinc

Hinc ad carnes vescas, neq; enim omnes sunt e[...]i, nisi piscium forsan. Quid tibi hîc? Emblema non multis abhinc diebus vidi, in hanc figuram. Rota erat aquaria, haustris in orbem cincta, nunc vacuis, nunc plenis: nunc depressis, nunc elatis, cum inscriptione: *rerum vicissitudo. Mercurialis.* Amo te de hac elegantia. Carnes degustemus.

Caput XXXVI.

Artes carnei alimenti.

Observa porrò artes, procurantes carneam alimoniam, ex animalibus vescis; piscatoriam, aucupatoriam, venatoriam; lanioniam, coquinariam.

Piscator. *Piscator* obsidiatur (insidiatur) piscibus variè, in locis piscosis seu pisculentis: majores supernatantes confodit *fuscinâ* seu tridente; minores obnatantes illicit *scirpiculis* (vel sirpiculis) aut demersis *nassis* [...] nassam ingresso non datur exitus; profundiores [...]tat *contô*, & extrahit ex amne excipulô contatô, [...]*genâ*, aut *fundâ* (seu reti, quod vocant *jaculum.*) [...]cu, *tragula*, & *verriculo*, (seu everriculo) quæ infe[...] mersantur ab appensis massulis, supernè alleva[...] subereis; laxitatem & raritatem macularum [...]bent diversam pro granditate piscium.

Dein partem piscium divendit; partem conclu[...] in *seclusoriis*, ut, cùm opus est, depromat *exc*[...] partim condit muriâ pro salsamentis, quæ vend[...]tur à salsamentariis; *hamiota* piscatur hamô, cu[...]ditam escam quisquis admorderit, hamatus & [...]ptus est; suspendit autem calamus uncum ex [...] vel linea pendentem, ne fundum petat; piscatu[...] dicitur *hamatilis*. *Cetarii* sunt, qui pisces maj[...] capiunt, aut vendunt, quorum vivaria dicuntur *cetaria*, ubi etiam saliuntur.

Aucupi

Auceps aucupaturus, aut exſtruit aut concinnat areàm, *reti aucupatorio* ſuperintectam, cui eſcam offundit; ipſe verò, ſe abdens in latibulo, allicit vel fiſtulâ vel *illicum* cantu transvolantes aviculas: advolantésq; adobruit, & circumretit; aut implicat *viſcatis virgis* & calamis; vel *amite*; (bacillô bifidô, & attractu funiculi, coëunte) aut impedit *pedicis*; (laxis ſetarum equinarum nodis, in ſe redeuntibus) item *tendiculis* (ſeu nebulosô reti, turdis & gallinaginum genti in aëre, tenſo) & *decipulis*; illaqueátque laqueorum *tranſennis*; aut iis immittit prædatrices aves, (ut ſunt accipitres, falcones, &c. quarum aliæ prædam involant; aliæ ſupervolitantes circumſcribunt, &, expulſam latebrâ, vellicant, deprimunt, terræque alliſam enecant; nonnullæ longiùs per æthera feruntur, in venatu ardearum; quocirca tintinnabula appenduntur, quibus agnoſcantur, & revocentur. Solet verò *accipitrarius* accipitrem, dextræ chirothecâ munitæ inſidentem, circumferre, eúmque è manu paſcere, ut diſcat magiſtrum ejúsq; vocem noſſe. Quas videt incolumes quocunq; aucupiô captas, includit caveæ vel aviario, ibíque paſtionem præbet in *canaliculo*, potionem in *potiſtre*. *Auceps.*

Perdíces & *coturníces* canis excitat, dum ante aucupem huc illuc diſcurrit, inventáq; prædâ conſiſtit immotus, ſæpius reſpectans, & caudam agitans; tum reticulum panditur, & cani avibúsq; injicitur; *coturnix*, fiſtulâ mulieris imitante vocem, invitatur; in via media, plaga diſponitur, in quam ſe incurrendô induit: *ſturni* & *monedulæ*, &c. capiuntur emiſsô in gregem unô alteróque, cum filo viſcato, & ſecum plures attactu, ad terram trahente. Et quid non ſæpe effecit, *noctuam* adhibuiſſe fœminam; aut *bubonem*; ad quem infeſtandum dum aviculæ advo-

advolant, in insidias & perniciem incidunt. Longè verò plurimis unà vel pluribus minutis è plumbo glandibus rumpuntur illa.

Venator. *Venator* venaturus, luce dubiâ, dum signa pedum roscida tellus servat, feras vestigat odoratu sagacium canum, qui, cùm prædam sentiunt, seu sagiunt, *parent*, & rostrô tacitô pererrant locum, ac demum *nictendo* & *gannitu* monstrant cubilia, lustra, latibula ferarum; quô factô cinguntur silvæ aut campi, indagine, seu expandendô retia, seu carbasea septa tendendô, & erigendô perticis (amitibus, tibicinibus, furculis plagariis.) Exinde clamore & *formidine* (lineis è variis plumis & pennis, in terrorem extensis) excitantur bestiæ è suis lustris. Postea, demptis *numellis* seu *copulis*, immittuntur & incitantur venatoriô cornu, canes pernicitate valentes, qui insequuntur, agitant, urgent, premunt feras, percellunt in casses; quibus implicatæ vel *sicâ* transverberantur, vel transadactô *venabulô* porriguntur. Tum venator curvô ferrô (cultrô venatoriô) solvit viscera, (quod *exenteratio* seu *visceratio* dicitur) certis adhibitis ritibus; intestina gestientibus canibus objiciuntur; panis etiam offæ cum ferino sanguine præbentur. Qui in recepta venantium vocabula ritúsq; peccaverit, mulctâ aut ludibriô venatoriô plectitur; clunes cæduntur parazoniô. Quod vivum capitur, transfertur in vivarium.

In *venandis apris* observantur volutabra, in quibus sæpe extra plagas, à molossis circumventi, collocantur hastâ. *Damæ* (silvestres capræ) montium jugis decutiuntur. Cervi & lepores exacti latebris transmittunt cursu campos, subsistunt, fugiunt. Et illi quidem lacus etiam & flumina tranant; isti fatigant canes multiplici gyrô, donec dente prehendun-

luntur, aut irretiti mactantur clavâ; vel, uti & cer-
vi, telô plumbeo seu globô trajiciuntur, præsertim
à *subsessoribus*, in umbraculis frondeis delitentibus.

Vulpes, à catellis excítæ, collisione bacillorum vel manuum plausu urgentur in lina reticulata. Illud ridiculum, cùm captæ, *vulpinô petaurô* sursum deorsum jactantur; *ursi* & *lupi* non raró in scrobes & foveas pelliciuntur.

Venator, præter cultrum & sicam venatoriam, portat venabulum aut sclopum seu fistulam ferream, (olim arcum & sagittas) ducítq; canes circumvolutis brachio, aut ad baltheum suspensis *copulis*, quibus eos vel colliget & retineat, vel solvat ac dimittat; quos ille novit suis nominibus compellare, sonúmque nominis cujusque multipliciter variare. Ex latere pendet pera & cornu seu buccina, qua, pro indiciorum varietate, mittit signa, sive bellua se moverit, sive inventa, sive elapsa, sive intercepta sit; sive exhortetur, sive requirat, sive receptum imperet. Sunt ei nôta vestigia ferarum, unde, & quâ regione vagentur, quarum & ætatem inde conjicit.

Inter *canes venaticos* commendantur indagatores seu vestigatores, auribus pendulis, caudis longiusculis, capitibus magnis, pectoribus latis, cervicibus longis, oculis fulgentes, rostris nigris, iisque brevibus ac validis, cruribus robustis, ac prioribus aliquantò brevioribus, clunibus latiusculis, ventre inani, naturâ agiles, & alacres. *Emissarii* (pernices, dromades) sunt longi, agiles, expediti, cruribus prioribus longioribus, capite etiam longiusculô, nec eô carnosô, sed gracili, oculis micantibus, pectore torosi, caudâ longâ, nec hirsutâ: & hi ac illi sunt *duripedes*. Vide Indicem, vel venatoria vocabula.

Lanius (carnarius *Martial.* lanio) mactaturus alti lia, ideſt, boves & alias pecudes ad cultrum emptas non *veſcula*, gracilia, vel morbida, deducit in laniena nam (lanarium, laneam, *Liv.*) ibíq; proſternit clav vel ſecuri inversâ; mox jugulat clunaculô, (cultro lanariô) & nudat pelle, exſecat corium (excoriat ſeu deglúbit conciditque fruſtatim, nec abjicit in teſtina, trunculos, ungulas (uti nec acrocolia anſe ris) cum pulticula menſis inferenda; capita item vitulina, & capitula hædina; ſues tamen ſaginatos, priùs perfundit candente aquâ, glabrátque *radula*, mox diſſecat in pernas, petaſones, petaſunculos, ſuccidias, &c. conciſisque viſceribus minutim, effarcit ſuinô (ſuillô) cruore farcimina; tum craſſiora: *apexabónes, longabónes, tomacula,* ſeu *iſicia*; & *faliſcum* ventrem; hoc eſt, ventriculum fartum conficit; tum graciliora, videlicet *botulos ſeu lucanicas*, & *billas,* ſeu *botellos.* Hinc botularii, fartores, porcinarii, popinarii, ſeu coqui nundinales, thermatopolæ, quæ vendunt cibos calidos in popína ſeu thermatopolio.

Veneunt igitur in *carnario* (nam macellum & macellarii latiùs patent) communiter bubula, vitulina, vervecina, hædina, ágnina, (ovilla) ſuilla; rarenter bubalína, aprugna, cervina, vel alia ferina; in *macello* verò, etiam gallinacea, anſerina, &c. Caprina, & hircina in cibis damnata eſt multis locis.

Coquus. *Res coquinaria* in 7. diſtributa partes ſecundùm Apicium eſt; vel enim coquenda ſunt jura; vel condimenta, cum cibis abſumenda, ut varia embammata & ecligmata; vel carnes; vel piſces; vel ova; vel fructus & herbæ; vel pemmata, cruſtula, placentæ.

Cocus igitur præcinctus linteô terſoriô, (præcin-

:inctiô) & cultris accinctus coquinariis coquit (coquinatur) esculenta omnis generis; aves priùs tamen deplumat, & deglabrat *Prompt.* super mensam *coquinariam*, eviscerat, exenterat; pisces dequamat, & exdorsuat, interdum & exossat; quædam dissecat & discindit super truncum carnarium; nduratos, (asellum scilicet marinum) contundit uditibus; salsas macerat aquâ; quædam depul- at pro conditu; quædam decoquit aquâ; alia vinô; quædam acetô, quibusdam varia condimena incoquit. *Tuccetum* vel *Tuceta* est caro bubula condimentis quibusdam crassis oblita, & totô durabiis annô.

Lixanda elixat ollis, cacabis, tripodibus; (*operularibus, operculatis* seu operculô tectis) elixata conlit sale, & aromatibus, comminutis in pulverem istillô in mortario, vel mortariolo; aut tritis super adulam, vel *tyrocnestem*, ac discobinatis; aut aliô enticulatô instrumentô minutatim concisis; *assaturas* trajectat lardô; (utens *lardario*, seu acu, quâ larum transmittitur) & assat verubus, ac veruculis in *ssario organo* rotatili, super crateuterio, ansis ferreis, ersabundis, suppositâ sartagine, ne pingue eliquaam (*liquamen*) pereat. Aliqua etiam torret super raticulam, aut cratem ferream, (ut est panis *escharites* piscis prunarius, offellæ porcinæ, &c.) aut frigit n sartagine, seu frixorio. Quædam vaporat seu vaoratione excoquit in operculatis cacabulis. E miutatim concisis carnibus (utens cultris incisoriis) acit *minutal, pastillos, intritum.* Idem conficit pulnenta, pultes, pulmentaria, cibos pulmentarios, iligineum, polentarium, ptisanarium, & avenaeum; apponitq; super *climacterem* in pultario, ne naculetur mensa; ipse quoq; munditiæ causâ manile in culina suspendit.

Lanius (carnarius *Martial.* lanio) mactaturus altilia, ideſt, boves & alias pecudes ad cultrum emptas) non *veſcula*, gracilia, vel morbida, deducit in lanienam (lanarium, laneam, *Liv.*) ibíq; proſternit clavâ vel ſecuri inversâ; mox jugulat clunaculô, (cultrô lanariô) & nudat pelle, exſecat corium (excoriat) ſeu deglúbit conciditque fruſtatim, nec abjicit inteſtina, trunculos, ungulas (uti nec acrocolia anſeris) cum pulticula menſis inferenda; capita item vitulina, & capitula hædina; ſues tamen ſaginatos, priùs perfundit candente aquâ, glabrátque *radulá*; mox diſſecat in pernas, petaſones, petaſunculos, ſuccidias, &c. conciſisque viſceribus minutim, effarcit ſuinô (ſuillô) cruore farcimina; tum craſſiora: *apexabónes, longabónes, tomacula*, ſeu *iſicia*; & *faliſcum* ventrem; hoc eſt, ventriculum fartum conficit; tum graciliora, videlicet *botulos ſeu lucanicas*; & *hillas*, ſeu *botellos*. Hinc botularii, fartores, porcinarii, popinarii, ſeu coqui nundinales, thermatopolæ, quæ vendunt cibos calidos in popína ſeu thermatopolío.

Veneunt igitur in *carnario* (nam macellum & macellarii latiùs patent) communiter bubula, vitulina, vervecina, hædina, ágnina, (ovilla) ſuilla; rarenter bubalína, aprugna, cervina, vel alia ferina; in *macello* verò, etiam gallinacea, anſerina, &c. Caprina, & hircina in cibis damnata eſt multis locis.

Coquus. *Res coquinaria* in 7. diſtributa partes ſecundùm Apicium eſt; vel enim coquenda ſunt jura; vel condimenta, cum cibis abſumenda, ut varia embammata & ecligmata; vel carnes; vel piſces; vel ova; vel fructus & herbæ; vel pemmata, cruſtula, placentæ.

Cocus igitur præcinctus linteô terſoriô, (præcin-

cinctiô) & cultris accinctus coquinariis coquit (coquinatur) esculenta omnis generis; aves prius tamen deplumat, & deglabrat *Prompt.* super mensam *coquinariam*, eviscerat, exenterat; pisces desquamat, & exdorsuat, interdum & exossat; quædam dissecat & discindit super truncum carnarium; induratos, (asellum scilicet marinum) contundit tuditibus; salitas macerat aquâ; quædam depulpat pro conditu; quædam decoquit aquâ; alia vinô; quædam acetô, quibusdam varia condimenta incoquit. *Tucetum* vel *Tuceta* est caro bubula condimentis quibusdam crassis oblita, & totô durabilis annô.

Lixanda elixat ollis, cacabis, tripodibus; (*opercularibus, operculatis* seu operculô tectis) elixata condit sale, & aromatibus, comminutis in pulverem pistillô in mortario, vel mortariolo; aut tritis super radulam, vel *tyrocnestem,* ac discobinatis; aut aliô denticulatô instrumentô minutatim concisis; *assaturas* trajectat lardô; (utens *lardarib,* seu acu, quâ lardum transmittitur) & assat verubus, ac veruculis in *assario organo* rotatili, super crateuterio, ansis ferreis, versabundis, suppositâ sartagine, ne pingue eliquatum (*liquamen*) pereat. Aliqua etiam torret super craticulam, aut cratem ferream, (ut est panis *escharites* piscis prunarius, offellæ porcinæ, &c.) aut frigit in sartagine, seu frixorio. Quædam vaporat seu vaporatione excoquit in operculatis cacabulis. E minutatim concisis carnibus (utens cultris incisoriis) facit *minutal, pastillos, intritum.* Idem conficit pulmenta, pultes, pulmentaria, cibos pulmentarios, siligineum, polentarium, ptisanarium, & avenaceum; apponitq; super *climacterem* in pultario, ne maculetur mensa; ipse quoq; munditiæ causâ mantile in culina suspendit.

Vasa vel sunt Samia (testacea:) vel ænea: aut cuprea; & hæc incoctilia stannô, ad obliterandum saporem æris. Quædam ex his adstituit igni, quædam collocat supra *chytropum* (sustentaculum) *Authepsa* spontè coquit, substratis prunis.

Si quid in coctione (coctura) effervescit, ac bullit; refutat (coërcet) tegulô seu coopercuiô, ne ebulliat supra labrum, & circumfundat se lebeti; si spumat, tum despumat (spumam deducit) cochleari spumariô. Sed ne amburatur vel crassescat, movet & agitat *spathulâ*, (seu ligulâ, rudiculâ, tudiculâ;) fuscinulâ verò (*creagra*) extrahit fervida: *fiscella* colat jurulenta. Accúrat etiam, gustatô prius, (nam nihil ingustatum mensæ inserendum) ne quid in cibis sit fatuum, insulsum, aut persulsum; aut plus justô conditum; ne quid semiassum; semicoctum, semicrudum: aut non satis elutum, vel à rejectamentis minùs purgatum, ac rejiculum; ne quid perfrixerit; ne caro sit morticina, viéta, fracescens; ne vaccína vetula. Olera sunt insipida, nisi piperata & uncta. Si quid in jure coactum, seu spissatum, resolvit *ignitabulô mensariô*. In ovis attendit, ut sint recentia, non requieta; sorbilia, non dura; quædam sunt frixa; quædam autem elixa; quædam pani jurulento seu jusculo offusa; alia in lacte dissoluta. Condit butyrô, adipe, arvinâ, eliquamine, pulvere aromaticô. Bubulæ incoquit radices apii & pastinácæ, superfundit scobínam majoris raphani; aut jusculum ex ovis dissolutis: addit nasturtium, &c. assaturam, salviæ foliis sapórat, &c. Plura de cibis reperies in Syllabo Onomastico, verbo: Intritum, Jusculum, Offa, Ovum, &c.

Placenta variæ. Officium quoque coci est, præter elixas & assarias dapes, percoquere multimoda *pemmata*, *hydra-*

pem-

pemmata, & *artopemmata*, ut cerasinum, duracinum, malinum, sambuceum, è piris in *taleolas* concisis, &c. Idem *placentas* apparat, quarum aliquas in *plathano* (lævigata culinæ tabula,) volgiolô dilatat in *tracta*, (seu *tractas*) & hæc extenuat in membranulas, unde fiunt placentæ variæ: *umbilicatæ, tolipæ, coliphia collyræ. itria*, (facilè fragilia,) *pileato*; è sesamo, aut granis papaveris, ac melle; è flore sambuci, &c. *Lagani* quoque, (lagana) & *artolagani, spiræ, scriblitæ*; item *popana, moréta, liba, globuli farinacei*, &c. fabaciæ, sunt liba è faba. Idem varia parat jusscula: quædam ferventi liquamine perfundit, quibusdam addit minutatim cepas consectas, aut concisos cepularum cauliculos. Alia sunt crocata & croceata; in alia tessellatim insecat panem; assulatim in alia; aut infriat micas, facítq; è pane friatili pulticulam.

Eadem res alit magis jurulenta, quàm assa; magis assa, quàm frixa: tosta verò, infumata (infumibulô durata) ac muriatica, difficilis est concoctionis, & digestionis, (concoctu pertinax) nisi adjutu aut alicujus intinctûs, aut juris piperati. *Varium jus est*, scilicet nigrum, flavum, spissum, liquidum, gelatum, seu coactum, vel etiam caseatum, croceatum, gallinarum decoctarum: Verùm *artocreas* (atis) aut panis *testuaceus* (*artoptitius* seu *clibanites*) fiunt in *clibano, furnulo, artopta, testo*; (subjectô illis impositóque igne) & farciuntur uvis passis, &c. Fit quandóque panis dulciarius piris & juglandibus fartim ingestis. Non avium tantùm & piscium, sed aliarum quoque pecudum carnes, includuntur *panificiô* à *cupedinario*.

Cinislo, (coculus fuliginosus) ut accendat & construat ignem, parat sibi *cocula* ligna; habet *cremia*, (materiam aridam, ut schidias, assulas, sarmenta, *Cinislo seu coculus.*

ramenta) igniarium cum fomite, & sulphuratis, silice, ac chalybe; tum sufflat buccis, aut flabellô, vel folle; cinerem & prunas proruit *hamá* (harpagóne;) collectat, & transfert *bacillô* seu *rutellô* ferreô; curat, ne intermoriatur foculus; supra quem suspendit ahenum, (caldarium) in quo calefacit aquam. Si multa coquinanda sunt, luculentiorem focum excitat, & cavet, ne, quod assandum, ustuletur, & in cremium (durum illud, quod in *frixorio* adhærescens remanet) convertatur: aut, quod oporteret subassatum esse, torrefiat; néve rotulæ automatis assarii quiescant.

Focaria. *Focaria* verrit culinam, & everrit scopis quisquilias, purgátq; vasa coquinaria, & linteô vel peniculô extergit mensas, abstergit sordes. Verua nonnunquam arenâ perfricat, ut nitescant; in lebetibus si quid tenaciùs adhæsit, loriculâ hamatili abradit; cùm colluuntur vasa, fit eluvies, proluvies, lavatrina, eluenda per fusorium, seu aquarium, ut effluat. Vide cap. 87.

Nunc quædam pro nostro gustu. *Inutiliter laborat, qui piscatur in aëre. Piscator ictus sapit,* malô suô. *Nihil agit, nec capit, qui invitis venatur canibus. Ambitiosus aucupatur honores. Avidus gulo cibum à veru rapit. Stolidus elixat lapidem. Dignum patellâ operculum;* similis simili. *Canes venatici,* parasiti. *Quod tibi intrivisti, exede.* Quod cepisti aut suasisti, perfice. *Quod alius condivit, ego aliter condiam. Citiùs quàm asparagi coquuntur. Flamma fumo proxima,* periculum indicat. *Rete vel funis nihil attraxit,* vanè speranti. *Aureô piscatur hamo,* cùm major impensa, quàm pretium operæ. *Semper tibi pendeat hamus,* dum lucrum speras. Et illud: *meus est, voravit hamum.* Quid tu? *Desiderius. Minor piscis majoris præda est. Mercurialis.* Symbolicè

Nunc ad potum.

CAPUT

Caput XXXVII.

Artes potulentorum.

NAturalis potio est aqua; tum lac serúmve lactis; dehinc didicerunt parare potum inebriantem, quem vocabant *temetum*, quod tentet caput, unde temulentia; fuítq; primitus mulsum, mustúmve è pomis; tandem invaluerunt vinum, cerevisia, hydromeli, & vina igne liquata, quæ quomodo fiant, videamus.

Vinétor (vitisator) plantat vineam, dum obserit collem apricum (vinealem, vinarium, vitiferum) novellis viticulis (quas alit in *vitiario*;) aut propágat vites veteranas *traducibus*; aut earum cacumina mergit terrâ, ut undiq; radicatæ, pòst discissæ duæ fiant, quod est *pangere*. *Vinitor.*

Tum *deputat* (circumcídit, amputat) vinaticâ scirpiculâ, seu falculâ vitem luxuriantem quotannis, (ne sterilescat ubertate) ut è resece pullulent novi palmites; qui, cùm rarò per se surrecti sint, (licèt *capreolis* quidquid possunt, apprehendant) arrigit eos, & alligat, adjugat, palat *statuminibus*, seu *pedamentis* & *adminiculis* (nempe palis, perticis, ridicis;) aut transversis canteriolis ac jugis; quin & arboribus; unde vitis arbustiva, quæ illis jugata & maritata est; secus, quæ vidua. *Compleviata* vitis, quæ in tecti modum est fornicata; *pergulana* ornat pergulam (*canteriata*, *pedata*;) *calvata* est vinea, ubi paucæ vites. *Cultura vineæ.*

Pastinat idem vineam bidente seu *pastinâ* (instrumentô bifurcô,) & *repastinat*, fodiendô ac refodiendô, herbas & gramina extirpandô, (ne reviviscant, & vitium semina perurant;) *ablaqueat*, circa vitis radicem terram aperiendô, & lacus aut lacusculos

efficiendô. Mox *pampinat* pampinator, coles ex sarmento defringendô, decerpendô, & resecandô; vitiginea ligna dat Vulcano. Sed antequam *vindemiet*, exspectat maturitatis tempus; nam vitis primò lacrimatur, tum gemmascit (gemmat seu gemmas emittit;) deinde coquit præcoquas uvas (unde vinum præliganeum:) exinde passim edúles; denique vindemiator instituit vindemiam: (vindemiat) racematione pauperculis relictâ.

Vindemiatio.

Botros, scapis abscissos *leguli* (collectores) *comportant* pitinis, & cupis dorsuariis in torcularium, (torculum) conjiciúntque in *forum, Columell.* seu lacum vinarium; tum in labris & alveis *calcant* pedibus, aut contundunt ligneô pilô, & effundunt in lacum: unde mustum defluit per qualos in orcas; reliquus uvor ex acinis exurgetur torculari, per cujus cochleas prælum attollitur à torculariis, demittitúrque, aut rotæ, aut suculæ versatione; sed vinum *lixivium* (*protropium*, quod in lacum priùs fluxit) est suavius *tortivô*: *musteum* dulcius *liquatô*; *meracum* fortius dilutô; rubellum seu rubeum magis calorificum albô, aut helvolô.

Abditur in cellis, cadis & doliis elevatis super canterios. Olim, cùm erat promendum, relinebatur: nunc aperitur dolium per aperturam, & *siphunculi* seu *epistomii* laxationem, benè convenientis in *cupam*; & inserti in foramen doliare, post remotum *axiculum*. Dicitur etiam siphon, siphunculus, tubulus ille vel fistula, quæ dolio immissa (pollice supremum ejus os claudente & aperiente) liquorem reddit; aut suctu spiritúve extrahit. Vinum *stillatitium* excipitur suppositô excipulô; vinum quoque *elutriatur* (unde elutriale) cùm de vase in vas transfertur per infundibulum, aut utrem. Aut saccô castratur, frangitúrque, ejúsque vires emedullantur; unde

Diversa vini fractura.

sacca-

fæcatum vocant. Fæculentum est, cujus liquor crudior statim post vindemiationem exprimitur, etsi postea à fæcibus abstrahatur. Alterum verò est *defæcatum*, quod non illicò ex uvis premitur, sed cum illis aliquandiu in orca decoquitur, & depurgatur. Sed *hornum*, (hornotinum) fæculentum, seu fæcatum est; *annotinum*, (anniculum) defæcatum, quia deferbuit: défrutum vocant *sapam*; exolétum *vappam*; ex aqua & vinaceis factum, *loram*, vinum acinaceum; ex aqua & aceto mixtum, *poscam*. Dolia condendis vinaceis, acinatia vocantur *Varroni*.

Præstantiora vina sunt Apianum, seu Falernum, Arvisium, seu Creticum aut Chium, vulgò *Malvasium seu Marvisium aut Malvaticum*, Calénum, Massicum, Hispaniense, & alia peregrina, seu exotica vina. Nobis usitatiora sunt Rhenanum, Mosellanum, Rhæticum, Alsaticum, Austriacum, Ungaricum, Neccarium, Tubarinum, Athesínum, Acronicum, Vernaciolum; Indigena idem est, quod patrium. *Præstantiora vina.*

Factitia sunt absinthítes, helenítes, nectarítes, aromatítes, cerasítes, saccharatum, rosatum, seu rosaceum, & varia *defruta*, aliáq; medicata & herbis condita & concinnata; quædam etiam herbilia dicuntur, ab herbis injectis. *Hippocras* omnium aromaticorum est delicatissimum; *nivatum*, ab infrigidatione nivis nominatur. *Factitia vina.*

In laude vini ponitur, si sit purum, putum, clarum, merum, merácum, consistens seu ferens ætatem, annosum, vetustum, generosum, nobile, honorarium, fragrans, odoratum, molle, suave, denique nectar & flos Liberi; unô verbô *cos* à colore, odore, sapore.

In vituperio, villum, dilutum, limphatum, aqua-

tum, ignobile, fugiens, exolefcens, edentulum, marcidum, acefcens, afperum, pendulum, dubium, fecundarium feu operarium, mucidum, quod fcilicet à mucore mucet & mucefcit, aufterum, mordax, quamquam fit quædam grata mordacitas; deniq; fæx, (recrementum) quæ partim cum turbido vino bibitur, partim lapidefcit; & *crufta vinaria* ac lapidofa doliis inhærens.

Varii potus mufsulenti. Sunt infuper varii *potus mufsulenti*, qui vel conficiuntur ex favis & aqua (immixtis aromatibus;) ut eft *Aqua mulfa*, ad ufus condita; *Melicratum* autem recens, eft miftura aquæ, cum melle, aut faccharo, repentinô ufu parata; (officinæ *Julepum* vocant) *Hydromeli*, mulfum ex aqua & melle, temperatâ vetuftate, vini faporem referens. *Melitites* eft ex melle & mufto auftero; fed *promulfis* ex dulciore vino ac melle; *ficera* eft è pomis mufteis factitia, uti *piratium* è piris; conduntur hæc in vafis *defrutariis*, (vel promulfidariis) bibuntur ex *muftariis*, venduntur à *promulfidariis*, feu aquæ mulfæ coctoribus.

Vinum adustum. *Deftillator*, (vel diftillator) in clibano feu furno Campanico, prolicit igne, è fæcibus cerevifiæ, aut vini: vel etiam fermentato farre, aut pomis: exftillatam, exfudatam, delacrimatam (per cupream veficam, fuperpofitúmq; turbinem, vulgò *alembicum*; *Plinio* utrumq; dicitur *diploma*) ardentem aquam, dictam, vinum aduftum, feu fublimatum; aut aquam vitæ.

Lupularius. *Lupularius* infervit cocturæ zythi, dum indens turiones (tenella cacumina) lupuli terræ liratim, ad fingulos cauliculos depangit palos, ut, fe his circumplicandô, ferpant furfum; quorum flores abftringit, cùm permaturuerunt.

Polen-

Polentarius macerat grana frumenti, donec intumescant: tum asficcat in pavimento, versat & reversat sæpius, usque dum dissiliendô cœptent producere germina; convertitq; in *bynem* (hordeum seu triticum tostum;) & permolit in molendino polentario in *polentam* seu farinam crassiorem; polentaceæ quisquiliæ, seu hordei decocti fæces, saginant pecora. *Polentarius.*

Cerevisiarius, (zytepsa, zythopæus) permiscens lupulum polentæ, (cremori, seu succo polentaceo) quam in ferventem aquam injectam, spathis & rutabulis ligneis, diligentissimè versat, coquit in aheno cerevisiam (unô factu, seu coctione quadraginta & ampliùs nostrates urnas;) post aliquot percoctiones & transfusiones ex caldario in alveos, (orcas, tinas) detractásq; percolatione macerati hordei quisquilias, seu polentaceas fæces decocti hordei, in saginationem boum; denique excoquit *zythum.* Istud post refrigerationem deportatur in cellam, per servos & bajulos cerevisiariôs, usitatis scaphis, trajectô per earum foramina, vecte; ubi in cadis seu doliis (veteres vocabant serias & orcas, vasa oblonga; nostratia sunt grandiora; & veteri nomine, *culearia*;) ebulliendô & effervescendô defæcatur, rejectis foràs crassamentis, (recrementis) per superius os vasis, alveolô exceptis; quarum fæcium aliquæ (ut & hoc meminerimus) serviunt pileatoribus ad incrustandos pileos: ad panificium aliquæ, &c. Si verò acorem contrahat, & paulatim acescat, aut mucescat, infunditur cupis & doliolis acetariis; & fit acetum. Est autem cerevisia dilutior, quæ secundaria; primaria verò potentior, vetusta, meráca, tenacioris spumæ, subrúfa; non crassa, nôn amara: & gratâ quadam acrimoniâ (acritudine, acredine) vellicans linguam; ex cerevisia fit jusculum *Cerevisiarius.*

cere-

cerevisiarium aut zythinum. *Desiderius.* Ego aliud quid sitio. *Mercurialis.* Scio; infundam, & quidem acetum. *Desiderius.* Num sapiet? *Mercurialis.* Imò tu sapies inde; habes enim acetum in pectore; seu Venusinam juxta phrasin, Italô es persusus acetô. salsa enim ut juvant, acuunt, irritant stomachum; ita ingenium. *Desiderius* Hæc tibi loqueris. *Mercurialis.* Ex eodem: Sua quisq; cædat vineta, (non carpendô aliena.) Et vide, cui fidas Sodalium; nam uva livorem ducit ab uva. Quid hoc? multi thyrsigeri, pauci Bacchi? *Desiderius.* Opinor idem, quod: multi stimulatores boum, pauci aratores. *Mercurialis.* Nempe non omnes qui habent citharam, sunt citharœdi. Sed dic, in vite (quæ est symbolum fœcunditatis liberorum) quot sunt uvæ? *Desiderius.* Aliàs plures, aliàs pauciores. *Mercurialis.* Secundùm Philos. Anacharsem sunt tres: prima *voluptatis*; altera *ebrietatis*; tertia *molestiæ*: alii quinq; numerant, addentes *necessitatis* & *furoris.* Quid amplius? *Desiderius.* *In vino veritas. Vinum lac Senum.* *Mercurialis.* Inter uvas & racemos quod discrimen? *Desiderius.* Hîc piscis sum. *Mercurialis.* Illæ majores sunt, & crassioribus acinis: hi minores, & minoribus granis, unde racemare, (ferè enim uvæ minores sub pampinis latentes fallentésque, à vindemiatore relinquuntur) & racemosissima vitis, *Plinio.* Uva miscella dicitur, saporis misti inter dulcem & austerum: uva præcox seu præcoqua ante alias maturescens. Ollaris, in fictilibus ollis condita. *Apiana*, vulgò, *muscatella, uva passa*, quæ in siccando passa est Solem. Et *acini passi*, quos nos bacculas vinaceas appellamus. Veteribus, *uvæ Corinthiacæ* dictæ. *Uva duracina*, quæ acinos duriore crassioréq; coriô fert; aliàs eadem est, quæ *pensilis.* Atq; hæc intra corpus abdimus; nunc conquirendum, quid ei circumdemus.

CAPUT

Caput XXXVIII.

Vestimenta.

AD tegendam nuditatem adversùs tempestatem, opus nobis est amictu; qui simplex fuit antiquis, defendentibus (velantibus) à Sole caput *cucullô*; corpus ab algore, *braccâ*; pedes à cœnosa aut scruposa viâ *sculponeis* vel *carbatinis* (recentiore bubulô;) nostrô ævô, omnia aliusmodi; usq; ad luxuriem nitidè, & habitu multiformi, segmentato, acupictô, confiunt.

Viri gestant alicubi in capite (ut Turcæ) *tiaras*; alibi contegunt illud pileô (altô, depressô, brevis, largi marginis; cum auricula aliquando reducta aut reflexa ac fibulata, assutô torulô,) ornatô spirâ & *offendice*; aut *petasô* vel *galérô*, umbellæ caussâ: aut *galericulô*, seu pileolô domesticô; vel adversùs frigus pileô pellitô, seu *cudone*. Fœminæ colunt & tegunt capillos variè pexos, & plexos, in pegmata concinnatos, aut *capillari* collectos, aut *discerniculô* (acu crinali) discriminatos; vel circa frontem vibratos; tæniis, redimiculis, reticulis redimitos; aut caput obvolvunt capitiis, calyptris, vittis, calanticis, ricis & riculis, plagis & plagulis, faciémq; prætegunt peplis & flammeis. Imponunt etiam sibi galeros & laneos, (necnon stramineos:) *galericula* aruminata è pellicula muris Pontici, aut in orbem depressiora, mustelâ Scythicâ, aut aliâ peregrinâ pelle, vel serico villoso, prætexta; aut multis spirulis circumtexta.

Indumenta corporis sunt ad induendum & exuendum; intimè: indusium, interula, subucula (linea vel lanea;) tum thorax cingulô tenus pectori aptatus & laciniis (patagiis, lumbaribus, loriculâ) sub- *Indumenta corporis.*

subornatus; aut tunica demissa vel crurum tenus, (qualis est lacerna, amiculum, tunicula, togula;) vel talaris toga, eáq; vel manicata (manuleata:) vel sine manicis, succingenda, si fuerit sinuosa, laciniata, undans; & pallium (palliolum, mantélum ve mantellum, penula) seu epitogium. Infra cingulum, sunt laxiores seu follicantes braccæ; vel adstrictiores caligæ (Suevorum ab imis pedibus ad axillas usque pertinent; quibus arctiora sunt & strictiora femoralia seu feminalia, subligaria, subligacula, perizomata.) Tibialia inferius cuneatô segmine intercepta, tegunt tibias; ornantur & substringuntur fasciis cruralibus seu genualibus (periscelidibus.) Fœminas ab humeris amicit amictorium; circa pectus mamillare; ante papillas, pectorale strophium (vel pectorale tantùm;) à cingulo (zona;) deorsum cyclas, theristrum, palla, stola, tunica quoq; & toga; quandoq; cum syrmate. *Riciniô*, vel riciniô utuntur in funere alicubi; præcinguntur *castulâ* seu præcinctoriô, aut succinctoriô, supparô, ventrali; plerumq; rugatô.

Rusticum contegit amictus rusticus: viatorem viatorius: nautam nauticus: ut sunt abollæ, rhenones, bardocuculli, penulæ (gausapinæ, gausapæ, gausape, gausapa) villosæ & cannabinæ; levidensæ; impexæ, & pingues lacernæ; militem, sagum, sagulum, læna, chlamys, colobium coriaceum, seu scorteum, &c. Senem diplois cum gossypio, aut panno subditio: mastrúca (vestis est longior pellibus suffulta:) vel etiam penula aut lacerna pelliсea, &c. Nobilem varia synthesis & multitia (orum;) Belli ducem paludamentum; Imperatorem toga prætexta, palmata, trabeata seu trabea; Senatorem laticlavia sen clavata. Inopes consarcinant sibi centones, centunculos, & pannucias, ex recisamen-

mentis variè collectis; unde sunt pannosi, pannucei, pannis obsiti.

Collum circumdatur collari (&, contra frigus, focali) seu patagiô, (summæ tunicæ lineæ assutô) quod vel est planum; vel linibus ordinatum in plicas, seu plicatum cylindrô; aut canalicatum, rugosum, striatum, inflexum, segmentatum, denticulatum, cuspidatum, &c.

Sunt & *manibus* sua patagia, scilicet manuaria, (aliàs *dextrariola*) in spiras, rotulas, fimbrias conformata; easdem muniunt chirothecæ, & manicæ, (hæ etiam brachia tegunt;) sæpe à pectore dependent indusiarii, collarísve funiculi, cum glandibus & globulis lineô filô contortis. Nares emunguntur strophiolis, & mucciniis; sudor abstergitur sudariô. Vestium partes connectuntur aut ligulis, adstringendô nodos; aut fibulis seu orbiculis, infibulandô illis uncinulos, seu hamulos: aut nodulis vel globulis, innectendô hos oræ alterius; quamquam hæc etiam ornatûs causâ multipliciter assuuntur.

Pedibus calceandis parantur socci è lino: vel udones cilicini; seu impilia, è lana coacta; vel crepidæ subereæ (subere mollitæ & suffultæ;) vel è corio calcei: qui, si fuerint angustiores, inducuntur pedibus, ope inductorii; si nimis arcti, premunt & urunt; sunt aliquando lignô, aliàs densatô coriô suppacti, amentati, fenestrati, cæci, obtusi, repandi, præposterè inducti: quorum partes: solea, obstragulum, (corrigia vel adstrigmentum) & ansulæ. His adde ocreas longiores; ac breviores, suras, & semicrurales perones. Calapodia ferrata seu calones serviunt mendiculis, & per glaciem labentibus; endromides pedisequis; cothurni Tragœdis; socci Comicis; phæcasia Epi-

Episcopis; sandalia, sicyonia & calceoli serici fœminis. Lunulis calceamenta veteres ornabant; deculcat calceos, qui eos deterit: excalceatur, qui calceamina exuit: qui gestat, dicitur calceatus, soleatus, cothurnatus, soccatus, phæcasiatus, crepidatus, ocreatus, &c.

Similiter à cæteris vestimentis, penulatus, cucullatus, gausapatus, chlamydatus, sagatus, mastrucatus, cycladatus, Punicatus, togatus, palliatus, lacernatus, patagiatus, armillatus, caligatus, pileatus, petasatus, paludatus. Est etiam pro diversitate loci & rei: vestis forensis, balnearis, cubitoria, cœnatoria, famularis. Apud veteres *suffibulum* erat genus vestimenti, quod sub mento fibula comprehendebatur. *Mulioniam* penulam *Cicero* dixit. Restat, ut quædam per digressionem interseramus. *Tunica palliô propior*; est amicus alius aliô devinctior. *Penulam scindere* dicitur, qui hospitem impensiùs detinet. *In toga & sago clarus* est, qui domi militiæque celebratur. *Discincti nepotes* sunt homines ignaviâ & luxuriâ diffluentes; *præcincti* verò, seu *cinctuti*, fortes, strenui, ad militiam accincti. Unde cingulum militare, insigne honórque militum. Cincticulus, genus amiculi, quod ferè sub umbilico præcingitur. Cinctus Gabinus erat toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia à tergo revocata hominem cingeret; quo habitu Magistratus sacris operari solitabant. Pileus Romanis non erat in usu, nisi certis temporibus & personis. *Vide Lipsium de Amphit. Ad pileum vocare*, est libertatem offerre. *Laticlavii* appellati Senatores à latiore clavo togæ intexto; unde *toga clavata & laticlavia*; equestrem dignitatem *clavus angustus* ornabat; *palmata*, si palmarum rami; *trabeata*, si trabes intextæ. *Prætexta*, cui purpureus limbus per circuitum prætextus, gestamen

men Magistratuum & Regum. Nec non adolescentum ad annum ætatis XVII. inde togam puram, candoris nivei, sine purpureis oris induebant, quæ Virilis dicta. Tunicata quies *Martiali*, remota ab officiis forensibus; nam tunica servorum & rusticorum erat cultus. Mantele (mantelum & mantellum, quibusdam etiam mantelium,) alias idem, quod mantile; alias pallium seu palliolum, metaphoricè, nequitiæ. *Lunulæ* in calceis erant insigne nobilitatis, unde lunati calcei, lunata pellis. De calceo *Horatius*: *Si pede major erit, subvertet; si minor, uret*. Plura non permittit tempus. Ad vestium artifices revisamus; nisi sit, quod superaddas. *Desiderius*. Munus levidense, est vile & infimi pretii. Superbi in cothurnis ambulare dicuntur. *Mercurialis*. Æstate penulam deteris; patrimonium in juventute. Pergimus. Formam paludamenti descriptam habes in Ruina Reip. Rom. de quo libro alibi. De *caligis* variè disputatur, an significentur iis ocreæ coriaceæ; an tibialia; an femoralia promissiora. Nos cum pluribus locuti sumus.

CAPUT XXXIX.

Artes vestiariæ.

Quia vestes sunt lineæ, laneæ, gossypinæ, (xylinæ) sericæ, subsericæ, pelliceæ, coriaceæ; videamus, quomodo parentur, & conficiantur.

Linum & *cannabis* ruri seruntur, matura evellantur, calyces destringuntur, residuis scapis; in lacunis macerantur, rursúmque torrentur seu exiccantur; stupariis malleis contunduntur, *frangibulò* conteruntur, ferreóque pectine vel hamô *carminantur*; ubi, quod inter frangendum decidit, sunt *cor-* *Confectio lini.*

 tices:

trices; quod in carminatione fecernitur, *flocci* & *ftupa*, Vid. Ind. Linum.

Netrices. *Netrices* diftribuunt fibi linum factum, hoc eft, ab acubus, feu purgamentis, repurgatum: &, fuperilligandô penfa colò, (manipulos lini, aut lanæ) carpunt & trahunt finiftrâ filatim; dextrâ torquent five fufum, (cui appenfus verticillus, verticillum, verticulus & verticulum) additô pondusculô ad faciliùs fe verfandum: five colum rotatam girant pedibus, unde manu utraq; fila ducuntur in *harpedónem*, feu *rotam glomeratoriam*, vulgò *alábrum*; hinc convolvuntur & devolvuntur *gurgillô* feu *rhombô*; ex quô glomi conglomerantur, & fiunt fafciculi, fervandi in calatho, (calatifco) qualo, quafillo; deniq; ex his confit tela, hoc modô:

Textores. *Textor* (linteo, linifex) ubi ex glomis orbiculatè in globum, vel oblongè circa fiftulas arundineas aut ligneas convolutis, & in capfula per diftinctos loculos repofitis, fila traduxit per multiformem tabellam, circumvolvit ftamen *jugô* (*liciatorio S. Hier. on.*) infidénsque officinæ, (textrinæ, cujus fulcra telam fuftinentia *tibicines* vocantur) deculcat alternatim infilia (ligna pedibus fubjecta;) quô factô, licia fe diducunt contrahúntque; tenens trajectat radium, cui panus ineft; & intexit ftamini tramam feu fubtegmen aut fubtémen; denfátque adactô pectine (vel fcapô) linteum; & perlinit unctura farinariâ; fícque pertexit textum feu texturam pro longitudine & latitudine ftaminum; videlicet carbafum, findonem, byffum, nebulam (*Petron. Arb.*) lineam, feu textilem, feu telam vitream; vel etiam cannabinam, ftupeam, fábanum, trilícem telam, & alia genera lintei, decidente hinc inde titivillitiô. Textores fericarii texunt fericum.

Infola-

Insolator, seu etiam *fullo*, (nam anceps est vocis hujus significatio) exercens fulloniam cum operis fulloniis, (Blaich/Walck/Mang) insólat detextum linteum (crudum scil. & nondum Sole curatum,) usq; dum candefiat apricatione & irrigatione, utitúrq; terrâ cimoliâ ad maculas abstergendas. *Insolatores seu fullones.*

Sartrix verò (netrix) instructa qualô, forficulâ, digitali, ulnâ, pulvillô, aciariô, ex quo varias acus pro futuræ conditione seligit; lineô filô aut sericô facit acias rectà, obliquè, decussatim, cuspidatim, stellatim, reticulatim, &c. varia consuens & exornans linteamina; quæ lotrix primò lavat lavatione lixivâ (cinere lixivô;) sordes inde aquâ eluit: extundit malleis lotoriis: emaculat smegmate, (sapóne) contorquendô exprimit humorem: lota suspendit tendiculis, desiccanda vel ad Solem, vel ad ventum, aut fornacem; tum complicat, & in arca lintearia reponit; quædam firmat amylô, & pumicat. *Sartrices.*

Postquam *lanarius* (*lanifex, lanificus*) lanam impexam, rudem, infectam, illotam & succidam lavit, & per chordam discussit, lanámq; fecit; aspersámq; oleô carminavit, (carmine) non neglectis villis inde defluentibus; tum in globos (vellera, vellumina, glomeramina) per lanipendiam dat fœminis lanificis, quæ pollice ductam tradunt pannifici; hic contexit, super machina textoria, pannos, indigenas, peregrinos, Hispanicos, Anglicos, Hollandicos; (sabanarii dicuntur à textu sabani, crassi è lana solóce) qui mittuntur In fullonicam: (fullonicum) ubi injecti à fullone in pilam, & perfusi aquâ, stipantur pilô; hinc exempti, extenduntur pannitendiô; inde in aheno seu cortina tinctoria, arte baphices, à tinctore (infectore) tinguntur, inficiuntur, fucantur variis coloribus: qui sunt temperati calce, alu- *Lanifices.*

mine, lignô Brasilô, rubiâ, gallis, chalcanthô, urinâ, aceto, lixiviô; fit etiam tinctio floribus, & variô cortice, præsertim juglandium; unde *flammearii* à tinctura rubente: *molochinarii* à spadicea. Bis tinctam lanam Græci vocant δίβαφον, seu dibapham.

Tonsores pannorum. Hinc committuntur *tonsori* in tonstrinam: qui, super mensam expansos, tondet forfice tonsoriâ, (tomentum est lana concisa & brevis, quæ tondendô detrahitur) &, additâ per pressum politurâ, complicat in volumina; quæ venduntur à negotiatore.

Textores sericarii. Similiter texuntur à *sericario* panni serici, (bombycini) subserici, vel tramaserici, holoserici, heteromalli, (serici villosi) heteromalli lanei, Damasceni, (scutulati, undulati, florulenti) purpurei, (ostrini, Tyrii, conchyliati, Sarrani, ardentes murice) coccini vel coccinei. Unde sericatus, coccinatus, purpuratus, amethystinatus, leucophæatus, prasinatus, russatus, candidatus, atratus, pullatus, &c.

Phrygiones. *Phrygiones* (polymitarii, acupictores, plumarii) pingunt & laborant acu Babylonicâ, filis versicoloribus, vestes polymitas, (multicolores, variegatas) Babylonicas, Phrygias, Phrygianas, Attalicas, acupictas, aurô argentóq; picturatas, crispanti opere, floribus, &c. stragula (stragulas) peristromata, tapétes, psilas (tapetes glabros, non villosos) amphitapas, (utrinque villosos) tapetia belluata, aulæa, &c. quandoq; ex unionibus, gemmis, plumis, varias figuras intexunt.

Segmentarii. *Segmentarius* verò seu limbolarius contexit, ex varia materia & colore, institas, limbos, furos, regulas, fimbrias, segmenta, peniculamenta, tænias, funiculos, lineas, fasciolas, lemniscos: adhibendô sericum netum, seu villosum, (nam simplex ad con-

consuendum facit) quibus vestes efficiuntur virgatæ, fimbriatæ, soriculatæ.

Tandem *sartor* (sarcinator) pannum ad staturam & modum corporis, ulnâ commensum, forfice discindit; tum scissuras & partes largiore punctura nectit, & in formam accommodat; inde consuit strictiùs, ope acûs, quam digitali impellit: filô simplici, duplici, ceratô; quod, antequam per foramen acûs trajiciat, illius extremitatem nodulô stringit; suturas & plicas complanat ferramentô pressoriô; marginibus vestium circumsuit limbum, ne filamenta diffluat: aut præsuit lemniscos, & segmina: passimq; obsuit instita, præsertim in fimbris; fibulas & orbiculos æneos ac ferreos inserit perforaculô seu subulâ. *Interpolatores* veteres & obsoletas vestes, detritas, defloccatas invertit, intérpolat & resuit; unde prosæ sive rectæ: aversæ sive inversæ, aut interpoles. Laceras, discedentes & ruptas reconcinnat, sarcit, resarcit, reficit, reparat, resegminibus aliunde recisis. *Mangones*, (sagarii *Ulpiano*) exercent *sagariam*, venundandô vestes promercales. Custodes vestium (vestispici *Plaut.*) servant eas, & promunt ex arca, mundant, everrúntq; scopulis.

Sartores. Interpolatores.

Patagiarii conficiunt patagia seu collaria linea. *Reticularii* reticulatis filis nexant tegumenta corporis. *Nodarii* globos, globulos, nodos, nodulos, clavos (ad connodandas & ornandas vestes) texunt ex seta, lino, auro neto. *Pileones* pileos (pilea) & alia coactilia, nequeuntia permadere, faciunt è lana, baculis densata & coacta.

Patagiarii. Reticularii. Nodarii. Pileones.

Coriarius exuvias animalium macerat lixiviô ex corticibus pineis, (scobs corticis pinei; Leberer Loh) & depilat *psilóthrô* seu scalprô rasoriô; præparátque duriora coria, præsertim soleas, suppingendas

Coriarii.

Alutarii. calceis; *Alutarius* alutam conficit molliorem & crispatam; subsecivas particulas glutini conficiendo

Subactores. adhibens. Fit etiam manu *subactoris* aluta seu pellis magis elaborata, elaboratior, subactior, concinnatior, quam vulgo corium *Cordubense* vocant. *Pellio*

Pelliones. è villosis ac lanatis pellibus parat vel pellicea: vel pellita (pellibus subducta;) hinc pelliti, qui sic vestiti. Preciosiores pelles sunt mustelæ domesticæ & Scythicæ, muris Pontici, Albini seu Norici, Armenii, Moscovitici vel Sarmatici, martis, cuniculorum, lutrarum, fellium ferinarum, &c. quæ, ne situ corrumpantur, aut fiant depiles, excutiantur bacillis.

Inauratores corii. Sunt etiam, qui *corium inaurant*, utentes pellibus tenuioribus bene lævigatis, & glutinô membranaceô oblitis, cui superinducuntur bracteati argenti folia: & poliuntur; tum formis ligneis figuræ imprimuntur; quibusdam partibus aptâ quadam gummitione perlitis, splendorem auri accipientibus, cæteris nitorem argenti retinentibus.

Sutores. Jam verò *sutor* (calceolarius, crepidarius, solearius) in sutrina (sutrino) conficit calceamenta. Primò regulâ calceariâ metitur pedis modum, cui calceum conformet; tum ad formam chartaceam corium in suas partes super assulam concidit scalprô sutoriô (orbiculatô instrumentô;) inde, ad scamnum instrumentarium, juxta quod atramentum & spongia, considens, sumit digitale seu annulum pollicarem, tegumen manuale, fundam genualem; deinde alutam priùs in planca æquatoria æquatam & tentipelliô tensam, penniculóque setosô extersam, enséque rasoriô rasam ac destrictam, ac nonnunquam striatâ radulâ crispatam, consuit acu per partes, nectendô alutam superiorem, (quâ integitur tarsus pedis) cum talari ac subdititia pellicula.

Porrò

Porrò easdem paries ita consutas adaptat *mustricolæ* (quam parat *mustricolarius*) seu formæ ligneæ, adhibitis cuneolis, & tudite seu mateolâ; ad diducendas verò ocreas assere utitur cuneatô.

Interiorem & exteriorem soleam assuit subulâ & cheleumate, (filô cannabinô, per fascem cheleumaticum picatô, setáq; cuspidatô) utens interea clavicolis ad eas firmandas, quas ligulâ ferreâ seu forcipe rursus extrahit; aliâ radulâ crenas striat solearum, quas chalybeâ ligulâ explicat; similio (sicillô, sipillô, falculâ) magines præcidit; & sic deniq; calceum absolvit. *Cerdo* verò & *Veteramentarius* resarcit rupta & lacera calceamenta, ex præsegminibus. De cerdone *Martialis*:

—— te mihi, cerde, memento
Intra pelliculam, cerdo, tenere tuam.

Et cuidam sutori Apelles pictor: *sutor ne ultra crepidam.* A sartoribus Proverbium: *rem acu tetigit*; id alii à lusoribus ducunt. *Mendaces linum nectunt linô. Sutela* est astutia dolosa. *Pertexe telam, quam orsus es. Dii laneos habent pedes*; tardè, sed insperatò veniunt nocentibus. Sed nunc ad Gnomonem & Regulam, de quibus haud paullô dignior datur cognitio. *Desiderius.* Ejus me tenet desiderium. *Mercurialis.* Quid tu hîc in symbolam? *Desiderius.* In symbolum habeo quid: subula acuitur, cum lemmate: *deficiendô subtilior*; refertur ad castigationem corporis. Inter Adagia legi, *faciliùs in alieno ludi corio, quam suo. Eundem calceum non omni inducendum pede. Ne calceus supra pedem. Herculis cothurnos aptare infanti. Servum malum, consutum dolis*, apud Comic. *Mercurialis.* καλῶς. Progredimur.

Caput XL.

Artes ædificatoriæ.

PRimitus habitabatur in ſpecubus & tabernaculis frondeis; poſtea conſtruebantur tuguria ceſpititia, caſæ arundineæ, mapalia ſtraminea, (unde à culmo culmen tecti) attegiæ, & gurguſtia cratitia lutô circumlita. Demum fabri cœperunt ædificare ad ſtabilitatem; videlicet *neceſſitatem, utilitatem, magnificentiam, & decórem*; quorum fabricas perluſtremus.

Sunt autem aliæ Publicæ, aliæ Privatæ. In illis mœnia, turres, propugnacula, portæ, templa, portus, fora, porticus, balneæ, theatra, curia, carcer, ærarium, armamentarium, xyſti, ambulationes, aquæductus, noſocomia, &c. In iſtis atria, triclinia, exedræ, œci, (primi in domum aditus) pinacothecæ, cubicula. Ædificationes ruſticæ, ſunt chortes ſeu cortes, ſtabula, torcularia, granaria, horrea, fœnilia, apothecæ &c.

Ligna, ædificiis apta, *συνεχδοχικῶς* vocantur materia, vel materies, & materiaria, *orum*. Unde verbum materiari; cæduntur tempore hibernô, decreſcente lunâ, ne fiant carioſa aut teredini obnoxia; ubi lignator arborem ſecuri caudicali ſternit, ramos decacuminat ſeu truncat, diſſectis ramalibus, & compoſitis in ſtrues: ſarmenis verò collectis in faſces, & ſervatis in uſum foci.

Faber lignarius. *Faber lignarius*, (tignarius, materiarius, peritus materiariæ) inſtructus armariolô geſtatoriô, in qua varia inſtrumenta fabrilia, ſecures ſimplices, duplices, aſciæ: norma, terebræ, &c. operans in fabrica (nam hæc vox & artem & officinam ſignificat) affigit & firmat lignum ferreis anſis (retinaculis, un-

cis) ſuper canterios; tum illud lineat amuſſi, illitâ rubricâ; hinc, per intervalla, ſecuri ſimplici incidit; inde aſciat, exaſciátque: dolat & edolat in quadrum aſſulis decidentibus; ſecuri ancipiti in longum & latum crenas & foramina incidit pro junčturis; aſciâ vel ſecuriculâ canalitiâ trabem in formam canalis excavat. Aliâ ſecuri, quam cum *Palladio* dolabratam appellemus, lævigat commiſſurarum fibulas, ſeu confibula. Diſſecat verò ſerrâ majore, ſcobe decidente; demúmq; jugumentat, *Vitruv.* & compaginat trabes. Inde facit parietes, configens tigna muſcô. Terebrâ terebrat; clavos adigit & impingit; diſtortè impactos emolitur forcipe, aut perforatâ aſciâ, aut biſulcô malleô; qui, alterâ parte cuſpidatus, vicem eſt terebræ. Tum *Parietarius* délutat caſam lutô paleatô vel aceratô; quandoq; etiam ſine maceratione lutamenta effingens in parietibus fornaceis. Suſpenduntur item vel ſuffiguntur pro tabulatis & fornicibus crates, lutatæ ſtramine, operéq; tectoriô inductæ. *Parietarius.*

At in cæmentitia ædificatione psoceditur aliter. Ubi *lapidarius* eruit ligone lapidés: aut effringit vectibus: aut dirumpit pulvere nitratô in lapidicinis, (latumiis, latomiis, lapidariis ſabricis) quos lapicída ſeu *latomus* conquadrat ad normam cælô & tudite, ut quadrent ſtructuræ bene. Sicubi non eſt copia ſaxorum, coquuntur à *laterariis* lateres & laterculi, ducti è luto vel limo; exiccantur priùs in lateraria, vocantúrque lapides coctiles (uti & muri, inde ſtructi) hoc eſt, cocti cum intríta ſeu arenatô; quod calce & arena mixtum, rutrô ſubigitur, ac temperatur in lacu (mortario vel calcatorio.) Alii laterum ſunt crudi ſine intríta, (vel intríto) ut in maceriis. Eſt autem *arena* quadruplex, foſſitia (quæ in arenario foditur:) fluviatica: marina: vel *Lapidarius.* *Latomus.* *Laterarius.* *Arena.*

ex veteri rudere, per crates & gerras trajecta, & secreta; inter quas arenas crassior sabulum nuncupatur. *Calx* ipsa de albo saxo (calcario) aut silice, in fornace calcaria, per calcarios coquitur; dicitur viva, quæ nondum aquis restincta. *Gypsum* vel gypsus ex albicante lapide mediocriter usto paratur; quod pulveratum, per cribrum secernitur, & humectatur, in usum fabrilem.

Calx. *Gypsum.*

Faber cæmentarius. *Faber cæmentarius* (vulgò *murarius*) positô, (jactô, apertô) fundamentô seu fundamine, (fundatione factâ) quod aliquando ex pilis seu palis alneis, fistucâ adactis, in humido solo substruitur; (supra quos ædificium inædificatur, & suspenditur) exstruit parietes *primarios*, *medianos*, *intergerinos*, (communes utriq; domui) qui aliquando ex solido lapide, aliquando concratitii, infertis scilicet cratibus, aut tignis; aliàs ædibus contigui; aliàs intermurali spatiô, & angustô transitu disjuncti; firméque collocat, & ordine perpetuò ducit *cubilia* seu coagmenta, aut juncturas (*Vitruv.* coria) lapidum; accuratque, ut omnes coriorum ordines æquali crassitudine construantur; quod est opus *isodomum*; secùs, *pseudisodomum*; è quibus *Frontati* dicuntur, qui utrinque lævigati, parietis crassitudinem exæquant; *diplinthii* verò & *triplinthii* muri sunt, qui duorum triúmve laterum crassitiem habent. Conclavia concamerat testudine (fornice, concameratione, fornicatione, parietibus fornicatis, aut columnatis *Varroni*:) quæ *tector* (*crustarius*) trullissat, incrustat; seu trullâ tectorium, loricam, corium, crustam, incrustationem, obductionem, loricationem inducit, (*loricatio* propriè est ex arenato, seu calce subacta, quæ in alveo ad manum præsens, *incrustatio* è sectis marmoreis crustis) sine qua sunt rudes muri, ut sine fenestris cæci. Quandoq; marmore vestit aut gypsat, varias figu-

figuras, coronas, corymbos & lemniscos ducens, dealbátq; peniculô tectoriô (*opere cibario*;) nec non ruderat pavimenta (*ruderatione sternens*) ex rudere veteri aut novo; (rudetum est locus plenus rudere) aut opere signînô è tusis testis, additâ calce; tum pavit paviculâ, crustuminationem faciens; aut consternit tessellis seu tesseris & emblematibus, scutulísve aut favis (oblongis tegulis aut hexagónis:) aut lateres pônit in latus stantes, quod est opus *reticulatum*; und solum pavítum, pavimentatum; idq; varium, tessellatum, segmentatum, scalpturatum, musivum seu vermiculatum, lithostrótum, asarótum, (*intestinum* fit ex asseribus) spicatum, testaceum, signínum, lateritium, silicatum, delapidatum, fistucatum seu fistucatò spissatum; deniq; marmoreum, quod ex solido marmore; sed *marmoratum*, ex calce & contuso marmore.

Architectus (architecton, ectonis, gnarus architectonices nec imperitus *diagraphices* seu delineationis) est director ædificii, curatórque maximorum operum: qui videlicet dirigit structionem & substructionem secundùm exemplar præconceptum; aut etiam delineatum; quod *Ichnographia* vocatur; jacens nimirum areæ efformatio & superficiaria descriptio. Erecta si frontis est imago, tectum cum parietibus repræsentans, *scenographiam* appellant, ligneis asserculis chartáve densiore designatam; utrumq; dixeris *Idéam* (hoc est, suscepti operis simulacrum & formam) contractam in *modulum* (vulgò *parvum pedem* & *modellum*) *Sculptor* è cera fingit *prototypum*; *Plastes* è creta *proplasma*; *Pictor graphicen* seu graphiden format. *Architectus.*

Rem architectonicam seu ædificatoriam distribuunt in partes sex. 1. regionem. 2. aream. 3. areæ partitionem. 4. parietes. 5. tectum. 6. apertiones; *Rei architectonicæ partitio.*

quà

quà rebus & hominibus datur initus & exitus: Præcipuum architecturæ est *Erythmia* seu convenientia singularum partium, & commodus aspectus; *Symmetria*, venusta totius operis congruentia, & proportio; Et *Decor*, seu pulchra distributio. Unde omnia examinanda vel ad *normam* explorantem angulos; vel ad *libellam* seu *perpendiculum*, (undê pendet filum, è filo glans plumbea) quô indicatur recta structuræ altitudo sine inclinatione surgens; vel ad *regulam (canonem)* dirigentem latitudinem. *Amussis* pro istis omnibus ponitur; unde ad amussim, adamussim, examussim & amussim, & amussitata opera. Ejusdem est pro machinatione futuri operis, construere tabulata seu assamenta temporanea, *pontones pensiles* ex arrectariis trabibus, cum transversariis longuriis & sublicis, ad sustinendos asseres, ac sustentandas operas fabriles; nosse item, & adhibere varias machinas, ad movendum & trahendum, de quibus cap. 47.

Ædificium. *Domus* profundè fundata, & bene materiata, firmèq; trabibus compactilibus (quæ non pandant, seu pandantur, aut cedunt oneri, subscudibus etiam ferreis vinctæ) & muris (in quibus varii lapides, quadrati, operarii, cusi, cæsi, ansis ferreis implumbati & suffrænati) stabilita; intúsq; columnata, ne laqueare ruat: extrà verô pilis fulta, ne parietes vacillent; perstat diu columis; aut, si labat ruinosa, vitium faciens, aut ventre extra perpendiculum turgens, suffulcitur denuò *tubicinibus*, *anteridibus*, *erismatis* seu erismatibus; collapsa verò aut destructa reficiuntur, restaurantur, aut dejiciuntur; *parietina* est murus vetus ac semirutus.

Columnarũ genera. Sed nunc mihi varias columnas considera, quarum quatuor potissimùm genera. *Tuscana* cæteras excedens crassitudine, cujus septimam in altitudine obtinet

obtinet partem; decimam quartam basis habet. Proxima ei *Dorica*, cujus crassities sextam altitudinis complectitur partem; basis decimam sextam; capitulô porrectiore, & cælatioris sulpturæ. Tertia *Jonica*, quæ novies longior quàm crassior; in basi decimam octavam longitudinis partem includens; simpliciore capitellô, extantibus utrinque cornibus arietínis, in anfractum convolutis. Quarta & gracillima *Corinthia*, novem & ipsa partibus (*Vitruvio* modulis) altitudine superans ambitum, basis ejus vigesimâ constat parte; elaboratione epistyliô, & imitante crispata acanthi, aut helicis in seipsam redeuntis folia, (quibusdam capreoli dicuntur) quæ, in medio surrecta, in margine circulatim seu turbinatim sunt inflexa, (*volutas* appellant,) quibus & sua labia sunt. Quintam ex harum ornamentis formatam nominant *Compositam* seu *Italicam*; & sextam *Gothicam*; ex aliarum erroribus natam.

Columnationum partes sunt tres: *Fastigium*, *Columna*, *Stylobata*; tres itidem partes, in quas earum singulæ dividuntur. Partes Fastigii sunt *Corona*, *Zophorus*, *Epistylium*. Columnæ verò partes *Capitellum*, *Scapus*, *Basis*. Stylobatæ quoq; membra tria *Supercilium*, *Stela*, *Pes*. In hac triplici partium divisione *Epistylia* & *Capitula* singularibus constant ornamentis. Sunt in illis *corona*, *projectura*, *præcinctio*, *tæniæ*, *echini*, *cingula*, *supercilia*, *eminentiæ*, *prominentiæ* teretes, quadratæ; *coronices*: lapidum vel trabium aut tigillorum obnitentia capita; *Vitruvio* mutuli vocantur. Item *abacus*, *sima*, *regula*, *cymatium*. In *zophoro* seu latiore baltheo inseruntur *triglyphi* (scalpturæ triplici sulcô canaliculatæ) & *denticuli* (segmenta, formam dentium referentia:) *guttæ* (inversi turbinis speciem præbentes;) *metopæ* sunt inter tigmenta seu zóphori inter-

Columnarū partes.

Suprema.

intervalla; in quibus variæ figuræ impinguntur, & insculpuntur, ut *fasciæ, lemnisci, vittata taurorum capita, encarpa*, (florum, frondiúmq; implexi corymbi;) *astragali*, in rotundas aut oblongas baccas distincti, folia, volutæ, quarum labia, ut dixi, sunt flexuræ foliorum supinatæ.

Media. In *Scapo* seu Columnæ corpore pars superior dicitur *Collum seu Hypotrachelium*; quæ quà gracilescit, seu crassitie decrescit, *apophygis* id appellatur. Scapus vel est teres, vel quadrangulus; si teres; aut est lævis; aut *striis* & *strigibus*, id est, canaliculis, vel rectis, vel obliquis striatus & sulcatus. Stria est eminula; strix cava. *Vitruv.* Vel est intortus Scapus, & vite circùm scansili, aut aliis foliis & frondibus, flexuosus. Hic basi insistit suæ (quam *Spiram* vocant;) cingunt eam *toruli* seu *annuli*, sive torques; inter quos interjectæ cavitates vocantur *Scotiæ*; quibus omnibus subjectus est *Plinthus*, quadrati laterculi formam exhibens.

Infima. *Stylobatæ* (Latini fulcimentum aut sustentaculum dicunt) pars superior est *Supercilium*; media *Stela* seu *Pila*, oblongè quadrata, non raro cælaturâ aut variis impagibus scalpta & ornata; infima *Pes*, cum substrato *Abaco*, seu *Plintho*; in quibus, sicut in aliis partibus, varii intercurrunt excurrúntque cinctus, projecta, coronices, extantiæ, abscessiones, &c. Vide in syllabo Onomastico seu Indice, verb. Columna.

Columna Structilis, Solida, &c. Dicitur *Columna Structilis*, quæ ex pluribus lapidibus opere cæmentitiô, lateritiô vel lapideô constructa: *Solida*, quæ ex uno; hinc diminutivum columella; quæ aliquando pro fundamento *pulvinum* habet cæmentis aut arenâ fartum: aliàs ex asse superficiariè erigitur; intercolumnium (spatium inter columnas) pluteô seu septô è marmore, later-

laterculis, opere inteſtinô, (id eſt, ligneô) intercludi & obſepiri ſolet.

Partes domûs ita concipe. Ante veſtibulum (*prótbyrum, propylæum*) conſtitutus, ad *Anticam* habes in oculis *frontem* (vulgò frontiſpicium;) accedenti ad januam ſeu portam, (quæ ſolet eſſe biforis & arcuata) objiciunt ſe utrinque *poſtes* ſeu *antæ*, quorum ornamenta ſunt *antepagmenta*, *prothyrides*, ſeu *ancônes*; in altero poſtium ſunt *cardines*, à quibus pendent *fores* & *valvæ*; & ſuper quos aperiuntur & clauduntur; in altero verò ſunt *clauſtra*, nempe aut ſimpliciſſimè claudens *peſſulus*, indendus foramini poſtis; aut obex ſeu *vectis remiſſarius* (repages, repagulum) obdendus uncinato clavo, qui poſti infixus eſt; aut deniq; ſera obſerans, ſive *Laconica*, & intus abdita; ſive *appendula*, ſeu penſilis extrà; pulſatâ priùs *cornice*, ſeu marculô, aut annulô ferreô. Sed quid eſt *diathyrum*? repagula, ſive ſepta ad arcendos equos & currus. Si reperies oppeſſulatam januam, pulſa; ſi janitor (atrienſis, oſtiarius) per tranſennam aut clathros proſpectat, roga aperiri aut reſerari: dúmq; introis, attolle pedem, ne impingas ad inferum limen (*hypothyrum*;) caput verò ſubmitte, ne allidas ad *ſuperliminare*, (liminis ſupercilium, *hyperthyrum*;) atque, ne cardines ſtrideant, aut fores crepent, move leniter.

Partes ædium.

Primus aditus.

Ubi oſtium pertranſieris, venies in primas ædes, ſcilet in *cavedium*, mox in atrium, ſeu *hypæthrum*, ubi pavimentum *ſubdiale* & *impluvium*. Unde ingreſſio patet in penetrale, & conclavia; aut ſi domus fuerit *diſtega*, *triſtega*, *tetraſtega*, (duas, ternas, aut quaternas contignationes habens) aſcenſio fit in ſuperiora ambulacra, per ſcalas, vel rectas, (quandoque poſt aliquot gradus areolis interceptas) vel *cochlidia* (cochleas, cochlides in gyrum aſcenſiles circa ſca-

Interiora domûs.

scapum, unde librantur:) per *posticum* (posticam, posticulum, pseudothyrum in adversa & aversa domus parte) exitur aliò; nec desunt varia ostiola & foriculæ.

Laquearia. Dum fumus in loco subtegulaneo, (sub tecto) inambulamus pavimento, de quo suprà; impendet nobis *laquear*, (laqueare, laquearium, lacúnar) sive fuerit tabulatum vel planâ coassatione; vel variis areolis & lacunis in prominentias & cavitates lacunatum & discretum, opere vel coronariô, vel variè angulatô; sive testudinatum, duobus arcubus se decussantibus, aut in crucis modum se dissecantibus; aut fornicatum, seu arcuatim concameratum: aut sphæricum, quod ad similitudinem sphæræ orbiculatum est; (*Italis*, cuppola) tholus est umbilicus testudinis.

Fenestræ. *Fenestræ* admittunt lumen obliquum, rectum, supernè immissum, (vicini quandóque obstruunt & officiunt luminibus) sunt vel arcuatæ, vel quadrangulæ, projecturis ornatæ, cum vitreis alis & reductilibus valvulis quas subscúdes (regulæ) ligneæ, ferreis munitæ laminis & virgulis includunt, obices affixi firmant, sunt arrectariis antis seu jugamentis decussatim interseptæ; non raró clathratæ aut cancellis reticulatæ seu cancellatæ, columellísque distinctæ, inter quas intercolumina cum pluteo. *Telamónes* & *Atlantes* virili specie sustinent mutulos; *cariatides* muliebri.

Tectum. *Tectum* (cujus apertiones vocantur *implúvia*) superponitur columini vel culmini; (fastigiatæ contignationi, seu tecto subtenso) & est vel devexum & inclinatum, aut declinatum in unam partem tantùm, vel in duas, scilicet pectinatum seu displuviatum, aut displuvium; vel in quatuor: nimirum testudineatum; tegitur scandulis, seu asser-

culis

culis sectilibus, aut tabularum laminis (unde scandulare, & scandularius, qui facit; sarti tector, qui sarcit;) sive *imbricibus* (tegulis *deliciaribus*, in formam canalis cavatis, seu semitubulis, aut sibi mutuò superimpositis; aut calce vel stramine junctis) unde imbricatum; sive *planis & hamatis*; per utrasque aqua pluvia dejicitur in deliquias, (delicias) colliquias, collicias ligneas vel cupreas, sparsímque per incilia: sed collectim per compluvium emittitur.

Tegutæ imponuntur tigillis: (transtillis *Vitruv.*) tigilla *canteriis*, oblongis lignis à columine ad imum tectum pertingentibus in formam litteræ A, qui firmantur subscudibus, confibulationibus, præsertim *capreolis* contrà nitentibus; canteriorum divaricata crura (quæ aliquando superpositis cuneis latiùs extenduntur) innituntur in medio *transtris* (lignis transversis, per quæ meabilis transitus;) supernè in acumen coëunt; infernè *proceribus* trabium insistunt; hæ sunt immissæ tignis in longum *porrectis*, muróq; incubantibus. Trabium intervalla coassantur seu contabulantur. Quòd si canterii justô longiores sunt, faciunt *suggrundia*, (vel suggrundam, seu *imbricamentum*, quod stillicidium arcet, ne parieti noceat) aliquando ampla, præsertim in circumcolumniis, seu *peristyliis*; & *xystis* seu inambulationibus, vel ambulacris; (locis ad ambulandum destinatis) aut efficiunt *podium* pensile, seu *pergulam*, aut *solarium*. *Menianum* est prominentia & projectura ædium. Contra imbres & Solem serviunt quoque *projecta* seu *interpensiva, orùm*, (tecta aut tigilla pensilia, declives asseres ferentia.) In tectorum *acroteriis* seu *pinnis*, aut pinnaculis; id est, summis fastigiis, figuntur bracteæ sive *pétala*, *tritónes*, ventorum indices; item *metæ* & pyramides; corona seu

lorica tectorum, prohibet præcipitium. Gula foci seu camini longiùs absit à tignis, ne calefactione flammam arripiant.

Quàm multa hîc non tam in ædificationis quàm eruditionis ornatum se offerunt! Pauca quædam levi colligemus brachiô. Domicilium longè tutissimum habebis & commodissimum, si *tecum habites.* Quia *non ex quovis ligno vel lapide fit Mercurius*, ideò multi deasciandi & dedolandi sunt, modò ne frustrà. *Clavis trabalis* necessitatem indicat; &, cùm malum malo, vis vi vincitur, *clavus clavo pellitur. Ad amussim fieri*, est exactè fieri. Hinc Virgilius de viro bono, animi curam habente, canit, quòd accuret,

Ne quid hiet, ne quis protuberet angulus, æquis
Partibus ut coëant, ne quid delir et amussis.

Herculis in mari Gaditano fixis columnis inscriptum erat: *non plus ultra.* Carolus V. longiùs extendens imperia, addidit: *plus ultra.* Officit alterius luminibus, qui ejus honori obstat. *Quibusdam & fenestra ad nequitiam aperta est*; alii per pseudothyrum voluptates intromittunt. Qui summam alicui rei imponit manum, dicitur *colophónem* vel *coronidem addere.* Quid tu ad hæc? *Desiderius. In extrema* dicitur *stare tegula*, qui casui proximus. *Garrulus obdat ori pessulum.* Constantia in arduis exprimitur per columnam, cui domus innititur, cum lemmate: *pondere firmior. Mercurialis.* Placet tuum in symbolis studium. Nunc ordo postulat, ut constructæ domui prospiciamus de suppellectili. Observa Adagia, *Sarta tecta* (res probè curatæ,) *Ruta Cæsa* (inclementiùs omnia sublata, & quæ eruta, ut arenæ; & cæsa, ut arbores,) *In arena ædificas. Pro nostris opibus ædificamus mœnia. In caducum parietem inclinas.*

CAPUT

Caput XLI.

Artes utensilium, & primò argillaceorum & vitreorum.

VEniamus ad opificia, quæ domos implent *utensilibus*, quibus humana vita carere non potest, & parantur è materia vel fossili, vel vegetabili, vel animali.

Figulus (figularius faber) in figulina (figlina, taberna crustaria,) ex argilla, in argilleto effossa, virgáq; ferreâ subacta, circumactione rotæ figularis, ollas fingit & ollulas, aliáq; fictilia, (testacea, terrena, ac Samia vasa) qualia sunt urceus, urceolus, fidelia, fitella, Samiolum, poterium, potistris, bombylius, aqualis, hydria seu baucalium, (siphunculata lagena suctui idonea) ampulla, (unde ipse ampullarius) cullulus, capédo, patinæ, scutella, catini, feriæ, &c. *Figulus.*

Quædam ex his sunt amphóta, seu utrinq; ansata; quæ excoquit in clibano, postquam prius cruda exsiccavit, incrustátq; lithargyrô (vitreô tectoriô, & duplici quandoq; *tunicâ*,) aliquando semicocta eximit è furno, &, pro incrustationis temperamento, versicoloria pingit, iterúmq; reddit igni percoquenda. *Porcellana* vocat, quæ cum splendore candent; antiquis murrhina. Bibula & malè cocta rejiciuntur, nam tinnitu sonant vitium, dum malignè respondent. Idem ædificat *fornaces* (seu turriculas testaceas) ad calefacienda hypocausta; quarum partes sunt corona, gula, seu fauces, crepido, arca foci, & pes; os autem dicitur præfurnium seu propignéum, per quod ligna (discuneata, fissa, scissa, secta) immittuntur furcâ fornicariâ, & rutabulô stimulan- *Fornax.*

lantur. Sunt autem fornaceæ teſtæ ac teſtulæ (quæ commiſſurâ lutantur) multiplicis figuræ, ut umbilicatæ, ſcutellatæ, convexæ, concavæ, ſigillatæ, &c. figulus etiam plaſten agit, dum argillacea ſimulácra effingit.

Vitriarius fuſor. *Vitriarius fuſor* ex arena, cinere, ſale, liquatis intenſiſſimô igne, format & figurat in vitriario ſeu vitriaria officina, perflatu ferrei tubi, diverſa vitreamina, ſeu vaſa hyalina, in plurimos habitus ac cælaturas. *Vitriarius faber.* Inde *vitriarius faber* (vitriarius) facit feneſtras, coordinandô vitra ſpecularia intra jugamenta crenata, & applumbandô ferrumine ſtanneô, ne excidant, quorum alia ſunt orbiculi ſeu rotulæ, interjectis cuneolis conjunctæ, alia hexagona, quædam denſiora & ſubviridia: alia perlucida ſeu diaphana, nitore cryſtallinô, aut, ut loquuntur, *Venetô*, ſcindítq; adamante vel ſmiride.

Encauſtes. At *encauſtes* (peritus encauſtices) eadem pingit encauſtô. *Faber ocularius.* Sed *faber ocularius* (ocularimus) manu vel tornô illa in concavo vel convexo modulo, ſeu ſcutella metallica, terit ſuper arenam: & polit tritu terræ, ſeu pulveris Tripolitani, conſpicilia, conſpicilla, ſeu ſpecilla ocularia, tubos & tubulos opticos; microſcopia, quibus obtuemur puſilla, ut grandia; & teleſcopia, quibus videmus diſſita, ut propinqua.

Specularius faber. Ad eandem tribum ſpectant *ſpecularii*, qui conficiunt omnis generis ſpecula ex vitro lævi, & perpolitô, & à tergo, bracteolâ ſtanneâ opacato, (metallica aliò referuntur) plana, ſphærica, cava, cylindrica, uſtoria, & quæ miris ſpectris reddunt imagines ac ſimul acra accepta. E quibus vitra trigóna (priſmata) transfigurant colores, repræſentandô in aëre florida tapetia: polygóna, multiplicant objecta. In obſcurum immittuntur per ſpeculare,

ac

ac convexum vitrum, species rerum extrà parentium inversæ, vel etiam, duplicatô vitrô, rectæ. Quid quòd & uniones ac gemmæ adulterinæ fiant ex vitrea materia, non sine specioso oculorum ludibrio. Sunt artifices, qui crystallum variè figurant, & inde pocula crystallina, candelabra aliáque tornant.

Tritum est Proverbium: *figulus figulum*; de contribulium invidentia. *Horatianum* est:

—— —— Amphora cœpit
Institui; currente rota, cur urceus exit?

de mala dictorum cohærentia. Est illud:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu: de prima educatione.

Lutum, nisi tunditur, non fit urceus; nihil absque labore & molestia. *Testa collisa testæ*; cùm duo confligantur, utriusque malô. *Lutum lutô purgat*, qui, cùm sit ipse sordidus, alienas sordes extergit. *Meliore de luto ficti* dicuntur ingeniosi. *Væ tibi, væ nigræ, dicebat cacabus ollæ*; similis simili. *Ex tripode*; tanquam ex Oraculo veritatis. Jam tu perge. *Desiderius.* Aliud vitrum, aliud margaritum. *Mercurialis.* Perge. *Desiderius.* Stans sto. *Mercurialis.* Atheniensium testulis te movebo. *Desiderius.* Quid hoc ænigmatis? *Mercurialis.* Apud illos genus erat relegationis, quod ostracismum vocabant; damnaturi quippe aliquem exiliô, suffragium ferebant testulis, Græcè, ὀςρακίοις. *Desiderius.* Quid doctrinæ symbolicæ? *Mercurialis.* Plurimùm sanè; si magis diverticula sectari vellemus, quàm viam. Ex solo speculo quid non symbolorum? Cui si inscribo: *Omnibus omnia.* Quid volo? *Desiderius.* Zelum viri Apostolici. *Mercurialis.* Si addo: *Non fallit.* *Desiderius.* Virum exprimit, nemini adulantem: vel conscientiam cujuslibet. *Mercurialis.* Si lemna:

Alter ego. Desiderius. Amicum refert sincerissimum. *Mercurialis.* Perspicaciam tuam in speculo ostendis. Tempus est, pedes hinc & manus ad duriora transferendi.

Caput XLII.

Artes metallicorum utensilium.

Metallarii. Metallarius scrutatur venas subterraneas metalli, (canales venarum, earúmq; capita) ope *Virgulæ* cujusdam indicis, quam *Divinam* vocant; tum parat aditionem ad illas, ope fossorum, qui ingrediuntur fodinas, (secturas, aurariam, argentariam, ærariam, ferrariam) intecti bardocucullô, & perizomate, cum succensa lucerna aut laterna; repertæque metallicæ venæ (*crudaria* dicitur, quæ in summo deprehensa) impingunt cuneos, decutiúntque frusta, & extrahunt foras.

Hîc *discretor* secernit impuritates saxeas; *lotor* secreta elevat in *chrysoplysio* (officina lotoria;) alii deferunt in ustrinas, & ita colliquefaciunt, ut metallum à scoriis liberatum profluat; &, quia plerumque argentum est intermixtum auro, separantur illa ab invicem, & abstrahuntur *chrysulcá*, seu aquâ secretoriâ, (*vulgò aquâ forti*) demúmq; conflatur unumquodque purum, putum seorsim in tabellas, vel bacillos.

Faber ferrarius. Hîc jam *fabri* antelucani ad opus fabrile se conferunt, in fabricam seu officinam ferrariam, infundunt ustrinæ carbones à carbonario subvectos; excitant ignem, & inflandô folles (quorum latior pars, anima; angustior, gula) accipiunt & reddunt auras, ac carbones animant in prunas, quibus imponunt & inferunt metalla; & primò candefaciunt, dein frigefaciunt

faciunt in lacu, ignique iterum reddunt, & sic emolliunt; emollitáque eximunt forcipibus; exempta cudunt super incúde malleis & marculis, quos elevatis & reductis brachiis librant, (dum interim ſtricturæ quaqua versùm diſſiliunt;) cuſa denique lentant in laminas, variéque formant ac figurant, ferrúmque indurant chalybe ſeu ſtomomate, &, ubi opus, ferruminandô conficiunt utenſilia.

Faber ferrarius fabricat ferramenta varia, de quibus ſparſim in hoc libro; falcarius dicitur à falcium procuſione; faber equarius peritus eſt veterinariæ; habet & ipſe diverſa inſtrumenta, quibus utitur in calceandis & curandis equis, nempe ſoleas ferreas, forcipes, novaculas, ferramenta inciſoria ad ungulas equinas (quarum cavitatem chelidónem ſuprà vocavimus) excavandas; qui, dum induit ſoleas jumentis, cavet, ne clavô ſiniſtrè impactô ulcerentur, præſertim ſi ſubtriverunt ungulas. Impatientes calcitrones ſeu recalcitrantes arctat in repagulo. Idem munit rotas curules laminis, & has clavis rotariis, flectítque catenas ex catenatis orbibus.

Faber *ferarius* (clauſtrarius) fabricat clauſtra ac ſeras, quarum interanea ſeu interiora, ductilibus per inſertam clavem lamellis, prorſum vorſum trahuntur. Clavium & clavicularum pars anterior dicitur *projectum* ſeu *labium* ſulcatim pertuſum: & per oppoſitos intra ſeram denticulos ac rotulas verſabile; ejus circumactu obex ſeu peſſulus obducitur, reducitúrque. *Catoni* vectis remiſſarius vocatur, qui manu extra ſeram trahitur, retrahitúrque. Pars clavis poſterior, eſt anſa; media, tubulus ſeu canaliculus, qui infigitur (imponitur, impingitur) ſpinæ ferreæ: detrahitur, eximitur. Clavis generalis *Faber ſerarius.*

seu communis plures feras aperit. At *Laconica* est adultera, seu adulterina, quia ubiq; reserat. Valvæ & januæ vinciuntur subscudibus & vinculis ferreis, quorum extremæ camæ cavæq; partes immittuntur uncis, seu cardinibus, quibus fabri nomen à *coni* figura dederunt; retortos illos vinculorum flexus & orbes, seu subscúdum extremitates orbiculatas à flectendo & versando nominant. Habent suos fenestræ quoque obices. Appendulis feris additur fibula, uncino inserenda. Janua movetur ansâ; pessulus manubriò exteriùs tollitur, deprimitúrque; cornice, ut suprà diximus, pulsatur ostium. Præcipua instrumenta, incudes, mallei, limæ, retinacula adstrictoria, &c. Vide in Ind. voc. Sera, & Clavis.

Faber cultrarius. *Cultrarius* (machæropœus, gladiarius) fabricat cultros (mensarios, coquinarios, incisorios, seu minutales, in manubrium reductiles, clunabula seu clunacula, parazonia, machæras, cultellos, (falculas) ancipites, vel cum dorso, frameas, rhomphæas, seu spathas *(Vegetio)* & semispathas; gladios Gallicos, (longos sine mucronibus ad feriendum cæsim) Hispanos, (brevitate habiles ad punctim petendum; sunt, qui, Hispanienses gladios, ajunt, fuisse mucronis firmi, & ictûs utrinque validè penetrantis. Sed hodie isti habent longos, illi breviores, utrique mucronatos) verúta, sicas, pugiones, pugiunculos, ensiculos, gladiolos, acinaces seu harpas, (gladios incurvos, falcatos, Persicos) dolones, (intra baculum latentes) subalares, laterales, &c. Gladii partes sunt: *capulus* vel capulum, quô tenetur, præmunitus *obicibus* ad excipiendos ictus: *lamina*, (probatur, si è flexu in rectum redeat:) *acies*: *mucro*: *vagina* (theca) præferrata, seu bullâ vel vinculô infernè munita, è qua educitur, distringitur, evaginatur,

natur, in quam reconditur, quâque clauditur; gladios, & cultros *polio* (polítor,) polit, limat politè, & refricat politurâ ad nitorem, ut ad eum reducit, cùm præstrictus eft; & in iis pulvere erodente varias incisuras & figuras inprimit, incidit, inscribit. Quos (uti & forfices ac forficulas) *samiator*, vel, ut alii loquuntur, *cotiarius*, samiat, seu exacuit, lævigat, depolit, cote aquariâ, rotatili, quam calcandô girat, rotat, & denticulos exterit ac æquat, cùm videlicet mucro vel acies eft denticulata, seu plagis asperata, aut inclinata, retusa, hebes, hebetata, obtusa, rubigine (ærugine, ferrugine) exesa, obducta; rubiginosa, æruginosa; cùm duxit situm.

Polio. *Samiator seu cotiarius.*

Acicularius fabrefacit acus & aciculas, ferreas & æneas spinas, spinulas, cuspidulas, nodatas seu capitatas, uncinulos, hamulos; (aciarium eft theca acuum) iidem sunt *fibularii* (confectores fibularum;) *Calcarium artifex* stapedes, lupáta, (lupos, murices) nasalia, frontalia, postomides, fiscellas, oreas, pro equis parat.

Acicularius *Fibularius.* *Calcarium artifex.*

Fabricator minutorum opusculorum seu faber æris minutioris (minutiarius) forficulas, forcipes, forcipulas, chelis seu rostris aduncis, aut latiusculis, aut cuspidatis, &c. serras & serrulas, terebras, limas, emunctoria, candelabra, nolas, malleolos, seculas, circinos, &c. (*Clavarius* omnis generis clavos & clavulos, capitatos, umbellatos, seu muscarios, bullatos, (quibus portæ & sellæ configuntur) uncinatos, equarios, seu ungulares, pavimentarios, scandulares, (scandularios seu tegularios, cistellarios) tabularios, doliares, lacunares, consibulas, trabales, &c.

Faber minutiarius. *Faber clavarius.*

Tormentarius faber conficit manuaria tormenta bellica, bombardas, ferreos tubos, & fistulas: sera- *Faber tormentarius.*

tas, rotatas, ftriatas; fcopicas, venatorias; fclopos, fclopéta cum fuis partibus, fcilicet catulo, igniario lapide, fcutulâ, clavi, rotulâ, ligulâ, parte maxillari, virgâ ftipatoriâ (quâ fartum inculcatur) & fphæropaticâ feu hamatâ, (quâ plumbea glans retrahitur) & peniculatâ, (quâ purgatur, extergitur;) pinna, feu dioptra, imum fupremúmque punctum eft collineationis. *Materiarius* tormentariorum eft, qui thecas harum fiftularum fabricat, & pyxides pulverarias, parergis, & tabellis o[illegible]eis (officulorum emblematis) non rarò vermiculatas, diftinctas, & figuratas. Vide in Ind. voc. Militaria Vocabula.

Sclopetorum partes.

Malleator (thoracopæus, buccularius, loricarius) fabricat è ferro ductili cataphractas, cum fuis partibus, ut funt thorax (lorica, pectorale, dorfuale,) ferreus, chalybeus, æneus, hamis, anulis, catenulis, lamellis, fquamis confertus & commiffus; tibialia feu ocreæ ferreæ, chirothecæ, humerale, galea, feu caffis, cum cono, feu apice, & buccula (buccarum tegmine) facit idem omnis generis clypeos, feu clypea, fcuta, peltas, cetras, &c. quarum media & eminentior pars eft umbo; apprehenduntur & tenentur anfâ, feu capulô: ornantur bullis & claviculis. Malleator quoq; æris dicitur, qui malleat æs pilis rudis. *Arcuarius* conficit arcus & fagittas, (fpicula, tela miffilia) quarum thecæ dicuntur pharetræ, arcuum coryti.

Thoracopæus.

Arcuarius.

Faber ærarius è ductili cupro cudit, tiligineóque marculô lævigat æramenta; facítque ahena, lebétes, caldaria feu cacabos, fartagines, cortínas (tinctorum & zytepfarum) cacabula, pelluvia, malluvia, (pollúbra) pelves, ferruminans ftannô & plumbô inter fe commiftis: nempe molybditide; vafis efcariis illinit ftannum, feu incoquit ea ftanno, ne ci-

Faber ærarius.

ne ciborum sapor corrumpatur. Quæ detrita, reficiunt discurrentes passim refectores ærarii, seu fabri *veteramentarii*.

Faber veteramentarius.

Flator æris, (orichalcarius, campanularius *Pontano*) fusor æramentarius fundit & conflat ex orichalco, seu ære caldario, (sic dictum est, quia ex eo caldaria & ahena fiunt) æra campana (*vulgò campanas*) clavô seu pistillô ferreô (*rósthalô*) pulsatilia, in contignatione suspensa & librata: Item campanulas, nolas, cymbala, tintinnabula: & tormenta bellica majora, novæ subtilitatis (ut quidam ait) & operis admirandi ballistas, oblongum in tubum, & æqualiter teretem, ex ære fusili figuratas; quæ non funibus aut nervis intentæ singula mittunt spicula, sed incogitatâ priscis ratione, ad applicitos tenui à tergo, foramini igniculos, cum incremento multiplici, rapiendos; certô primùm nitrati ac sulphurei pulveris modulô temperatas, insertos dein ore patente ex arte globos catenásque, & alia obturamenta, fulminis instar flammis eluctantibus, cùm horrendo fragore eminentes. Hodie inventæ quoq; sunt fistulæ ligneæ, intra quas coactus & condensatus aër, laxatô obturamentô, validam emissionem habet. Ventosas appellemus.

Flator æris, seu fusor æramentarius.

Cæterùm, ut *fusio* seu fusura rimam aut scissuram ne ducat, oportet fusorem pyrotechniæ apprimè gnarum esse; quare ante omnia opus est, ut typi è terra probè subacta rectè conficiantur, ac disponantur, iísque metalla peritè excocta & temperata infundantur, fornace & igne ad calorem variandum diligenter, variatis & attemperatis. Sunt autem tormenta hæc militaria seu bellica (fulminatrices machinæ) diversimoda; nam quædam sunt manuaria, ut minores seu breviores sclopi, circumactu rotæ globum impel-

Fusio operis æris.

pellentes: quædam, majores ſclopi, ut bombardæ, (vulgò *mosquetæ*) ſuper furcillis quandoque librari ſolitæ, igniariô funiculô exonerandæ; quædam ſclopeta duplicata, duplô aut triplô majora illis; quibus accedunt, ſed magnitudine excedunt, tormenta campeſtria ſeu caſtrenſia, vulgò *falcones*) trium aut quinque circiter pondo globos ferreos expellentia; his grandiores ſunt *colubrinæ*, ſeu ſerpentinæ, (ſcilicet fiſtulæ) ſeu baſiliſci, longitudine octo plerumque, aut novem ulnarum ſeu cubitorum, decem aut viginti librarum glandes extorquentes; maxima ſunt *muralia* ſeu obſidionalia (vulgò *carthaunæ*) in longum ſex ulnas ſeu cubitos complectentia, & ſexaginta libras; vel ſi ſunt duplicata (nam pro magnitudine: dimidiata, quartaria, octula dicuntur) duplô plures ejaculantia; mortaria amplâ capacitate ſerviunt ad pilas granatas, variis ferramentis fartas, ejiciendas. Vid. Ind. verb. Militaria vocabula. Menſura & proportio campanarum ab ambitu & altitudine deſumitur; partes earum, auriculæ, & harum anſæ, frons, corona, margo fimbriæ, cavum.

Stannarius faber. *Stannarius* (cantharius fuſor, *Pont.*) ſtannea fundit vaſa, (ut cantharos, ſcyphos, patinas, gábatas, paropſides, diſcos, ſalina, malluvia, lagenas, &c.) quæ ſi rotunda ſunt, tornô rotatili: aut ſi anguloſa, raſurâ ſeu ferramentis raſoriis perpolit, utrobique fricatum vel frictum adhibens ex cinefacto ſtanno. Canthari habent cervices pro anſis: lances & catini, crepidinem in ambitu.

Bractearius ſeu laminarius. *Bractearius* (*Pontano* noſtro lampadarius, & *laminarius*) è laminis vel lamellis, ſeu bracteis, æneis aut ferreis, ſtanno incoctis (quibusdam charta plumbea) concinnat, variè plumbandô, lampades, ſiphones, radulas, &c. præcipuè laternas (unde la-

de laternarius) cum corneis aut vitreis valvulis, aut fissilibus de selenite bracteolis, relinquens pro lucerna inserenda & eximenda ostiolum. Laternarum quædam obeliscis sunt præfixæ; opus ejus plerumq; futile, & minimè durabile. *Bracteolarius* bracteolas conficit aureas & argenteas, crepitantes; at *Bracteator* metallum in tenues ducit lamellas. *Cusor* dilatat in tenuissima fila, non rotunda, sed latescentia seu latiuscula. Qui metalla in *fila* rotunda attenuant, primò quadratam lamellam malleolis rotundant, & anteriùs acuminant: hanc inserunt modulo ferreo multifori, per cujus foramina laxiora & angustiora tamdium lamellam impellunt, donec in teretes virgulas formetur: hæ deinde per alium modulum arctiùs & arctiùs stringendo trahuntur à loro tractorio, super scamnum extento, & circa axem, circumactu decussati manubrii, seu quadrifidi radii, volubili, donec, per alias & alias exiliores formas seu foramina, in minutissima diducantur fila. Sed aurum argentúmque netum, seu textile, filatim sericô circumvolvitur, & ad nendum texendúmque adhibetur. Secùs accidit filis è metallo solidis seu cusis, aut per modulos prædictos transadactis, quæ non tam acu quàm forcipulâ tractantur, ad corollas & coronas opere Phrygiô crispandas. Priora fila dicuntur aurata & argentata: hæc verò, aurea, argentea, ærea; serviúntque ad tinnitum Instrumentorum Musicorum. Unde fides æneæ, ferreæ, chalybeæ; & devolvuntur in radios: illa verò in fasciculos, & glomera seu glomos.

Bracteolarius. Bracteator. Cusor. Confectio filorum ferreorum.

Aurifex (multis auri faber) seu faber argentarius, aut etiam ærarius, *Cicero vascularium* vocat, in aurificina vel argentaria opus faciens, imprimis callet artem examinandi & probandi metalla ad co-

Aurifex.

ad coticulam, seu lapidem Lydium, aut Heraclium; tum illa in catillo liquefaciendi & secernendi; dein excoquendi, & purificandi (*Plin. Sueton.*) ut ex argentoso & æroso fiat aurum obryzum, purum, putum. Et per catinum triangulum infundendi formæ; vel malleandi, procudendi, cælandi, incoquendi aurum, seu inaurandi & inargentandi: glutinandi chrysocollâ, seu chrysitide, & argyritide: lingulâ chalybeâ poliendi: encaustô, seu encausticô sive incoctili emblemate, inurendi & pingendi. In signis efformandis duplicem observat rationem. Aut enim formaturus iconem, juxta simulacrum ligneum, æri fusili impressum, (typus vocatur) impingit aurum, argentúmve, & in figuram destinatam excudit & extundit; Aut in modulo gypseo, plumbeóve, fusione figurat, stylísque ferreis, obtusioribus, teretibus, latiusculis in depressiores & prominentiores partes effigiat, & lævat, variis ductibus lineamenta & parerga discriminando, quædámque subtilibus incisuris cælandô. Vasa fabrefacturus, circumplicat ferreæ formæ lamellas bene malleatas; & in longum latúmque extenuatas vel rotundat planô ambitu: vel distinguit orbe angulari, vel quadrat latera; ducítque in tubera & tubercula, per malleos & ferramenta diversimodè capitata & rostrata. Idem aliô stylorum genere peracutô, & in diversos angulos mucronatô, punctim tractímque fodit. Sed terebrâ forat, attractu funiculi, instar surrecti torni, agitabili. Metallis nitorem reconciliat, vel candentia ustô cremore vinaceô cum sale perfricandô & lixandô: vel etiam sine ustione cremoris, cum sale & frigida perlinendô & perluendô, eáque, scopulâ è filis æneis colligatâ, (rasoriam vocant) defricandô. Auri excoctioris massula, dicitur pala; major massa seu lamina, *Plinio* vocatur

catur palacra. Argentum pastillatum est *Budæo*, quod in pastillos & massas coactum; at pusulatum, quod à pusulis repurgatum. Rude & infectum est, quod adhuc in massa: Factum, quod in vasis & signis. Ad expurgationem auri & argenti, utuntur vasculô, è cornu bubulo vel cervino contrito, tenacíq; materiâ coagmentato. Vulgò cupella, seu capella.

Aurificis, & Anaglyptices periti, seu Anaglyptæ est, vasa anaglypha seu anaglyphata, sculpturis eminentibus aspera effingere: aurea, aurata, subaurata, argentata. Item opera sigillaria, emblemata, scyphos sigillatos & operculatos, annulos, annellos, signatorios seu sigillares, gemmatos seu gemmis in pala inclusis, dactylia, condalia, cum sua dactylotheca, phialas, pateras, monilia, armillas (mundum muliebrem:) torques, squamatim, orbiculatim, angulosè, ovali serie catenatos, & plectiles: inaures, seu stalagmia, calices, chrysendeta, aureis crustis illigata, gutturnia, pelluvia, signa & sigilla, scitè, affabrè, faberrimè elaborata: lychnos argenteos, pensiles, ramosos, coronas regias, ex cuspidibus pyramidatis: aut surgentibus ex orbe, acanthi foliis, séque supernè dilatantibus: & imperatorias, curvantibus se in globum laminis aureis, ínque zonas se dissecantibus: omnísq; generis cimelia; colligens è præcinctu, pede leporinô, scobem, & ramenta, seu balúcam, quibus intertrimenta possunt compensari. Deniq; fabrefactis addit notam auri argentíve probati, seu probi. Speciatim aurarium curant negotium chrysopólæ, argyropólæ, negotiatores aurarii, argentariíque; *Gemmarii*, seu gemmarum mangones gemmas & cimelia: gnari discernendi lapillos, pretiosos à factitiis & ingnobilibus, veros ab adul- *Gemmarii.*

adulterinis & subditítiis, ex pondere, duritie, splendore, in quibus nec macula sit, nec nubecula. *Margaritarii*, circa margaritas, uniones, baccas, earúmq; elenchos æstimandos & vendendos versantur. Vid. Ind. verb. aurifex.

Monetarius, seu monetæ cusor, nummos cudit in officina monetaria. Sed qui percutit reprobos seu improbos, adulterinos; aut admutilat, accídit, ar-ródit probos, falsarius est. Hodie modus feriendæ monetæ in eo consistit, ut vel lamina aurea argenteáve æquali crassitie cudatur: vel duos inter volgiolos rotâ aquariâ impulsos prematur; postmodum laminatum æqualiter metallum, circumactu pressorii ferramenti, in nummos majores minorésve, pro ratione laminæ, rescindatur, typóque formetur ac signetur, seu signum & inscriptio imprimatur.

Alchimista. Qui è sequioribus metallis conantur enixè factitare aurum, vocantur *Alchimistæ* ab Alchimia, seu Chimia aut Chemia, Græcè χυμεία aut χημεία, Latinis idem, quod infusio, & auri argentíque præparatio: cui Arabes articulum *al*, linguæ suæ familiarem apposuerunt, unde Arabicè Alchimistæ: Græcè Chrysopœi; & Ars ipsa *Chrysopœia*, quæ sibi persuadet, posse ex viliore metallo semen colligi, cujus cum sulphure & argento vivo (Mercurium vocant) permixtione, fiat Pulvis, aut *Tinctura*, (quibusdam *Lapis Philosophicus*.) quæ tinctum in suam naturam, hoc est, aurum transformet, & convertat. Quod an fieri possit, digladiantur Philosophi; illud satis certum est, huic arti plus fumi quàm lucri inesse.

Nos nostram prosequamur Alchimiam, & cum Virgilio, non quidem ex Ennii stercore, sed variis ex artibus, aurum Linguæ Latinæ eliquemus.

Itaque

Itaque *aureis tenetur compedibus*, qui ſplendidè ſervit. *Faber geſtat compedes, quas fecit*; cùm quis paravit flagellum, quô vapulet. *Redditur incudi*; quod refingitur, mutatur, corrigitur. *Defuit ei lima*; quod nondum ſatis terſum & politum. *Additur lima*; cùm caſtigatur & expolitur. Vulgatum eſt: *Decies ad limam, quam ſemel ad linguam. Eandem tundunt incudem*: qui aſſidui ſunt in eodem ôpere. *Inter malleum & incudem eſt*; qui ingenti malô premitur. *Tenedia ſecuris*; de ſevera animadverſione. *In acie novaculæ eſt*; qui in ſummo diſcrimine. *Novacula in cotem incidit*; cùm quis in eum offendit, in quem minimè vellet. *Tuô te jugulabo gladiô*; tuis cônvincam argumentis. *Cudendum eſt, dum calet ferrum*; occaſione ütendum. Nunc *tuum ferrum in igne eſt*; tua res agitur. Præpoſterè agit, qui *clavi findit ligna, ſecures fo is aperit*. Nunquid obtundo? *Deſiderius.* Nihil gratiùs auribus. *Mercurialis.* Nunc tu malleum move. *Deſiderius.* Movebunt pro me,

Brontésq́, Steropésq́, & nudus membra Pyracmon

cæteriq; cyclopes, quorum

—— alii ventoſis follibus auras

Accipiunt, reddúntq́: alii ſtridentia tingunt

Æra lacu: gemit impoſitis incudibus Ætna.

Mercurialis. Gaudeo, Homerum Latinum tibi tam familiarem eſſe, qui fuliginoſam Vulcani officinam non ferreâ, ſed aureâ hypotypôſi illuſtravit. Nos ad alios fabros minùs operoſos vocamur. *Deſiderius.* Reſtat aliquid. *Mecurialis.* Quid? *Deſiderius.* Symbolicum quid, in mentem venit mihi. *Mercurialis.* Ediſſere. *Deſiderius.* Globus incendiarius, cum lemmate; *rumpor; modò rumpam*; vindictam indicat. *Mercurialis.* Bellè. *Deſiderius.* Machina bellica in ſaccum lanâ oppletum exonerata, cum adſcriptione: *cedendo reſiſtit.* Typum manſuetudinis aut

O pati-

patientiæ exprimit: *Mercurialis*. Ament te Musæ de docili & eleganti indole. Nobis aliò sunt vertendi pedes.

Caput XLIII.

Artes utensilium lineorum, ligneorum, coriaceorum.

Restio. Restio contorquet restes, seu laqueos, funes, aurigarios, rudentes, nauticos, anchorarios, ductarios, tomices, numellas setosas, cingula, cilicina, resticulas, funiculos, fila & varii generis intorta ligamenta è cannabe, stupa, sparto, vel arborum libris, qui dum virent, glubuntur. Instrumenta ejus: traha, cuneus, pondera, rotæ, retinacula, furcæ, tudites, mallei stuparii.

Viminarius. *Viminarius* seu *cophinopœus* è viminibus, quandoque decorticatis & exalburnatis sirpat, seu implicat corbes, corbulas, calathos, calathiscos, qualos, quasillos, seu quasillas, sportas, sportulas, canistra, canistella, sirpiculos, vel scirpiculos, fiscos, fiscinas, fiscellas junceas, virgatas, vimineas: & vehes rusticorum sirpeas vel scirpeas.

Cribrarius. *Cribrarius* facit cribra, cribella, *Pont.* incernicula, capisteria, ex assulis flexilibus, rotundatisque: reticula item juncea, aut linea, aut ex setis equinis; qualia sunt cribra excussoria, pollinaria, ruderaria, &c.

Capsarius. Capsarius autem ex asserculis, seu sectilibus lamellis, seu bracteis ligneis, capsas, capsulas, scrinia, scriniola, cistulas, cistellas rotundas, ovatas, quadratas, oblongas, &c.

Doliator seu viétor, accinctus cultris vietoriis, conficit vasa doliaria, circumvinciens secamenta seu assulas vinculis è virgis colurnis, aut betulaceis,

laceis, cósque ligans vimine falignô: five unô fundô, ut funt labra & lacus: five binô, ut dolia, habentia foramen defuper pro infufione liquoris; & deorfum pro emiffione: illud occluditur operculô aut obturamentô; hoc fiphone aut epiftomiô. Victóris effecta funt: folia, tinæ, cupæ, orcæ, orculæ, feriæ, pytinæ, obbæ, capedines, capulæ, alvei, alveoli, camellæ, fina, mulctræ, fituli aquarii, urnæ, antliæ, diótæ, fcaphia, &c. Labor eft, affulas doliorum fecare, dolare, committere feu coagmentare, ad fundum aptare, adhibendô dolábram pedatam, & inverfam: circulos dolabellâ, feu cultrô utrinque manubriatô (*Pallad.*) fuper equuleum ligneum, retinaculô ductili inftructum, recidere, vimine colligare, eosdem vafis inducere, adhibendô retinacula, uncos tractorios & adftrictorios, tudite feu paviculâ adigere; & tudiculâ, feu paxillô adftrictoriô arctare: terebrâ circulari perforare; fiffa feu fluxa & perfluentia, ac rimas agentia compingere, refarcire, redintegrare: cados cerevifiarios picare, radulanâ pice priùs exemptâ, & fuper fulcrum reclinatos fcopulis circumfricare, aquâ eluere, &c.

Tornio feu Toreuta parat in fua fabrica, tornatilia opera tornô. Ars ipfa, Toreutice. *Oftotoreuta*, offa tornandô polit, adhibitô chalybe, in cubum angulosè cufpidatô. Eft autem tornus, volgiolum teres, circumvolutô lorô; è pertica arcuata, fufpensô, pedis agitatione rotatile: ex altera parte finu cavô, aut etiam dentatô capite, materiam tornatilem tenaciter apprehendens; alterâ fui parte infertum, ferreæ laminæ forcipatæ, hoc eft, in modum forcipis, diductili. Lamina ipfa, cum fuo fuftentaculo, intra duo tigilla verfatili, ferratâ cochleâ contrahitur, laxatúrque. Utrinq; duo funt *Tornio.*

 reti-

retinacula, ferratô mucrone, (quorum dextrarium cum fulcro suo est mobile) lignum tornô paratum figentia. Versat autem Toreuta, utraque manu instrumenta tornandi super transversum fulcimentum; hoc innitens subjecto orbiculo ligneo, tollitur demittitúrq; clavô cochleatô. Rudiorem seu primam scabritiem aufert semitubulis ferreis: tum lævigat ferramentis planis, obliquè exacutis; aut etiam simplici, duplicive acie, uncinatis, (inter quæ rutellum in globis præsertim, & orbibus formandis usui.) Rostratis, seu rostellô longiore reduncis, utitur ad fundos vasorum, & extuberantes ventres excavandos, ut in atramentariis. Terebris dentatis secat, & perforat. Tornum autem variat, prout opera sunt scutellata, cochleata, angularia, &c. Denique pro diversa applicatione instrumentorum, planorum, obliquatorum, uncorum, canalitiorum seu cavatoriorum cavat, lævat, exasperat, extenuat, deprimit, attollit, turbinat, globat: crenulis, incisuris, [illegible]ris, nodis, tuberculis discriminat, multifariámque figurat, & detornat varia vascula, rosas, ligneolos lychnos, pyxidulas, &c. Inter artis hujus arcana hodie celebratur, si quis nôrit tornare non modò rotunda, sed angulata quoque, & ovata, squamata, undulata, torquata, rhombis & variis tuberculis distincta, &c. Vide Indicem V. tornus.

Qui *globulos* seu *sphærulas precatorias* tornant, usurpant tornum tricuspide lunulâ præferratum, cujus circumactione orbiculos exsecant ex admoto manu asserculo: quibus postea gyratione rotæ perfectam rotunditatem & lævorem addunt; & denique, mutuô inter se concussu & attritu, nitere faciunt. Antiquis Proverbiô dicebatur: *milium tornô sculpere*, quod absurdum. Nostri Alpestres coloni Berchtesgaden-

gadenses in excavato piperis grano non unam duodecadem includunt tornatilium caliculorum. *Desiderius.* Id meis egomet oculis vidi. *Mercurialis.* Meis ego manibus ut versarem, pro fuscinula aciculam adhibui. Porrò

Ad *Arcularium*, seu Scriniarium aut Clinopœum pertinet suamet sibi arma fabrilia ex ligno parare: ferrea acuere: ligna in quadrum circumsecare: ex curvo in rectum & ad regulam reducere: quadrata rotundare: rotunda quadrare & conquadrare: decussare, seu decussatim conjungere: cancellare, seu cancellatim coagmentare: angulatim incidere & committere: per fissuras & incisuras seu planas, seu denticulatas, seu altrinsecus coëuntes: per juncturas insectas: per canaliculatas & cavatas conserere: pérq; varias secturas & scalpturas immittere: quæ contra pulpam sunt, lamellis tegere: naturam ligni, & vitia nôsse, si marcidum, cariosum, nodosum, viride, fugiens, seu hiscens aut discedens, facilè fissile, intractabile, inhabile, contumax operanti, aut quocunq; modô vitiosum. *Arcularius.*

Ejusdem est, opere intestinô, seu ligneô, construere, quidquid ad ornatum ædium pertinet, ut est, laquearia seu laqueata coronariô opere, lacunis scilicet vel rotundis, vel angulosis (insertiones & impages appellantur fabris) suspendere, seu, ut *Ovidius* dixit, lacunare: parietes cum suis coronis, cornicibus, loricis, loriculis, loricationibus contabulare: pavimenta coassare, seu assare, aut coaxationem vel coassationem facere: arcas & arculas fabricare, loculatas, pluribus loculis aut nidulis distinctas: æratas, seu ære vinciendas: cistas & cistulas suis cum valvis, valvulis, operculis: scriniaria, scriniola, mensas, mensulas suis cum pedibus, & capsis reductilibus, ac suppedaneis. Unô pede

fultæ menſæ, dicuntur *monopodia*: *pantherinæ* vocantur, quæ ſunt undulatæ aut undatim criſpæ, ſeu criſpatæ: *tigrinæ*, quæ oblongô venarum diſcurſu maculoſæ. Ejusdem quoque eſt, lecticas compingere, quarum pars à cervicali dicitur pluteus: latus, *ſponda*, fabricat etiam ſellarum pellicearum fulcra, ſive arcuata, ſive biſſellia: variásque ſedeculas, ſedilia, ſcamna, ſcamilla ſeu ſcabella, antas, antepagmenta, ancónes januarum, jugamenta feneſtrarum, cæca poſtium intertignia: Diverſáque aſſamenta jungit, committit, impagibus & ſubſcudibus: junćturas & commiſſuras glutine ſeu glutimentô glutinat, ſeu conglutinat. Fiſſuras, fiſſiones, rimas, diviſuras, rimulas, aſſulis implet, & compaginat, ne compages, vel coagmentatio hiet, aut perluceat. Et, ut niteant, gummitione, ſeu gummi juniperino (vulgò *vernice*) oblinit. Quæ omnia ut fiant, Primò ſunt aſſeres, & tigilla exaſcianda, & marginanda: tum runcinarum raptibus dolanda, & runcanda: inde dolábrâ dedolanda: mox dolabellâ, ſeu planulâ edolanda: circumdolanda, complananda: quædam denticulatâ dolabellâ ſtrianda, ſeu in crenas incidenda. Atq; ut opera fiant everganea, ſeu fabrè, aut elaboratè facta, quædam excavanda & exſcindenda, ut profundiùs recedant: alia, ut protuberent: alia in plures angulos reflectenda: (ipſi *ſtrumas* vocant) alia utrinque promittenda, ut procurrant, & projecta videantur; quædam ſcalpturanda: quibusdam parerga inſerenda; tabulæ ac tabellæ includendæ marginibus, ſeu marginandæ, (unde *marginatæ* dicuntur) hoc eſt, vinciendæ & ornandæ ſubſcudibus & regulis, quandoq; ſtriatis, criſpatis, undulatis; quas quidem undantes ſtrias ſeu ſtriaturas, fabri malunt nominare flammas, & flammatas. Aſſeribus prætexendæ aſſulæ; & hæ, membra-

nis

nis seu bracteis ligneis, osseísve, in foliorum speciem intersectis, distinguendæ. Quædam opere musivô, seu vermiculatô intersecanda, & exornanda. Quædam nigrâ politurâ imbuenda, & inficienda; &, quæ infecta sunt, defricanda, exterenda, deterenda juncis. Quædam rallô & limâ radenda, rasitanda, interradenda. Quorundam extantiæ circumscalpendæ. Quædam durioris naturæ, ut lapides & metalla, coagmentis alliganda; &, quæ pluribus constant membris, distributè ac partitè ad symmetriam totius operis adaptanda.

Ad quæ omnia efficienda, opus imprimis est mensâ dolatoriâ, ut *S. Hieron.* loquitur; retinaculis pluribus, fixis, mobilibus, planis, cochleatis. Item sustentaculis: & diversis scalpris: rectis, obliquis, acuminatis, cavatoriis. Variis quoque ferris & ferrulis: asciâ, dolabris, ac dolabellis: terebris & terebellis: paviculâ, forcipe, cultrô fabrili, &c. quibus fodiendum, cavandum, terebrandum, perforandum, secandum, insecandum, subsecandum, circumsecandum, intersecandum, scindendum, incidendum, rescindendum, circumcidendum, impingendum, illidendum, &c. decidentibus, interea & absilientibus assulatim schidiis, seu ramentorum crinibus, segminibus, segmentis, secamentis, assulis, micis, & scobe, seu serragine. Vide Ind. voc. Scriniarius.

Lyropœus seu *Plectropœus* conficit lyras, citharas, testudines, cheles, &c. quarum convexitas tabulata, dicitur *magas* (adis) in cujus medio est *umbilicus* cælatus; cui insistit *magadium* seu ponticulus: hic sustinet *chordas*; chordæ, seu fides feriuntur *plectrô* arcuatô, & setâ equinâ subtentô; tenduntur & remittuntur *verticillis* seu verticulis aut epitoniis: verticilli immittuntur *jugo*, seu cervici chelyos. Lyropœus.

Organopœus. *Organopœus* seu Organarius fabrefacit Organa Musica, seu Pneumatica, cum suis fistulis majoribus & minoribus : quarum quædam graviorem bombum : quædam medium seu tibialem sonum : quædam acutiorem emittunt, qualem gingriæ edunt : quædam, qualem cymbala. Ex illis ad follium (obturaculi *Vitruv.*) contractionem & dilatationem (obturationem & aperturam) alternatim redditur spiritus, pro moderamine *regularum pleuritidum* & motuum *epistomiorum* seu *epitoniorum*, quorum manubria manibus, imò pedibus Organœdus tangit, pulsátque. Interanea sunt tot filorum mæandris suspensa, ligata, & implicita : tot spiraculis distributa & partita, faciliùs ut inspici possint, quàm describi.

Desiderius. Quoniam vis mira constructionis harmoniacæ in Machinis hisce Musicis apparet, peto abs te, ut iis, quæ percurristi, adjungas pluscula, artis & pegmatis Organici penitiùs paullò cognoscendi caussâ. *Mercurialis.* Promptior sum quàm peritior, ad hoc præstandum; quantò meliùs desiderio satisfacerent tuo, horum operum Dædali. Sed tamen, huic ne totus desim rogatui, ea, quæ mihi cognitiora, communicabo tecum. *Organœdus* igitur, ubi digitis movet claves, quas vocant; moventur simul obturacula, seu spiraculorum obices, oribus fistularum subtensi, & ex filis ferreis lamellísque ligneis, quas tendiculas voces uncinatas, cum clavium seu manubriorum depressione versatiles. Obices illi seu epistomia (quorum scilicet obductione & reductione continetur aut laxatur spiritus) ventum seu flatum follibus (*Vitruv.* Arcam nominat, nempe ventosam, in quam anima canalibus ministranda influit) susceptum, & per meatus canalium dispensatum, immittunt fistularum ori-

orificiis. Series porrò fiſtularum ſeu Grandiorum, (*Principalem* Organopœi vocant) ſeu Mediorum, & quadam permixtione conſonantium, id quod *Mixturam* appellant: ſeu, Tubarum ac Tibiarum, & gingriarum ſonores exprimentium, aliter & aliter ſonant, prout verſatione regularum pleuritidum (quaſi dicas obductilium & reductilium à lateribus utrinq; tabellarum foratilium *Plin.* quarum ſingulæ quadraginta quinque fiſtulas, epitoniorum manubriis moderantur) per ſpiramentorum foramina, ſeu perforata tabulata (*Vitruv.* pinaces vocantur) ora fiſtularia vel recluduntur ſeu aperiuntur, cùm ſcilicet fiſtularum extremitates rectà foraminibus illis, auræ perviis, inſiſtunt: vel clauduntur, dum ora oribus inter ſe non reſpondent, & ſic afflatus ex arca, & per canales tradux ſpiritus intercipitur. *Copulam* Organarii fabri appellant fiſtularum concordiam, leniori modulatu aures ferientem. *Tremulantem* nuncupant, cùm tremulus ſonus elicitur è fiſtulari cavitate, per aërem quadam ſucuſſatione impulſum. *Organum pneumaticum*, quod minoribus fiſtulis regulíſq; pleuriticis conſtat, *Poſitivum* dicunt, quòd de loco in locum poni queat. Sed *Regale* nominant, quod, fiſtulis, non item regulis præditum, ſonitum reddit ſtreperum magis ac ſtridulum & ſubraucum, quàm liquidè tibialem, ob diverſum aëris ad ligulam, ſeu lingulam, in fiſtulis abditam, appulſum. Minora Organa, ſeu *Inſtrumenta Muſica* ſunt fidium ferrearum & ænearum, quæ, malleolô clavulorum capitulis immittendô, corriguntur, contemperantur, & concordantur. In quibus inſtrumentis, pinnulæ per ligneas lamellas prominulæ cum iiſdem emicant, ſeu ſubſiliunt, tinnitúmque fidium ænearum excitant. At *Clavichordium* vocitant, in quo æreæ pinnulæ epitoniis

ſeu clavium coſtis infixæ, alliſu ſuô chordas feriunt, & obtuſiore ſonô tinnire faciunt. Intellexti hæc? *Deſiderius.* Quantum imbecillitas imaginandi patitur. *Mercurialis.* Vides ergo, quid petieris, quídque dixerim, hæc fideliùs oculis ſubjici, quàm auribus. Sed macte animô, ducam te in rem præſentem; modò cæteras fabricas lignarias pertranſierimus priùs. *Deſiderius.* Quacunq; tecum pergo, vel aviditate ad alia accedo; vel inde, ubi fui, non ſine admiratione recedo. *Mercurialis.* Pauciora miraberis, ſi plura expertus fueris. Nunc ad fabrum Rotarium.

Carpentarius. *Plauſtrarius,* ſeu *carpentarius*, facit currus, plauſtra, carpenta, carros, & varia vehicula, vectabula, curricula, quorum veſtigium dicitur *orbita.*

Partes currûs. Corpus curule conſtituunt diverſæ compages: *Axes* videlicet, quibus rotæ ſunt immiſſæ: *Temo* lignum eſt oblongum, quod à *jugo* (ligno transverſo, cui juncti ſunt equi; vernaculè *libra* dicitur) inter equos portenditur, *temónis brachia*, transverſariô lignô commiſſa; ſuper hoc verſatur ſeu vertitur tignum oblongum currui ſubtenſum, (*axem ſtratum* vocant, ſeu temónem cæcum) cujus pars extrema, dicitur cauda, connectens fibulâ partem currûs priorem & poſteriorem; partibus iſtis incumbunt *tigna oneraria*; ſurgunt ad latus utrinque fulcra *arrectaria* ſeu *alaria*, ſuo cum *ſtatumine*, quibus obnituntur *anterides*. In rhedis & pilentis penſilibus ſunt libramenta lorea, quibus ſuſpenditur compago lignea, concamerata, & coriô obducta, virgíſque ferreis effulta. Quædam eſſeda umbellâ reductili tegi, retegíque poſſunt. Sunt autem in rhedis *alæ, apertiones, ſediculæ, ſtaticula, jugamenta antica & poſtica*; & eſt *capſus* pro rhedario.

Cæte-

Cæterùm currus procedit conversione rotæ circa axem. *Rotæ* curvatura dicitur *absis*: absides sunt sex, totidémque *canthi*, quibus absis munitur. Medium rotæ seu centrum est *modiolus*: huic hinc *radii*, illinc absidi innituntur. *Embolium* seu obex est paxillus, tubulô modiali insertus, rotæque præfixus, ne excidat. *Radium* quoque vocant cuneum illum seu clavum ferreum, jugi foramini immissum. Est & alius paxillus ferreus, (cuneus, clavus, obex) qui subjugia lora seu catenas subjuges continet. Annuli seu orbiculi ferrei, axi inditi, ad prohibendum ejus attritum, à quibusdam vocantur *auræ*, Græcè *ἀυραὶ* vel *ἀυραὶ*, quasi famulatrices. *Partes rotarum.*

Est insuper opus carpentarii, confectio *aratri*, cujus partes: *vomis* vel vomer, nempe nens seu uncus, ad liras, vel sulcos dulcendos. *Dentale*, lignum, quô vomer includitur: *stivæ*, manubrium seu manica aratri: *buris*, vel bura, curvamen illius, quod vomerem excipit: *ralla* vel rallum est ferramentum, quô vomis purgatur. Atq; hæc de Utensilibus ligneis. Vide Ind. verbo Carpentarius. *Aratrum.*

Coriacea è corio parat *frenarius*, videlicet *frenos* seu habenas, retinacula, *subjugia lora*, quibus equorum juga alligantur; *frontalia*, quibus equina capita revinciuntur; *anteas*, quibus aures frenantur; *postilenas*, quæ tenduntur sub cauda equi; *antilenas*, quæ ante pectus; *capistra*, quibus tenentur; variáq; loramenta, & corrigias. *Frenarius.*

Sed *Ephippiarius* facit *ephippia*, seu sellas equorum pellitas, aut fulcra equestria, quorum pars anterior, nodus: posterior, fulcrum dorsuarium: media, jugum, utrinq; declive. Cingulæ sunt cannabinæ, equorum ventri succingendo: helcium seu jugum, equorum est collare; cui subduntur tomices, *Ephippiarius.*

ces, seu pulvilli lanâ pilisque farti, muniendis jumentorum collis. Ejusdem est, rhedas seu pilenta coriô obducere.

Marsupiarius. *Marsupiarius* (saccularius, manicarius) consuit chirothecas, manicas, marsupia, crumenas, (etiam seratas) pasceolos, vidulos, sacculos, loculos scorteos, bulgas, ascopéras, hippopéras, &c. Idem cistas, riscos, & sellas circumsuit coriô, subtentis ad sustentandum cingulis. *Zonarius.* *Zonarius* facit cinctus, cincticulos, cingula, cingulos, zonas, zonulas; (aliquando clavulis capitatis, bullatis, umbilicatis, & aliis bracteis extuberantibus,) quæ fibulantur fibulâ; &, cùm solvuntur, diffibulantur; è succingulis & baltheis suspenduntur gladii. *Ligularius.* *Ligularius* conficit versicolores ligulas, eásque præmunit seu armat capitellis bracteis, quæ infibulantur & refibulantur, ipsóque usu exarmantur.

Saponarius. *Saponarius* (factor sapónum) coquit è sebo saponem seu smegma, sebátq; candelas.

Cerarius. *Cerarius* fundit, aut mollit, subigítq; manu (malaxat, *Nonio*) cereos, & cereas faculas, tædas, funalia, instructa ellychniô, (filô aut funiculô stupeô, aut xylinô) aut bacillô resinaceô, in medio candelæ aut facis. Trahitur etiam cera circumactione rotæ in longos funiculos, qui conspirantur seu convolvuntur in spiram aut globum: sed cerei infiguntur candelabro seu lychnucho. Fictor fingit è cera signa & sigilla, & ea, quæ ceraturam patiuntur, cerat ac incérat. *Cera colorata.* Coloratur etiam cera vel cerula aut miniô, (unde miniata aut miniatula) aut æris ærugine, cum admixtione resínæ terebinthinæ; unde cera viridis: Aut dealbatur ad Solem, unde candida, alba, Punica. Sed cave, ceram putes, picem illam sigillarem, & rubricatam, miniatam, atra-

atratam, (vulgò *ceram Hispanicam,*) teretes in virgulas diffusam.

Pectinarius conficit pectines, corneos, eburneos, ligneos, raris & densis radiis distinctos, pro pectendis crinibus. Sed scopularius concinnat pro vestibus purgandis varias scopulas, setaceas (è setis, scapo ligneo alligatis, unde *Pontano* nostro setaciarius,) seu excutias; ad radendum rasorias seu asperas; ad cantharos & vitra defricanda, echinatos seu echinos. Sed ad pavimenta everrenda fiunt scopæ è virgis betulaceis, sequacis ad vincturas lentitiæ *Plin.* circa baculum scoparium, à scopario colligatæ. Venduntur in foro scopario. *Pectinarius. Scopularius.*

Cornarius dicitur, qui circa corneam materiam versatur. Thecopœus, qui thecas qualescunque facit. Cubopœus, talos osseos quadrat. *Cornarius.*

Habent autem Opifices magistri, sibi adjunctas operas, adjutores, servos, (cerevisiarios, ferrarios, pistores, &c.) & tabernam (hospitium, diversorium) tribúlem seu tribuariam, ubi peregrè advenientes divertunt, & contribúles (tribúles) conveniunt. Sunt autem mechanicorum artificum (uti mercatorum, naviculariorum, &c. variæ tribus, curiæ, decuriæ, corpora, sodalitia; è quibus non pauci sedentarii seu sellularii (quidam ex iis sedendô incoxant pedem, seu cossim insident.) Opificia omnia sunt meritoria seu mercenaria; quibus scilicet mercedem & pretium opere rependimus, quod vocatur manupretium seu manipretium, aut manuspretium. Tirones addiscunt artem, ejúsque rudimentum ponunt; absolutô tirociniô, juniores opifices, seu juvenes operarii exercent opificium in variis officinis & ergasteriis; quandoque præter mercedulam hebdomadariam (vel salarium) accipiunt honorarium, quod diebus festis solent absumere *Opifices magistri & juvenes operarii.*

mere compotatione; quin potu etiam & inerti otiô diem Lunæ ac septimanam auspicari. Pro futuro magisterio mos est, specimen illos artis dare, edere, facere. Quidam laborant affabrè, scitè, venustè, politè, solerter, operosè, probè, & pretiô parabili; alii infabrè, inscitè, impolitè, futiliter, perfunctoriè, levique brachiô; & tamen plus justô aut æquô petunt exiguntque.

Proverbialia. Superest, ut, quod de his mechanicis Proverbiale (vox Erasmo & Calepino usurpata) in buccam venit, projiciamus. *Cribrum carnificinum* est *Plauto*, servus virgis laceratus, & furcam in collo gestans. Qui stultè laborat, *cribrô haurit aquam.* Non januæ tantùm, sed cujuslibet rei summa, *cardo est*, & *in cardine volvitur. Teres atque rotundus*, est homo concinnus & industrius. *Quadratus* Aristoteli dicitur *sapiens*; vulgò pro rustico habetur. *Duabus sedet sellis*, homo vel ancipitis fidei, vel dubii eventûs.

Versatur celeri Fors levis orbe rotæ,

Et *rotat omnia secum.* Quidam maledici *plaustra conviciis onerant. Tabula rasa* puer est, cui nihil literarum inscriptum. *In quadrum redigitur, seu quadratum,* quod rectè concinnatur in ordinem. Inconstantis est, *manum ab aratro retrahere.* Quidam *aptiores* sunt *ad stivam, quàm ad calamum. Cum cane simul & lorum perdit*, cui spes tota periit. *Cereum nasum fingit alteri,* qui eum verbis ductat. *Ceram obdit auribus.* Ulyssis ad exemplum, qui Sirenum seu Voluptatum cantus non audit. *Scopæ dissolutæ*, est oratio sine nexu; fœderati sine consilio. *Ad incitas redactus, nec obulum habet, unde restim emat*; desperato res ad restim rediit. *Nodum in scirpo quærit*, meticulosè anxius. Sed *malo nodo malum quærit cuneum*; qui mala malis, acerba acerbis pellit. *Discinctus nepos*, idem, quod helluo,

helluo. *Irè per extentum funem* dicitur, qui rem difficilem præstat. *Inanis opera* est, aqua in dolium pertusum immissa. *E dolio hauris dives, è lagena bibis pauper. Duo sunt Jovis dolia,* alterum voluptatis, alterum doloris: mellis & fellis: neutrum sine altero. An satis etiam? *Desiderius.* Modesto, non petaci. Dum tu abrumpis; ego repono: funiculus triplex difficulter rumpitur. *Mercurialis.* Percommodè sacra misces profanis; vel filô me retineres, nisi majora jam essent facienda itinera.

Caput XLIV.

Artes itinerum; primùm pedestris.

QUia non possumus uno hærere in loco; opus est transire quoquò, quod si propè fit, *itio* est; si longinquè, *iter*; si frequenter, *frequentatio, itatio*; si ultro citróque, *commeatio*; si animi gratiâ, *deambulatio, prodambulatio*; si per campos aliquid conquirendô, *peragratio*; si propter peritiam regionum, *peregrinatio*; si ad habitandum alibi, *migratio.* Ubique autem, si quid nobiscum assumimus, manu necesse est transferre; si humeris, portare; si vehiculis, vectare; si comitatu, ductare.

Quò non libet, aut non licet devenire nobismet, mittimus alium: si, ut quid nuntiet, nuntium (nuntius & rem & hominem significat;) si, ut deferat epistolam, tabellarium, (tabellionem, literarum bajulum seu latorem,) accinctum quandoq; spinthére; si, ut expediat negotium, curatorem.

Ttansmeamus autem terrâ vel aquâ (pervolitare aëra nondum didicimus, nam narratio, de volatura Dædali, fabella est;) per terram *vadimus*, aut *gestamur*, aut *vehimur* (quod est iter terrâ

facere

facere aut petere;) per aquam aut *vadamus*, aut *natamus*, aut *navigamus*.

Viator pedestris. *Viatori* pedibus ituro expedit esse peronato, (calceis bene soleatis, & nuspiam prementibus, ac exulcerantibus pedes) ne collutuletur; lacernato quoque seu penulato ac petasato, ne compluatur. Et quia non potest gestare sua secum omnia in sinu, vel gremio, vel sacculo aut loculis assutis intra vestem; aut de collo, quod Suevorum est, pendulis, circumcingit se sacciperio, aut imponit humeris sarcinam; sumítq; in manum baculum seu scipionem, quô se fulciat; aut saltem virgam seu bacillum, decóri causâ.

Ingressus viam, insistat eam, ac rectà proficiscatur, finéq; ambagibus, quò tendit; ne deflectat ad diverticula, nisi necesse sit: nec per divortia & anfractus, variósq; flexus deserat viam regiam (militarem, publicam, principalem, *Livio*. Item Veteribus, Consularem, Prætoriam) semitæ causâ; nisi sit callis tritus, & viantium (*Quintil.*) vestigiis impressus, itineris præterea dux comésve fidus ac peritus; cui pro mercede debetur menytrum; boni nuntii gerulo evangelium. Sine his facilè per tramites vestigiáq; errone a venietur in devia, salebras, asprétaque.

Bivium & trivium plerumque fallax est; non æquè seducunt compita & quadrivia; quare, ne fiat errabundus, (decipiatur errore viarum) sciscitetur obvios & indices; quà eundum sit, quorsúmque flectendum? dextrorsum, an lævorsum? dirigent ipsum non raro stellæ viatoriæ, more Christianô crucibus insignitæ. Gentiles singula milliaria signabant lapidibus: & ad viarum intervalla ponebant Hermas, truncas Mercurii statuas.

Devi-

Devitet offendicula, ne sint remoræ; nec perambulet altiores clivos (qui sunt euntibus cacumen versùs acclives, retrorsum declives:) Evitare tamen non poterit climaces, seu gradus viarum aut viatorios, variósq; ascensus arduos; gerras item, & sepes, ac pensiles plancas, vel etiam jacentes. Retrocedat, viámq; relegat potiùs, ubi nequit meare porrò, aut procedere; circumeat fossas, (eluvies, voragines) si transmeare non potest, aut trasilire ne quidem adminiculô conti, sic ibit inoffensè: erit tamen aliquando lapsandum per lutum, fiéntq; prolapsiones, fallente per lubrica pede. In diversoriis ne cunctetur; nec per diversiola compluries interquiescat.

Peregrinaturo ad exteros, opus est viaticô, (unde viaticus) propter impensas (itinerarias *Lampridio*) aut certè literis cóllybi, (vulgò *cambii*) ab aliquo collybista acceptis; quandoque & interprete, si non calleat idioma gentis; & hodœporicô (descriptione itineris seu itinerariô;) aliquando, ubi clausi transitus, requirentur liberi literæ commeatûs, vel tessera: maximè autem opus est prudentiâ, ut attendas, quocum sit, ubi ubi fuerit, à discessu usque ad reditum; nam prædones (grassatores, obsessores, & infestatores viarum, latrunculi) spoliant; piratæ abducunt; latrones trucidant. Sed & in diversoriis (ubi pernoctandum est) sæpe intutus est ab hospite hospes, ob improbitatem, & perfidiam cauponum quorundam. *Peregrinatio.*

Viatori facundus comes est pro vehiculo. Qui *est in trivio*, dubitat. Qui *è trivio*, vilis est homulus. Sat citò pergit viam, qui sat bene, nam *festinandum lentè.* Tergiversator est, qui *quærit semitam*, cùm adsit via. Senes avari *exactâ viâ curant viaticum*,

cum. Hæc extra orbitam; redeamus in viam, & utamur equis.

Caput XLV.

Equitatio & Aurigatio.

AD parcendum pedibus & viribus (in rebus avehendis, advehendis, ſubvehendis, ſubvectandis, exportandis) didicimus uti jumentis; deinde vehiculis.

Equit. *Equitaturus* curat affigi ſoleas equo, inſternit illi vel ipſe, vel ſtabularius (curator equarius, frenator, ſtrator) ephippium, quod ne devolvatur, ſuccingit illud cingulâ; ſellæq; equeſtri anteriùs præligat *bulgam* ſeu *vidulum*, vel alligat retrò *hippoperam*; vel appendit utrinq; *aſcoperam*; & præter frenum addit antilenam, poſtilenam, & pro ornamento ſtratum dorſuale, aliáque. Vide cap. 43. de *Frenario* & *Ephippiario*.

Tum, infulciens pedem ſtapedi, tollit ſe, aſcendit, inſilit in equum; jámq; illi inſidens, ut abequitet celeriùs, exſtimulat eum calcaribus, (calcaria ſubdit) ad procurſum; habenis verò immiſſis, laxatis, moderatis, adductis, flectit pro lubitu, aut retinet & reprimit, pro neceſſitate; ſed *gradarius* equitem fert molliter, *tolutarius* (aſturco) tolutim & ſubſultim, *ſuccuſſator* quaſſat ſubmoleſtè, *ceſpitator* offenſat aut proterret caſu: *effrenus* negligit retinacula; *ſternax* excutit equitem, (equiſeſſorem *Onomaſt.*) & ſuper caput effundit; aliquando is ſuâ culpâ defluit, & delabitur.

Diverſa vehicula. Ventum eſt ad vehicula, quibus vecturæ fiunt & vectiones, quidam vecturis vivunt) invectiones, evectiones, per jumenta plauſtraria, vectaria;

ria: è vectabulis, quod tantùm raptatur, (præsertim per viam nivalem) *traha* (vel trahea) dicitur; quod volutatur super rotas, *curriculum*, sive fuerit unius rotulæ, seu *trusatile*; sive duarum rotarum, *carrus*, (carruca, cisium;) sive quatuor, ut *currus*; cujus iterum varia genera.

Curruum varia genera. Ampliora enim onera vectantur *plaustrô*, rudiora *sarracô*; homines ipsi *rhedâ*, *covinô*, *carpentô*, *pilentô*, *essedô*, seu *petorrito*, quorum quædam pensilia, camerata & operta undique, (opertorium habentia) quædam leviora, & aperta. Lectica (lecticula, arcera, est vehiculum gestatorium, quô qui vehitur, incedit gestamine (*Tacito*).

Aurigæ munia. *Auriga* (essedarius, carrucarius, bigarius, quadrigarius, rhedarius, vel equis, vel capso rhedæ insidens) parat equos aurigationi, vel equitationi; ac ventilat avenam vannô, seu corbe pabulatoriâ, evannatámq; obsípat cum desecto stramine, quod in paleario asservatur; jumentis alligatis capistrô ad præsepe, & interseptis per vacerras: inditq; saturatis, adaquatis & strigilatis (strigili perpurgatis) oream; atque, si mordacia sunt, constringit ora fiscinâ seu fiscellâ; in quibus est oris duritia, ut infrenari nequeat & cohiberi, eorum naribus imponit postomidem.

Deinde equos (jugales) jungit seu jugat currui; *parippum* (funalem, dextrarium) adjugat *sellario*; annectitque retinacula (ferrea, aut lorea) dependentia de helcio, extremitati temonis; *Biga*, *triga*, *quadriga* sunt currus duobus, tribus, quaternis equis juncti, unde bijuges, trijuges, quadrijuges, vel bijugi, &c. prout præjungit equos *antecessores*, quos agit ante se lorô, unum vel duos, vel plures; magnates enim utuntur sejugibus, quin etiam octojugibus, eóque rhedariis etiam pluribus;

non rarò intra bifurcum temónem equi singuli rectâ serie sub jugo incedunt; olim currui juxta se quaterni jungebantur.

Ut currus leviùs currat, *vector* ungit axes *axungia*, equos increpat flagellô; vel mulcet poppysmô, (seu poppysmate) respectátq; inter aurigandum, ne exorbitet, aut distortâ flexurâ evertat vehiculum; si in cœno hærescit, ne diu hæreat & retardetur, subjungit plures equos: Contrà, in præcipiti decursu & descensu, ne velociter ruat, sufflaminat rotas sufflamine; suculam verò (trochleam dentatam, ligno inclusam,) circumactione manubrii sursum agit, & currui suppingit ad rotam vel eximendam axi vel inserendam; aut onera levanda, deponendáque; quibus jumenta, ne rumpantur, per intervalla *interjungit*; deniq; & *abjungit*; & in aquarium seu lacum ducit, (agit aquatum, vel adaquatum) domíq; curat pabulô.

Ubi transitus non datur vehiculis, per loca prærupta & invia, adhibentur *clitellaria jumenta*; inprimisque tardi caballi, inepti ad equitandum, (carrucarii & molarii, *Catoni*) & asini, muli, mulæq; cessim, seu pedatim, vel pedetentim, seu pede pressim euntes; quibus impositæ clitellæ sustinent onera, gausape cooperta.

Sed in plano (viâ equitabili) potiùs utimur, præsertim si celeratô opus, cursoriis, celétibus, verédis, veredariis, meritoriis, conductitiis, dispositis equis & vehiculis; ibi tamen intertriginem cave; (*nam solet à nudo surgere ficus equo*) atque, ut sis expeditior, impedimentis ne te aggraves, quæ festinos tradant; sunt enim itinera facienda justa.

Equitaturus, frustrà asinum sub freno currere docet. Qui mordet frenum; repugnat leviter. Optans inexperta, & damnans experta.

Optat

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Qui sponte suâ facienti, insuper jussa admovet: *currentem incitat*, sive *currenti calcar addit*, aut *subdit stimulum.* Sibi ipsi perniciem creans; *suo sibi jumento accersit malum.* Satius est recurrere, quàm malè currere. Cæcus cæco dux.

Fesso clitellas imponere, est, eum immodicè, vel importunè onerare. Qui alios ingeniô aut quacunq; aliâ re antevertit, dicitur *equis albis, citis, seu Jovis quadrigis præcurrere.* Sufflaminatur, cui aliqua mora injicitur. *In luto hæsitat*, qui molestiis se negotiis involvit. Hîc occurrit rusticus ille in cœno cum curru hærens, & otiosè Herculem in auxilium vocans; cui Deus: cum Hercule move manum. Jam tu loquere. *Desiderius.* Verbô absolvam: Effrenata juventus est in girum rationis ducenda. *Mercurialis.* Non possum non meminisse decantatissimi versus illius Virgiliani, equitantium festinationem exprimentis:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Quem, si velim, uti plerosq; alios ejus Poëtæ versus, perfacile sit in sensum allegoricum convertere. Atq; hæc terrâ; nunc mari.

CAPUT XLVI.

Natatio & Navigatio.

Flumina, *lacus, rivi, maria*, obstant identidem viantibus, superanda omninò iis, qui ulteriùs velint tendere; sive *ponte* aut ponticulô (lapideô, vel sublicîô, aut *plancâ* prætenui) sive aliter; quod jam recensebo.

Innatare aquis discunt, super scirpeam ratem, arboreúmve corticem, eis incubandô; tum, sine cortice jactatu manuum pedúmque; sunt & non-

nulli, qui aquas calcare sciunt, (tranandô sine madefactione vestium, quas supra caput tenent, pectorum tenus mersi.) *Vrinatores* etiam sub aqua, instar piscium, natant, & urinantur; quòd si flumen potest vadari, aut vadosum est, propter brevitatem aut tenuitatem aquæ, superatur pedibus; sin', transnatatur; qui subsídit, mergitur; qui supernatat, fluitat.

Pòst adorsi sunt, struere *rates* aut schedias (naves trabicas) ex tignis obiter compactis, rursúmque solutilibus; qui eas moderantur, *ratiarii* vocantur; tum *lintres*, (alveos, monóxyla) ex unico excavato ligno; tandem *naupégi* compegerunt, construxerunt, ædificârunt naves, ad firmitudinem compactiles, ferruminandô assamentorum commissuras, seu textus, musci comâ interjectâ, quarum partes sunt: *Prora*, pars anterior, sæpéque rostrata, acutô in modum cunei rostrô; *acroteria* sunt plutei navales, seu tigna, ornatûs causâ utrobique eminentia: *Puppis*, pars posterior, in qua signum illud, unde nomen accepit navis, dicitur *tutela*: infima, *carina*, quæ nonnunquam impletur *saburrâ*, (saburratur) ad stabiliorem cursum, ut firmiùs innet: intermedia, *alvus*; *stamina* (costæ, statumina) sunt ligna interiùs arrecta, quæ navis latera suppingunt; *fori* seu *stegæ*, exteriora spatia, seu tabulata, per quæ nautæ incedunt, aliquando latiores adduntur *pergulæ* pro excursu per totam navim; *Transtra*, seu *juga*, sedilia sunt remigum: *columbaria* autem foramina, per quæ remi eminent; *scalmus* labium navis, cui sunt annexi remi: *interscalmium* (intervallum scalmorum, seu spatia inter remiges.) *oculus* est locus, cui navis inscribitur; *modius*, cui malus immittitur; *sentina*, pars inferior, quò sordes seu nautea defluunt. Laudatur materia

Partes navis.

navis

navis, quæ nec fissilis, nec fragilis, nec putredini subjecta, quæq; minùs sidit.

Instrumenta seu armamenta navium sunt *Clavus* seu *gubernaculum*, sive temo, quô dirigitur; *remus*, quô impellitur; cujus pars latior, dicitur *tonsa*, (à tondendis, seu diverberandis fluctibus) seu *palmula*, à similitudine palmæ humanæ; gracilior, *manubrium*; *Malus*, sive arbor, sustinens *vela* dispansa (lintea, carbasa, carbaseos sinus) cum *antennis*, (perticis transversis & versoriis, quibus vela alligantur:) earum extremitates appellantur *cornua*; *mala lignea* sunt orbiculi volubiles malum ambientes; *carchesium* suprema mali pars; *pterna* infima, seu calx, media τράχηλος; *aplustre* vel *aplustrium*, ornamentum mali, seu vexillum, aut *triton*, ventis observandis; *promptuarium* est repositorium commeatûs. *Instrumenta sunt armamenta navium.*

Jam velorum maximum dicitur *acatium*, cui celeritatis causâ appenditur minus, seu *artemon*; *dolon* est minimum ad proram; *epidromus*, vel epidromum, ad puppim; *siparium* (súpparus & supparum) adjuvat navem ventô languescente; *thoracium* (*Athenæo*) in summitate mali suspenditur; *anchora* est dens, seu uncus ferreus, per funes in altum demissus, ad sustentandas naves; *bolis*, plumbum ad explorandam aquarum altitudinem, & fundum; *tonsilla* (*Festo*) palus dolatus, præacutâ cuspide, in littore defixus, navis alligandæ causâ: *phalanges* (phalangæ, palangæ, pulvilli) sunt vectes, per quos navibus subditos, illæ in aquam vel deducuntur, vel subtrahuntur, & subducuntur; quò serviunt etiam machinæ tractoriæ, quos *chamulcos* nominant; sed *hermata* sunt ligna seu trabes, quæ substernuntur navibus, ne subductæ, humi putrescant; pons navis, sunt scalæ navales, qui-

bus in navim ascenditur, & descenditur. *Antlia* seu haustrum, ad exhauriendam & exantlandam sentínam, *pyxis*, seu *pyxidula* nautica, quâ ventorum flatus & poli situs cognoscitur; *harpagónes* sunt falces, quarum usus in prælio navali; *contô* seu hastâ nauticâ promoventur cymbæ; *trude* (perticâ robustâ) navis inhærens vado, aut saxo, detruditur. *Rudentes* sunt funes nautici; *pes*, funis est navalis, quô velum transfertur; *propes*, funis, quô pes veli alligatur; *camélus*, (funis anchorarius) quô alligantur anchoræ; *protoni*, qui ex utráq; parte mali, à prora & puppi, extenduntur; *transenna*, funis extentus (supra toros navium; *remulcus*, funis, quô religata major navis, minorem sequitur remis actam; prymesium, (*Livio* anchorale, & retinaculum *Plin.*) quô navigium in littore palô alligatur; vel etiam in alto sistitur. *Funes* convolvuntur in spiram: Navis genera & nomina sunt varia.

Varia navigiorum genera. Minores *naviculæ* (navigiola) sunt *cymba*, cymbula, *lembus*, *oria*, vel *horia*, quâ oram littoris legimus, (oriola, vel horiola, oraria, actuariola;) *scapha*, quæ est majorum ancilla; *phaselus*, ad figuram phaséli leguminis, subservientes piscationi; tum *ponto*, quô flumina trajiciuntur. Majores sortiuntur nomenclationem, vel à gestandis & vehendis oneribus, ut *oneraria* seu *vectoria*; vel à locis, ubi factæ, aut sunt in usu: ut, *Rhodia*, *Smyrnæa*, *Liburnica* (quæ est cita, velóxq;) *paro*, & *myoparo* (piraticæ, Italis fregátæ) ab insulis Myunte & Paro: aut ab artificibus, ut *Argo*, unde Argonautæ: aut à cursus celeritate, & agilitate, ut *celox*, celes, étis, *dromas*, *actuaria*, vel actuarium, scilicet navigium, quod & remis & velis impellitur; vel à vasis, ut *corbita*, quæ, cùm sit oneraria, nomen habet à corbe, quem præfert summo mali fastigio; vel à pictura, ut *centau-*

rus

rus; vel ab adjunćto, ut *rostrata*, seu ærata, turrita, constrata, seu tecta; vel à rebus, quas subvehunt, ut *frumentariæ*; *oleariæ*, *vinariæ*, *annotinæ*, seu *annonariæ*, *carbonariæ*, &c. vel ab iis, qui præsunt: ut *prætoria*, *prædatoria*, seu piratica; vel ab officiis, ut *speculatoria*, *piscatoria*, *tabellaria*, *præsidiaria*, &c. vel à remigantium ordinibus, ut *biremis*, *triremis*, (vulgò *galeo*) *quadriremis*; *quinqueremis*; vel à figura, ut *gaulus* penè rotundus; *pistris* vel pristis longior & angustior; vel à modo promovendi, ut *hippagóga*, seu *hippágo*, aut navis helciaria, adversô vel contrariô flumine ab equis helciariis trahenda. Quædam sunt *velificæ*, (veliferæ, velivolæ:) aliæ tantùm remigatione impellendæ; quædam solô contô movendæ: aliæ tantùm remulcô (seu, fune tractoriô) trahendæ, &c. In trajectu fluminis, quandoque scapha ad extentum super aquam funem, ex trochlea illi suspensa, pérque eum ductili, remis agitur.

Jam verò magisteria, officia navalia, ministeria nautica, & usus navium ita se habet: *Officia & ministeria navalia.*

Classis est multitudo ordinata navium; cui cum supremo imperio præest *archithalassus*; cujus vicarius *legatus* dicitur. *Navarchus* est præfectus unius, vel plurium navium; *nauclerus* (navicularius) & naviculator imperat *nautis*; hi functionibus navalibus occupantur; *remiges* ducunt remos, & agunt navem; quorum hortator est *celeustes*; *celeusma*, vel celeúma, est illorum clamor, ad jussa respondentium; *pausarius* à remigandi labore jubet desistere; *gubernator*, seu magister præcipuus inter naucleros, tenet *clavum*, sedens ad puppim; *proréta* ad proram, aucupans seu captans ventos, prospiciens scopulos, præmonénsque; *vectores* navi vehuntur, solvúntque *naulum* seu portorium; *classiarii* sunt mili-

milites, impositi tutandæ navi; *riparii*, qui custodiunt ripam; *naophylaces*, qui naves.

Navigatio. *Navigaturi* conscendunt navim; navis solvit à portu, vel *remis* propellitur à littore; aut *contis* protruditur; & sic remigandô abnavigant; vela panduntur, dantur, permittuntur ventis, & ita velificant, aut velificantur, aspirante ventô secundô, & implente carbasa. Ventô nullô, velificatio non procedit, cùm scilicet est tranquillitas, seu malacia, quiescente mari. Ventum adversum ita captant, & excipiunt nautæ, ut obliquent sinus velorum & cursum, quem navigandô tenent; cautè prætervehuntur seu prænavigant *cautes* & *scopulos*, ne ad illas affligatur, allidatur, & impingatur navis; *syrtes*, item & *vada*, & *brevia*, ne in ea invehatur, ibi hæreat, figatur & illidatur; præterea *gurgites*, *vertices*, *æstuaria*, ne iis absorbeatur, aut æstu reciprocô repentè obruatur; evitántq; piratas, ne in captivitatem veniant; sed transmittunt maria secundùm *pyxidem nauticam*, seu acum marinam aut magneticam, monstratricem plagarum mundi; cujus indicatione etiam per tenebras vela faciunt, quod antiquitus non poterant, nisi ad *stellæ polaris* aut *cynosúræ* prospectum, accensósque ignes, quales *Pharos* prælucebat. Hac ratione enavigant ingentia aquarum spatia, & circumvehuntur Oceanum, appelluntúrq; ad diversa littora *portuosa*; aut, si locus *importuosus*, ibi linquunt navem in statione, seu stantem super anchoras, & fluctuantem. Subinde *aquationis* causâ exscendunt, (exscensionem faciunt) & dulci seu fluviali aquâ utres implent, quam deinde cum *pane nautico* seu biscocto dispensant viritim; denique idoneis usi ventis renavigant domum, ac plenis velis subeunt ostia, intrántq; portum, & subducunt navem in *navale*, seu *armamentarium*

rium navale, ubi, si rimosa est, reficitur, &, ne putrefiat, subjectis palangis seu trabibus subdititiis, vel suppositititiis, quos diximus hermata vocari, imponitur. Et sic navigatione peractâ, solutóq; naulô nauclero, (naviculariam facienti) quisq; ad suos festinat lares; quem domestici videntes sospitem, & incolumem, jubent avêre, & *eucharistiâ* Deo persolvunt vota.

Procellâ obortâ repentè, ne abripiantur à fluctibus, aut impellantur ad scopulos, allisáq; navis demergatur, nautæ demittunt antennas, deducunt vela, vel saltem substringunt, contrahunt, colligunt; quin funes eorum recidunt instante discrimine, & sic tutius jactantur, aut, ne fluctent, jaciunt anchoram. Quòd si videant imminere naufragium, faciunt jacturam rerum, quamlibet preciosarum, sarcinas & merces in mare devolvendô & abjiciendô. Aliàs, ne incidant in brevia, sali profunditatem explorant bolide. Sed ubi horribilior tempestas exoritur, cœlum mugit tonitruis, concursu, conflictúque nubium fulgura & fulgetræ ingeminant, picea glomeratur caligo; jámque internitente luce, & jam conditâ, nulla certa sidera fulgent nautis, nox involvit diem, inhorrescit & intumescit mare procellosum, fremunt venti, omnia inter se elementa incipiunt permisceri & confundi: surgunt decumani fluctus, montes aquarum provolvuntur ad littus; nec jam clavi moderatione declinari potest maris incursus: stridunt rudentes: terribili sonitu feriuntur & conquassantur latera navigii, quod ultrà nequit ferre jactationem, nec durare (*Horatio*) undarum impetum; discinditur malus, diffringitur gubernaculum, ruunt tabulata, costæ & statumina divelluntur, remi abrumpuntur, subscudibus revulsis & laxatis compagibus, via patet aquis, ad quas egerendas hau-

In tempestate quid fiat.

hauftris & fitulis, fruftrà laboratur. Rectoris voces per procellæ fremitum crepitúmq; nequeunt exaudiri; naturarum minifteria turbantur. Navis hinc dorsô furrecta, inde in altum depreffa, in latus invertitur. Vectores jam in fublime rapti, indéq; protinus in præceps haufti, afpiciunt alveum vaftô apertum hiatu. Quis pallor, pavor, trepidatio, vociferatio, vota, comploratio, ululatus, dum præfentem intentant omnia mortem! Ille Divos Divásque in opem vocare; hic beatos exclamare, quibus fpiritum in terra edere, & humô operiri conceffum fit: alius defertos parentes: alius deftitutam uxorem, & parvos liberos miferari: hic floridam juventam: ille vitam fortunis affluentem deplorare. Interea tempeftas magis ac magis crefcere, fpes nulla fupereffe falutis, navis lacera & exarmata fatifcere, dehifcere, hauriri fluctibus. Fluitant remorum fragmina, tranftra, & cætera inftrumenta nautica, ciftæque & farcinæ, quæ in homines natantes fæpe incurfant, & triftiùs interimunt. Pauci natatu evadunt ad littus; aut tabulâ in illud ejiciuntur; reliqui ventorum & fluctuum ludibrium, miferabili fatô, undis abrepti fubmerguntur.

Parœmia. In *Adagium* abierunt. *Difce natare cortice*; à facilioribus incipe. *Difce natare fine cortice*; tuô Marte rem elabora, non alienô auxiliô. *Naufragium in portu*; de re benè cœpta, malè finita. *Res in vado eft*; feu in tuto. *Verte vela*, muta cœpta. *In eadem eftis navi*; communi forte feu periculo. *Contrahe vela, vel fubduc*, moderatè te gere. *Velis & remis*; omni conatu. *Oportet remum ducere, qui didicit*; in fua quisq; arte fe exerceat. *Sedere ad clavum*; Remp. adminiftrare. *Clavum tene rectum*; accuratè, conftanter. *Euripus homo*; inconftans. *Vela permitte ventis*; cuicunque

cunque eventui. *Mihi es prora & puppis, cynosura & pharos*; salus & præsidium. *Duabus nititur anchoris*; qui duplici fulcitur præsidiô. *Anchoras tollit*; qui discessum molitur. *Anchora jacta mihi est*; in quiete sum. *Ad sacram anchoram confugere*; ad extrema præsidia. Nam nautæ maximam & validissimam anchoram, sacram vocant. *In naufragio arripienda tabula*; consilium obvium in re desperata. *Per Syrtes navigat*; periculosè.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin; ex alio periculo in aliud. *Lege littus*; vita pericula. *Tranquillô mari quilibet gubernator est*; facile est, ferre fortunam secundam, non item adversam. *E terra spectat naufragium*; qui extra discrimen. *Cum sarcinis enatat*; qui sua secum omnia subtrahit discrimini. *Tempestas ex pelvi*; in nugis tragœdia. Sed jam tempus est subducendi navim; nam Metaphoræ & Allegoriæ ab undis petendæ, unà cum mari exhauri non possunt. Exscendamus; unum tu ex melioribus dictis pro naulo pende. *Desiderius.* Tria mala pessima, *Ignis, Mare, Mulier*. *Mercurialis.* Cave tibi ab illis. *Desiderius.* Cavebo. Ne alienô periculô non sapienti, navigandum sit Anticyras. *Mercurialis.* Hactenus nos navis portavit & unda; nunc, quomodo pondera terrâ portanda & trahenda, videamus.

CAPUT XLVII.

Machinæ tractoriæ.

NEcesse cùm habeamus transportare non tantùm nosmetipsos; sed & alia, molésq; multarum rerum, vires corporis nostri excedentia, quæsierunt à machinis juvamina machinarii; quarum attingemus quasdam.

Onc-

Bajuli varii. Onera vel ſunt geſtabilia; & portantur à bajulis, (ſarcinariis, dorſuariis vel doſſuariis, ſaccariis, gerulis, geronibus, geſtatoribus) vecturas corpore ſuô factitantibus, & accipientibus inde comitrum ſeu mercedem portandi & geſtandi; dum utuntur ærumnis aut ærumnulis doſſuariis; furcillis, quibus ſarcinas & ſarcinulas religatas, tabulâ interpoſitâ, ferre conſueverunt) eos veteres vacabant mulos Marianos. Fœminæ ferunt capite, ſubjectô ceſticillô; ſeu fartô circulô; viri ſuccollant cervices & humeros; ſervi molarii ſuppoſitis ex adverſum brachiis anſulâ ligneâ junctis, ſaccos frumentarios ac farinarios tollunt, ponúntque.

Palangarii. Vel ſunt *phalangarii*, aut potiùs palangarii; cùm bini transverſis ac teretibus impoſita fuſtibus bajulant onera; aut, ſi ſunt pondera ingeſtabilia, truſatili provehunt curriculô.

Vectiarii. Majores longè moles ſuſtolli ac provolvi poſſunt vectis beneficiô, qui eſt palus ligneus, aut ferreus; cujus pars latior, lingula ſeu roſtrum, ſuperponitur, & inſiſtit fulcimento; ſeu *hypomochlio*, (quod nimirum vecti ſubjicitur, eúmque obniſu ſuô adjuvat) ſuppingitúrq; oneri; cujus protenſæ parti, ſeu alteri extremo, dum vectiarius incumbit, illúdq; connixu premit, attollitur pondus movendum. Quod ſi volutandum ſit, adhibent lignum oblongum, nempe cylindrum aut volgiolum; quidam vocant *ſcytalam*, quæ, præter alias ſignificationes, denotat teretem baculum. Vide cap. 45.

Sucula. Plus autem poteſt *ſucula*, (non ea, quam cap. 45. diximus ſurſum rotari) ſed quæ eſt jugum ligneum, cylindriacæ, ſeu teretis figuræ, quod duobus fulcris arrectariis transverſim impoſitum, obnitente anteride, ſuis vertitur cardinibus intra *chelonias*, ſeu anſas, circumactu manubrii; ſuáque circumvolu-

volutione simul funem ductorium, unáque pondus trahit, dentatâ adjuvante rotâ, & oppositos suculæ dentes mordente. Sic tolluntur in altum operæ insistentes pensili loriculæ.

Ergata est machina tractoria, axe rectô, quæ obnitentibus & in orbem euntibus vectiariis, per insertum vectem, in orbem agitur. *Trochlea*, seu rechamus, est rotula striata, seu canaliculata, ærea aut lignea, in quam funis inditur; circa axiculum (fibulam, aut clavum) versabilis: Simplex, aut Composita, ex uno scilicet vel pluribus orbiculis, vim tractoriam augentibus; quam ideò vocant polyspaston, à Græco σπάω, traho, sublevandis gravissimis ad operum collocationes oneribus. *Tympanum* est ingens rota, quæ à calcantibus seu inambulantibus rotatur: axísque fune obvolvitur, vasta protollens, & efferens in altum onera. *Tolléno* est trabs altè solô depacta, cui altrinsecus altera longior immittitur transversa, pondere unam partem prægravante, quæ cum apppensa situla à *tollone* movetur, & aqua hauritur. Quòd si longiori trabi superimponatur brevior, non sursum & deorsum, ut prior illa, sed in orbem versatilis, ciconiam vocant, aut geranium, Græcè.

Ergata. *Trochlea.* *Tympanum.* *Tolléno.* *Ciconia.*

Jumentum machinarium versat in longum, aut in gyrum, machinam, *vel* terendô lapidem super impositô lapide; *vel*, ut fit in fullonia, volgiolos impositô pondere, per substratas vestes trahendô ac premendô; *vel*, cùm duo sunt jumenta, in contrarias nitendô partes, funem circa rotam mobilem volventia & devolventia.

Jumenta machinaria.

Validæ compressioni serviunt, generis omnia instrumenta pressoria, seu tórcula, quorum omnium hæc est ratio. Prela duo, ad rem arctissimè pressandam, adiguntur à *vecte torculo*, seu torculario circa troch-

Instrumenta pressoria seu torcula.

trochleam, ſtriatim aut claviculatim ſtriatam; (*Pontanus* noſter capreolatum anfractum vocat) verſabili, quo prelum vel attollitur, vel demittitur. Sigilla imprimit ſola trochlea ferrea, manubriô circumacta. Qui findere vult aliquid, diſſilire illud cogit, cuneum adigens tudite. *Fiſtucæ* adhibentur ad pangendas ſublicas (palos in aqua defixos) ad conſtructionem *pontis ſublicii*; *ſive anſatæ* fuerint, attollendæ & demittendæ plurium manibus; *ſive extollendæ trochleis*, & cum impetu demittendæ, ut fortiùs ſeu validiùs feriant.

Fiſtucæ.

Aquæductus

Artificioſi *aquæductus* ſeu *aquæductiones* cogunt aquam per canales aſcendere, in quamvis altitudinem. *Archimedis* verò cochlea facit aquam deſcendendô aſcendere; ſed *aquagia* exſiccant aquis inundatos campos. *Aquileges* (utentes *chorabatâ*, ſeu libellâ aquariâ) ſunt libratores & ductores aquarum, deducentes eas vel per *canales ligneos*, vel *fiſtulas plumbeas*, aut *fictiles tubulos* terræ infoſſos, aut etiam *rivulis*, per *cuniculos ſtructiles*, ſeu fornices lateritios, donec ubertim excipiantur *caſtellô aquariô*, ubi per ſiphónes & ſiphunculos evomuntur in labra, crateras, conchas. Adduntur ſalientium fontibus varia ſignorum ornamenta; quorum in medio plerumq; ſurgit teres aut quadraria columna, circa quam Geniorum ac Nympharum ſimulacra, lymphas ore propinantium, aut aliis etiam membris reddentium ac ejulantium. *Ars ornatui*, etiam luſus adjecit, nam alicubi cæci laticum meatus, & mæandri, repentinis pluuiis imbribus, & aſpergine madefaciunt propiùs accedentes.

Quid quòd inventa ſunt *organa hydraulica*, quæ muſicô ſuſurrô mulcent aures, dum non ſonores tantùm, ſed & voces modulatæ excitantur ſpiritu intus compreſsô, epiſtomiorum aperturis influente, ſi-

te, fistulásq; animâ replente. Quâ ratione quibusdam è puteis, os canalis alternis claudendô & aperiendô, aquâ egurgitatur antliis; de quo supra cap. 6. & cap. 83.

Horologia reperta sunt dimetiendis horis; primùm *Horologia* solaria, (*sciaterica*) ubi gnomonis umbra horarias li- *solaria,* neas transmeandô: tum *aquaria, (clepsydræ)* ubi aquâ *aquaria,* de vitreo vasculo in vasculum graciliter & fistulatim instillandô, seu guttatim defluendô, donec stillicidiô exhauriatur: mox *arenaria, (clepsamidia)* ubi *arenaria.* arena furtim transfluendô, ostendunt moram præterlabentis temporis.

Automatarius faber est, qui *automata* conficit, (ul- *Automata* tronea & intus mobilia) qualia sunt parva quæ- *opera.* dam animalium simulacra, (ut Architæ columbæ) vel singula, vel universa membra intestinis rotulis, nervis seu fidiculis in hanc vel illam partem moventia, ut repere, inambulare, vel etiam volare videantur.

In horologiis rotatis & affabrè factis cumprimis *Horologia* exerunt ingenium Dædali artifices, dum rotulæ *rotata.* circulatim currentes & recurrentes motant seipsas suis libramentis, (quædam appensis ponderibus librantur) quæ, quia sunt revolubilia, retrahuntur devoluta, ut iterum revolvantur, & orbem suum absolvant; aliæ sine pondere, insertâ claviculâ, urgentur & rotantur, per lamellas seu fibulas cessiles, ac resilientes, repræsentántque circulatione illâ replicationem horarum; quin Solis etiam & Lunæ ac Planetarum cursus; excitántque è somno dormientes, & lumen accendunt, referúntque suis impulsibus statuas accedentes, recedentes, ac procedentes. Videre est in his machinamentis & machinulis rotulas illas dentatas, seu denticulatas, ac crenatas, alias aliis morticatim implicitas & obversas,

mutuóque vel seipsas dente aut morsu: vel axiculos suos striatos, mordentes; vicissímque circumagentes, & circumactas. Inter quas *aequilibrium*, seu libramentum, (transversarium aut orbiculatum) versatile & irrequietum, pro gravitate appensi plumbi citat, tardátque rotarum circumvolutionem; supernè *malleolus*, ad destinatam circulorum omnium (laxatâ *offendíce* seu *sufflamine*) conversionem, pulsat imminentem sibi *campanulam* (tintinnabulum) dimensis & exactis ad horarum intervalla, seu breviora, seu longiora, ictibus, quarum numeros extrorsum in orbe inscriptos mobilis index seu lingula designat & indicat. *Suscitabulum* dicitur malleolus, ad id solùm à rotula sua agitatus, ut pulsu sonoro destinatum expergefaciendi tempus prodat. *Horologiopœus* facit horologia; *Curator* ea curat & moderatur. Hinc describes *assaria organa*; quæ non tantùm revolubili ponderum giratione, sed aquariâ etiam rotâ, in modum tympani haustorii, in orbem aguntur.

Perscrutatur etiam mechanica aut *machinalis scientia*, quomodo machina fabrefiat automata, sponte sua mobilis, & motu quidem perpetuô; quod an fieri possit, non immeritò ambigitur.

Artificiosa pegmata. Inter res hujus generis artificiosas & Dædaleas, varia numerantur *pegmata*, sensim in sublime crescentia & decrescentia: aut dehiscentibus, quæ cohærebant: aut his, quæ distabant, suâ sponte coëuntibus: aut iis, quæ eminebant, paullatim in se residentibus: aut repentè recidentibus. Neque minus admirationis merentur *theatrales scenæ* unâ *Liberationes theatrales.* rotatione seu conversione mutabiles; ubi mirè variabiles Actorum, in funiculis occultè subtentis, librationes; videntur n. in aëre penduli, diversis motibus, huc illúcq; ferri, subitóq; apparere, & disparere; & jam

jam non solùm ex machina, (uti veteres loquebantur) prodire, sed provolare, & revolare. *Aqua hæret illi*; qui, quod cœpit loqui, persequi non potest; similitudo ab aqua clepsydræ destillata. *Omnium horarum homo est*; feriis juxtà & jocis accommodus: *Servit scenæ*; qui tempus observat & personas ac loca. *Fontes sitiunt*; cùm petunt ii, qui abundant domi: *Deus ex machina*; cùm præter spem auxilium. *In puteo constrictus* dicitur, qui in magnas angustias redactus. *In puteo cum canibus pugnas*; cui negotium cum homine rixoso & contentioso. Jam tu, quoniam scio, te emblematis delectari, aliquid de pera depromé tua. *Desiderius.* Promo. Puteus cum trochlea & situlis habet epigraphen: *motu clarior*, doctrina aliis impensa. In Organo Musico impares fistulæ: *quot capita, tot sententiæ.* In horologio solari, lingula ad arcticum polum vergens: *Non antè quiescit*, mens in Deum. In horologio rotis & ponderibus acto: *Sine pondere mutum*; dixeris causidicum sine auro porrecto. *Mercurialis.* Oblectamento mihi hæc tua sunt studia. In his habeo, quod expedias, velim. Cur canalibus, tubis, & siphonibus aquarum leonina adsculpuntur capita? *Desiderius.* Non sum huic solvendo nodo. *Mercurialis.* Cùm leonis sidus Ægyptum fœcundet aquis Nili inundatione, ejus beneficii memoria in aquariis leonum rictibus conservatur. *Desiderius.* Hoc jucundissimum mihi fuit perceptu. *Mercurialis.* Ad alias oblectationes te ducam, & omnium blandimenta sensuum. *Desiderius.* Mirum, ni campos in Elysios. *Mercurialis.* Prout amans tibi somnia fingis.

Adagia

Caput XLVIII.

Artes oblectatoriæ.

NOn priùs diſcedemus ab artificibus, quàm ea quoq; percenſuerimus, quæ ad lautitiem oblectamentúmq; ſenſuum faciunt.

Mundare ſæpius ſe limpidâ, manúsque & faciem lavare, eſt munditiei; fucare fucô, lenocinii.

Balnea. *Balnea* (balneæ, balinea, balneola, lavacra) adeuntur, ut ibi diluantur ſquatores, à deſidentibus in ſolio aut labro, in quod calida vel alveolis, ſitulis, capulis, aliíſque vaſis balnearibus per *mediaſtinos* ſeu *præfuſores* infunditur; vel per canales, intortis epiſtomiis, immittitur. *Thermæ.* *Thermæ* vocantur non tantùm aquæ naturâ calidæ; ſed quævis loca, igne calefacta, quæ ſudandi cauſsâ ingredimur; unde veterum Romanorum Thermæ, Neronianæ, Diocletianæ, &c. *Vaporaria.* *Vaporarium,* (*Laconicum, ſudatorium,* cella caldaria) cum ſellis & ſcamnis ſudatoriis, ſervit ſudantibus & lavantibus, præcinctis ſudariô, vel caſtulâ; ubi defricantur pumice, vel ſtrigili, aut ſtrigileculâ; ſordéſq; ſeu ſtrigmenta radendô deraduntur & deterguntur, ac linteô exterguntur; tranſeundô è caldario vel tepidario in *frigidarium,* (cellam frigidariam; aut viciſſim.) Et hoc non tam delectationis, quàm munditiæ, aut ſalubritatis causâ. Qui crebriùs lavabat, apud Gentiles quoque intemperantiæ & voluptatum ſuſpicione laborabat, teſte *Lipſio.* Habebant olim *hypocauſta unctoria,* ubi *aliptæ,* inſtructi ampullis & guttis unguentariis, lotos ungebant. Mercedula pro lavatione olim erat quadrans.

Scarificator Balneator quandoque ſcarificat, (ſciſsâ cute ſcalpellô ſanguinem detrahit) affixis ſeu admotis cucur-

curbitulis, auxiliatu flammæ; ſcarificati dicuntur, quibus ſcarificatio facta; ſæpe etiam adornat barbas, comásque, dum illas in *tonſtrina* detondet *forpice* aut *forpicula* (*forfex* ſartorum, forceps fabrorum eſt:) aut radit vel raſitat novaculâ, ſeu cultrô tonſoriô, ad cutem usque; multiplici formâ; relinquens aliis circa extrema labra (ſuperiora) ſolum myſtacem; aliis infra labrum inferius, peniculum; aliis ſic demit barbam, ut barbulam retineant; his in acumen tondet, illis in orbem, aut in latum; quibusdam pili etiam volſellâ eradicantur, aut deglabratoriis (*Radero & Junio*) medicamentis extinguuntur; aut denique pice reſináq; extirpantur; quod fœminæ in crinibus quoq; faciunt. *Capillitium* verò *præciſurus*, illud pectit, tum diſplicat, inde attondet, aut ſtrictiùs, ſive preſſiùs: aut leviore manu, & per pectinem; nunquam inæqualiter, ne inæqualis tonſor audiat, aut vellicator; aliquibus relinquit dependulam à fronte caprónam: aliis, refectis ſolis capillorum marginibus, æquat in circuitu comam: quibusdam cincinnos criſpat, uſtulat, vibrat, in gradus frangit calamiſtrô, injectô humeris *involúcri* ſeu linteô tonſoriô, ne reſegmina pilorum inquinent. Calvis adaptat capillamentum adſcititium, *caliendrum* aut *galeri tum*. *Tonſor.*

Res tactiles (*Lucretio*) ut afficiant incubatu leniter, inventi ſunt lectuli, ſtoreæ, culcitræ, (vel culcitæ) mattæ, lanâ anſerinâ, ſeu plumis, aut tomentô fartæ & inculcatæ, quibus ſtramentitia ſupponitur; plumeáque pulvinaria, vel pulvini; & cervicalia, quibus ſuperincumbamus munditer, ſi *lodices*; lodiculæ, toralia, lecticaria, linteamina, vel ſindones ſuperinſternuntur candidæ; tum *ſtragula* ac tegulæ, quibus ſuperintegimus nos; denique *conopéa* (cortinæ ſeu velaria) ex anulis cortinali- *Blandimenta tactûs.*

 bus

bus, seu velaribus pendula, quibus circumsepimus lectulos, ne quid obturbet. Grabatus seu anaclinterium (aliis anaclíterium) ad meridiandum, seu interdiu quiescendum est. Lectos sternit aut erigit *lecti strator*, (*Plauto* lectisterniator,) unde lectisternium.

Pro commodiore sessitatione, sunt scamna & sedilia, cum fulcris ac scabellis; & bisellia, fulcrô bifariàm (*Apulejo* ambifariàm) versabili; tum sellæ arcuatæ seu hemicycli, pelliceæ, plicatiles; olímq; ad mensam discubitorii lecti, & subalares pulvilli adhibebantur; *cubitalia* cubitis subjiciuntur, *ventralia* ventribus imponuntur; deniq; pro gestatione, lecticæ, & aliæ gestatoriæ sellæ, (seu gestatoria) quibus aut morbidi aut voluptarii circumgestantur.

Gustatûs. Blandimenta *gustatui* (gustui) dant cupediæ, quas cupedinarii & condimentarii parant; ut sunt variorum generum placentæ, liba, lágana, saccharáta, mulsea, aromatibus condíta, variáque scitamenta, mattea, seu mattya, conditurae, (conditiones, condímenta, condítus) ac conditanea, & quæcunque grati jucnndíq; sunt saporis, gulæ irritamenta, vide cap. 36. & 87.

Odoratûs. *Unguentarius* (aromatarius, myropóla, seplasiarius) parat, vel (ut *Plautus* loquitur) paritat varia odoramenta, & suffimenta (suffítus, suffitiones) ad nares recreandas, & suffienda conclavia, salubritatis caussâ.

Auditûs. Delinimentum *aurium* à modulatione vocis est: seu vivæ: seu musicorum organorum; quæ vel pulsantur, vel plectuntur, vel inflantur. *Pulsantur* cymbalum, tympanum, tintinnabulum, crepitacula quæcunque; itémque crembalum, quod insertum dentibus, adhalante gutture, allisúq; digiti tintinnat. *Plectuntur* organa, quæ fidibus intenduntur, ac remit-

mittuntur; idq; vel *digitis*, seu manus utriusque: ut nablium, seu sambuca; seu alterius ductu, alterâ moderante chordas, ut cithara, & testudo; vel *plectrô*: eóque, aut *setaceô*, ut chelys; aut *rotabili*, ut lyra; aut *prosiliente pinnulâ*, ut instrumentum æ nearum fidium. *Inflantur* verò quædam ore, ut fistula à fistulatore: tibia à tibicine seu auléte: tuba à tubicine: lituus à liticine: buccina à buccinatore: gingria vel gingrus à gingrinatore: tibia utricularis ab utriculario, seu ascaula; quædam follibus, ut organon pneumaticum, vide cap. 59.

Oblectamenta *oculorum*, sunt rerum spectabilium (visibilium *Plin.*) repræsentationes, aut transformationes; ídque vel in plano, ut *pictura*; vel in materia solida ac molliori, ut *plastice*; vel duriore, ut sculptura; aut per ignes missiles, ludicros vel etiam militares, per *pyrotechnicam* factos, cujus artis peritus, *pyrotechnítes* dicitur. Cujus opus, sunt *pyroboli* chartei, seu chartacei, hoc est, tubuli, sive radii nitrati, tormentariô scilicet pulvere infarti, constipatíque; qui ubi, paxillis seu bacillis appensis, & admotô ad tenue foramen igniariô funiculô, fomitem susceperunt, repentè in sublime feruntur: &, lineam ex recto arcuatam flammeô tractu signantes, post depastum nutrimentum pyrium, sonoro cum bombo, in vacuum aëra rumpuntur. Aliàs transversim, ultro citróque volantes, horrificam in spectatores voluptatem spargunt, nullô satis locô ab igne volatili tutos. Quid, quòd castellis è ligneis, & ad id fabrefactis artificiosæ flammæ, non temerè erumpentes, igneas in æthere pluvias & varias figuras describant. Globi quoq; seu sphæræ fartura nitri & piceæ materiæ fœti in aquas injectæ, postquam cum humido elemento, sibilô quodam stridore, aliquamdiu, ignem vomendô, luctatæ &

Oculorum.

Pyrotechnia

tæ & rixatæ ſuut, deniq; ingenti ſtrepitu crepitúq; diſſiliunt. Nec deſunt gladiatores, qui, flammivomis armis terrifici, fulgidis ictibus aërem verberant. Verbô; quod natura in igneis efficit meteoris: hoc ars in flammeis imitatur ſpectaculis. Vide etiam cap. 86.

Pictura. *Pictura* eſt Poëſis tacens, Poëſis pictura loquens, cujus officia duo; *primò* delineare, *tum* ornare, beneficiò umbræ & coloris. Pictor itaque deſcribit primò rudibus ductibus quamvis effigiem *graphiô*, dicitúrq; *graphis*, ſeu delineatio; & ars ipſa *graphice* ſeu *diagraphice*. Delineatoriam vocant, quâ lineamenta adumbrantur ac effinguntur; deinde telam (oblitam priùs & lævigatam tenaci pulticulâ, quæ *ſublitio* dicitur) extendit in regula quadrata, criſmate fulta; poſtea colores inducit, vel coloribus obducit; ac denique perpingit penicillô & pigmentis, tenens ſiniſtrâ orbiculum ligneum, cujus margini perforato inſerit pollicem, miſcétque in eo colores, (quorum alios in conchis & conchulis, alios in arculis loculatis, diſtinctos habet) ſuffulciens dextram bacillô, temperánsque pigmenta (ut ne remittant) gummosâ ſeu glutinosâ aquâ: aut oleô: unde oleata, *Pont.* aut ſuccô herbaceô; aliqua tantùm *monochremate* ſeu *monogrammate* pingit, ſimplici nimirum & unicô colore, eáque vocantur *monochromata* ſeu unicoloria; aliquando imitatur ſcalpturam & æreum prototypon; aliàs ſine archetypo, ſuopte ingeniô & inventione æmulatur, & aſſimilat naturam, ad vivum. Expreſſurus *iconicum ſimulacrum* (ſive ectypum, aut effigiem, vulgò *contrafacturam*) habet ob oculos ſpirantem ideam; felix, ſi iconiſmus per omnia reſpondeat propoſito exemplo, ſeu exemplari, nihilq; aberret, abludat, decedat, aut labatur à viva ima-

imagine. Solent quædam picturæ minutiore formâ punctim seu punctis repræsentari. Cæterùm artis est pictoriæ, nôsse colorum genera, affinitatem & rationem sociandi; nam aliqui sunt *nativi*, aut *intermedii*, quidam *fossiles*, ut cinnabaris, minium, auripigmentum, ærugo, cerussa è plumbo soluto facta, sandáraca vel sandaracha, &c. alii *vegetabiles*, ut Indicum, lacca, granum, & omnes lucci pictorii, rebus germinantibus expressi; inter pretiosissimos habent, *cærulum transmarinum*. Quam colorum mixturam & temperaturam veteres nominabant *harmogen*, seu commissuram, & quasi transitum colorum inter se attemperandorum; ita, ut splendidi seu floridi splendidis; obscuris obscuri adjungerentur, &c. Ejusdem est, *lucem umbrámq;* picturæ tribuere, alia per recessus longiùs ab obtutu in opacum abducendô; alia per eminentias producendô, & collustrandô; item, ad leges *opticæ*, quæ longiùs distant, minora efficere; quæ propiùs, majora; lucémque & radios, & hallucinationes, ac deceptiones opticas intelligere: omniáque in unum punctum reducere; nec non ad Geometriæ regulas expendere, corporum naturas, figuras, proportionem, structuram, situm, numerum partium ac conformationem, motúsque & affectiones, vel affectus; articulis & musculis membra distinguere, venas proferre, vestium rugas & sinus implicare, & explicare; verbô, cum natura, ad unguem usque certare; ut digna sit pictura, quæ in *pinacotheca* asservetur; vel exponatur in *iconopolio*. Idem exprimere novit *catágraphα* seu *catagraphas* imagines, hoc est, obliquas & variè formatô vultu respicientes, suspicientes, despicientes, &c. Pingit etiam aurô, seu inaurat, (unde inaurator) vel inargentat, tenuissimis auri argentíve

bracteati pagellis, obducendô potissimùm lignea: & inaurata, dente caninô poliendô, ac lævigandô; vel sine *politione oleagina*, bracteas sublitioni insternendô, &c.

Illuminatores. *Cælaturæ pictores*, (vulgò *illuminatores*) illuminant cælatas imagines pigmentis, seu colores eis superinducunt. *Encaustæ.* *Encaustæ*, coloribus adustis, & cerâ igne resolutâ, vitra depingunt. Pingitur & acu ab acupictoribus; de quibus cap. 39. & opere musivo, à scriniariis, (JCtis musivariis) de quibus capite 39.

Chalcographi. *Calcographus*, (ærarius scalptor) æmulus pictoris, à quo plerumque imitabilem sumit idéam, incídit æri, in ære, in æs, (seu æneis formis, typis incúdit & insculpit) quidquid ille delineandô, aut pingendô præformavit; in hunc ferè modum: cælaturus acuit oculos conspicillis, adhibénsque *graphium*, (stylum, scalpellum) describit, ac ducit, in lamina æris polita, tenuissimos sulcos subtilésque lineolas, & minutas incisuras ac scalpturas, crassiusculas in ligno, sulcat) ac cælat, sculpit, & exsculpit omnis generis cælaturas, figuras & icones; in quibus alia profundiore sulcô deprimit in umbram; aliis lucem addit, & prominere facit leviore manu, ac eminulâ incisione, vel cælamine; inde laminam figuratè incisam, & atramentô typographicô illitam, imponit chartæ humectatæ, (interjectâ lanâ coactâ) subjectámque tabellæ, inter duos volgiolos (quos quadrifidô radiô seu vecte circumagit) arctatæ & volutæ, pressat, celeritérq; reddit, & excúdit imaginem.

Statuaria & Sculptura. His accedit *statuaria*, quæ propriè efficit statuas, etiam colosséas, seu colossos; vel eas *fundendô* ex metallo: vel *cædendô* ex lapide; undè nomen *Statuariô*; à fusione dicitur *Fusor*. At qui saxa excídit è ra-

è rupibus, aut ad opus adaptat, *Latomus* audit. *Scalptor*, vel *sculptor*, vel *Sigillarius* appellatur, qui cælò, tudite, scalprô *incisoriô* & *cavatoriô* scalpit, aut sculpit è ligno vel osse signa, sigilla, sigillaria, icunculas, imagunculas. Ars ipsa, *sculptura* à *Plinio* nominatur; & *scalptura*, actio scalpendi; opúsque, *scalptile*, vel *sculptile*. Quibus omnibus communis est cælatura, seu *anaglyptica*, ex cavitate in asperitatem excúdens anáglypha, seu vasa & signa exeuntia, seu extantia; quæ quomodo tornô fieri possint, adeóque toreumata vocari, viderint illi, qui in *Martialis* illo versiculo:

Artis Phidiacæ toreuma clarum.

& in illo *Juvenalis* —— *stantem extra pocula caprum*, putant de tornatilibus esse sermonem. *Plastes* seu *fictor* varia fingit, figurat & format simulacra ex argilla, gypso, cera, hinc *ceroplastes* & *cerographus*; ars hæc dicitur *Plastice*; *Proplastice* verò facit typos seu formas ex materia liquabili & indurabili, unde fusiles conflantur & conficiuntur imagines. De specularibus egimus cap. 41.

Nunc ad parerga, sed pauca; ne videamur velle dicere *Lippis & tonsoribus nota*. *Calvus comatus*, est ineptus simulator. *Chordâ oberrat eadem*, idem fastidiosè repetens. *Aulœdus fit, qui citharœdus esse nequit.* Nam & in secundis consistere, pulcrum. Imperitus pictor humano capiti cervicem appingit equinam. Suis aliquem coloribus pingit, qui vitia ejus ob oculos ponit. *Quid unguentum asino, suffitus sui?* pulvillum alterius axillis supponit adulator. *Canit sibi intus*; qui sibi plaudit ipse. Grave *Senecæ* dictum est: *fœdissimum patrimoniorum exitium, culina. Non è quolibet ligno fit Mercurius*; non quivis ad litteras natus. Dixi; etiam tu fare. *Desiderius.* Taciturnior sum statuâ. *Mercurialis.* Tacendô loqueris. Proverbia.

Desi-

Desiderius. *Martialis* Rhetorem quempiam irrisit tam frigidum, ut de eo:

Neronianas is refrigerat thermas.

Mercurialis. Sufficiant hæc de Artibus *Mechanicis.* Ad *Ingenuas* vocamur.

Caput XLIX.

Artes culturæ humanæ.

Artes liberales. Lustravimus artes *Manuarias*, *Rurales*, & *Mechanicas*; nunc ad *Liberales* (sic dictas, quòd curam animi, non quæstum spectent) promoveamus gradum, illas scilicet, quibus animus ad humanitatem & ingenuam doctrinam informatur, & excolitur, sine qua incultus est & agrestis; hebescit & efferatur. Antiqui *Mechanicas* omnes & *Manuarias* (non tantùm *sellularias*) quippe *mercenarias*, inter serviles, sordidas, & illiberales reputabant; cùm tamen ex iis hodiè sint aliquæ, etiam liberô & ingenuô homine dignæ, ut Pictoria, Architectonica, &c.

Liberalium artium communiter septem numerantur:

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tenor, (seu Tonus) *Angulus, Astra.*

Nimirum *Grammatica*, (quæ olim etiam Poëticam complexa est) *Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia.*

Quidam dividunt disciplinas in *Humaniores* (mitiores, mansuetiores Musas) & *Severiores*; in illis censent Grammaticam, Poëticam, Oratoriam, Historiam, sive Antiquitatis notitiam, Dialecticam, & morum Philosophiam; reliquas Facultates Superiores, magis speculationi intentas, appellant Severas, Altiores, &c. *Eruditum* vocant, qui, tametsi has

has ſcientias (Græcis ἐγκύκλια μαθήματα) non accuratè & exquiſitè perdidicit, ut iis inſtructus & præditus dici queat; ita tamen eas delibavit & deguſtavit, iisdem ut tinctus & imbutus videri poſſit, (*Muretus in epiſt. 89.*) *Doctus* nominatur, qui rationem rei tantùm tenet; *peritus*, qui cum ratione experientiam & conſuetudinem. *Doctrina* (παιδία, inſtitutio) traditur à doctore ſeu magiſtro; *diſciplina* (μάθημα) accipitur à diſcipulo; à qua excluduntur hebetes, indociles, & intelligentiâ parùm valentes. Sunt autem hujus culturæ *inſtrumenta* libri, ſcholæ, converſatio erudita, (familiaritas, conſuetudo) peregrinationésq; illius causâ ſuſceptæ.

Theſes & Diſputationes. In congreſſionibus litterariis tam privatis quàm publicis proponuntur *Theſes* (Aſſertiones, Controverſiæ, Placita) impugnandæ & propugnandæ, convenitur in Academia aſſignatóq; auditorio, vel aula (aut muſéo domeſtico:) *concertatur* alacriter, hinc aliis argumentantibus & ſubtiliter differentibus, conquiſitísq; rationibus contra aſſerta diſputationibus; aliis ſua pronuntiata ſtrenuè defendentibus ac tuentibus. Fit autem quandoque, ut iſti argumentorum (quorum præcipuum *Achilles* vocatur) ponderi ſuccumbant, frangantur, abjiciantur, irretiantur, implicentur, & in extremas anguſtias conjiciantur; aliàs, ut elabantur, velut anguillæ; aliàs ſint paris utríq; in diſceptando pugnacitatis, vincant ſimul, & vincantur.

Honores Academici. Sequuntur *honores Academici*, publica eruditionis teſtimonia, quos qui prenſant, ambiúntve, *Candidati* vocantur. Eô quidem ordine, & quaſi per gradus conferuntur, ut Juvenes (poſtquam jam antè *beaniſmò*, ut vocant, ſuntexuti, ac *beani* eſſe deſierunt, quod vulgò *Deponi* & *Depoſitio* dicitur, dum, pro veteris Gymnaſii Athenienſis conſuetudine, novitii ſcho-

ſcholaſtici, quibusdam vexationibus exerciti, Muſarum ſacris initiantur, ac in Studioſorum numerum cooptantur) abſolutis Humaniorum litterarum claſſibus, & Dialecticis ſtudiis, ad *Baccalaureatum* aſpirant, ſeu *Baccalaurei* fieri deſiderent; quæ vocabula ex Gallica lingua, cui *battalum* eſt, prælium, & *battalarii*, tirones milites, profluxerunt; unde poſtea in Academia Pariſienſi; ubi hæ *promotiones*, ſeu Latiniùs loquendo, Creationes & Inaugurationes natæ; *Battalarii* appellati, qui, in ſtudiis ingenuarum artium, quaſi tirocinium poſuiſſent, & publicè diſputandô ſpeciem eruditionis ſuæ præbuiſſent; ut ideò frivolum ſit & nugatorium, teſte *Pontano* noſtrô, hîc de bacca & lauro philoſophari. Ex Battalariis poſtea depravatè *Baccalarii* & *Baccalaurei* ſunt facti. Qui deinde, decurſis Philoſophiæ & ſeptem Liberalium artium ſpatiis, ſeu finitô *Curriculô Philoſophicô*, *Magiſtri Artium* pronuntiantur, *Magiſterii*q; inſignibus, inter quæ eſt annulus, ornantur; poteſtate acceptâ, Ariſtotelem ex cathedra explicandi. Supremi omnium ſunt *Doctores* (ita dicti, quòd docere in Lycéis poſſint publicè alios ex cathedris, unde poſſis Cathedrarios appellare, cum *Seneca*) Theologiæ, Juris, Medicinæ; qui, præter alia ornamenta, aureâ inſigniuntur torque, & nobilitatis titulô; ad quos accedunt ii, qui, *Licentiati* dicuntur, quòd experimentis doctrinæ de iis, in conſeſſu & frequentia Academica ſumptis, liceat illis ſummam dignitatem (quam *Doctoratum* vocant) petere & conſequi, cùm voluerint; Græcis *Prolytæ* appellantur & *Mellodidaſcali*. *Graduati* (vulgò dicuntur) quicunq; honoribus illis Academicis ſunt inaugurati & inſigniti, quorum exemplis, immunitatibus & privilegiis meritò incitantur alii, ut animum ad ſubliminiores diſciplinas ac facultates adji-

adjiciant, applicéntque. *Bullati* Doctores sunt, qui ex Bulla seu Rescripto, aut Diplomate Principis sine præmissis examinibus ad eum gradum honoris sunt promoti, nec solenniter renuntiati. Supremus Academiæ Magistratus est *Rector* Magnificus, cui qui ad obsequia appáret, dicitur Apparitor Academicus, vulgò *Pidellus*; *Professores*, seu Doctores, altiorum disciplinarum constituunt Senatum Academicum; scholæ, vulgò *Lectiones* appellantur; initiator Studiosorum, seu Academicorum, vulgò nomen *Quinti* habet. *Semitarii* dicuntur, qui plateas frequenter obambulant.

Quis nescit Academiam à quodam Academo dictam, qui possidebat locum suburbanum & nemorosum prope Athenas, ubi Plato natus & philosophatus fuit? Artes excogitavit necessitas: honos alit & quævis terra. Mater earum Mnemosyne seu Memoria. Quod quâ ratione in studiis fiat Liberalibus, indagemus.

CAPUT L.

Litteræ, Charta, Scriptura, Libri cum administratoriis artibus.

Modus Scripturæ fuit apud Ægyptios, per notas *hieroglyphicas*; fictas animantium & aliarum rerum figuras; v.g. serpens caudam ore complectens notabat vel annum vel æternitatem. Apud Chinenses singuli charactéres, sine coagmentis syllabarum, singulos conceptus & rem ipsam significant, etiam aliis nationibus intelligendi; apud nos in usu sunt litteræ, & literulæ, seu notulæ minimorum oris sonorum, è quibus conjunctis fiunt verba, sententiæ, libri.

Anti-

Diversi modi scribendi. Antiqui literas malleô, & celte, seu scalprô incidebant saxo, plumbo, ærî; postea insculpebant ligneis codicibus, (seu caudicibus, præsertim tiliaceis, fáginis, buxeis,) sectis in schedas & tabulas (sectiles) ac tabellas & codicillos; qui cerati, seu cerâ obducti, graphiô sive stilô ferreô aut osseô pungebantur: atque sic inscribebantur; unde pugillares & pugilaria. Deinde scriptum est in ebore, & linteis (pingendô) variísque stirpium foliis; unde hoc nomen etiam nostrati chartæ adhæret. Post hæc, exaratæ calamô tenuiores arborum phílyræ, (seu philuræ) quæ inter ipsum corticem, & arboris, lignum sunt, & à Latinis libri dicuntur. Subsequenter papyrus inventa est, de qua mox plura. Post hanc adhibita est membrana, seu pellis animalium; quæ pergaména dicta, ab urbe Pergamo; ubi ejus conficiendæ modus excogitatus; hujus confectores dicuntur *membranarii*, subigentes pelliculas, & in regulis extentas, radulâ extenuântes, pumicéque polientes.

Antiquiorum charta. Est autem papyrus, juncus seu frutex bicubitalis, in palustribus Nili, habens, corticis lo ô, tunicas (philyras) latissimas & prætenues; quas discriminatas acu, & imbutas aquâ glutinosâ, complanatásque prelô, ac desiccatas Sole, digerebant in scapos, seu congeriem viginti plagularum, sive foliorum papyraceorum; (*Plinius* etiam vocat tænias & bracteas) quæ deinde *charta* sunt appellata, ab urbe Charta, juxta quam juncus ille repertus fuit. Dicitur & charta pergaména ac membranea.

Nostræ chartæ confectio. Nunc alia est *charta* seu papyrus in usu; quam chartarius seu *chartopœus* conficit, in officina *chartaria*, ex linteis & linteolis vetustis (collectis per pannicularium, pannuciarum, peniculorum collectorem) concerptis, & aquâ maceratis, contusísque

que & contritis in lanuginem ſeu pulmentum, & diductis in folia, intermiſtâ collâ, ne perfluat. Res ita ſe habet. Ubi fruſtillatim conciſi ſunt peniculi ſeu pannuciæ, imittuntur cupis, ut comprutefcant; poſtea in mortario aquâ repletâ tunduntur piſtillis, à rotâ verſatili agitatis; donec minutim contuſi induntur cortinæ (aheno vel labro) calidâ refertæ; quam deinde materiam hauriunt quadratâ formâ, ſeu craticulâ, (feramentis tenuibus aut filis æneis contextâ) quæ aquam transmittit & percolat, & linteola contrita retinet. Formata jam in folium, evacuantur in pannum villoſum, eóque involvuntur, prelóque premuntur, donec omnis decedat humiditas; demum tendiculis ſuſpenſa exiccantur aëre, exiccatáque, glutine perlinuntur, & glutinata lævigantur. Ad extremum componuntur in volumina minora & majora. Faſcem viginti voluminum minorum, ſeu chartaceorum codicum, (quorum ſinguli continent viginti quinque bipatentia folia; ſeu quaterniones, à quatuor foliis complicatis, qui in octulas plicati, in ſchedas & pagellas ſcinduntur) *ſcapum* vocant; vicenarium ſcilicet papyri faſcem.

Eſt autem *chartâ diverſimodâ*, omnium viliſſima, *emporetica* (vel emporica) pro ſegeſtribus ſeu involucris adhibenda, præſtantiſſima, *Auguſta* ſeu Curſoria, veredaria, epiſtolaris; Latiſſima, *Claudiana*, (Regia, Imperialis) *macrocólum*, vel charta macrocólos. *Virgo* dicitur charta, ex qua nullum tranſcriptum exemplar; *pura*, quæ nullis perarata literis; *bibula*, transmittens characteres; *opiſtographa*, à tergo inſcripta; *dentata*, (apri equive dente lævata) quò calamus currat expeditiùs; *malleata*, malleô tunſa; firma & plana; aſpera & ſcabra, minu- *Charta diverſimoda.*

R tiſque

tísque filis plena : quæ, ne ſcriptioni mora afferatur, de calami crena eſt detrahenda.

Atramentum. *Atramentum ſcriptorium* (librarium) conſit è gallis quernis, & chalchanto (vulgò *vitriolo*;) quibus adinditur ſeu miſcetur aliquantum aluminis & gummi ad probibendum mucorem & penetrationem; quódque nec ſit ſpiſſum, nec dilútum & ſubalbidum. *Calami ſcriptorii.* *Penna* verò (calamus) eligitur anſerina, pavonína, aut olorína, caule amplô, firmô, pellucidô, cavô, longiore, & mediocriter durô; quam qui temperat ſcriptioni, erádit ſcabritiem tergô cultelli, (gladioli, ſcalpelli librarii, ſcriptorii, graphiarii;) acie autem detruncat caudam & reſcindit utrinque caput, ut bifurcatum (*Pontano*) fiat: tum medullam extrahit, & diffindendô, crenam in dorſô aperit cultelli cuſpide, pro defluxu atramenti; circumcidítque rurſum inciſuram iſtam, & præcidit æqualiter, (æquandô ſcilicet pediculos illos, ſeu cruſcula fiſſuræ) & ita calamum in mucronem acuit. Debet autem mucro ſeu roſtellum gracilius eſſe pro minutioribus notis ducendis: obtuſius (pluſculum inde abſcindendô) pro grandiorib'. Dextra pars, in quem calamus ſcribentis incumbit, ſit aliquantò altior ſiniſtrâ; ipſa autem penna tenenda eſt pollice, & digitô mediô, mollitérque ſuperimponenda indici; ita minùs vacillabit, firmiúsque imprimetur chartæ; brachium verò usque ad cubitum ſit liberum in ſcribendo, ſuòque pondere tabulæ ſeu pluteo innitatur; tota ſed manus articulari digito.

Scriptura. *Orthographia.* Jam ad *ſcribas* (librarios, librariolos, amanuenſes) veniamus; quorum ars dividitur in *Orthographiam*, ut rectè ſcribatur; obſervandô notationes accentuum, disjunctionum, interpunctiones, commata, cola, ſigna interrogationis, exclamationis, paren-

parentheſeos, &c. 2. *Calligraphiam*, ut eleganter; ſecùs faciunt, qui lituris ſcripturam deformant, aut verſibus vacillantibus, quæ ſcribentium incogitantiam & feſtinationem arguunt, aut inſcitam. Quidam tam inficetè ſcribunt, ut videantur literæ illæ pede gallinæ ſcalptæ, quarum aliæ alias ſcandunt. 3. *Tachygraphiam*, ut celeriter. 4. *Steganographiam*, ut tectè & arcanè. De his duabus poſterioribus mox infra. *Arma ſcriptoria*, præter atramentum, cultellum & calamum, ſunt theca calamaria ſeu graphiaria, aui, ſimplici verbo, graphiarium: pyxis pulveraria ſeu arenaria: forficula, clepſydra, regula, circinus, ligula oſſea, cera ſigillaris, ſigillum, globus lini torti, filatim è pyxide devolvendus. *Officium ſcribarum*, temperare pennas, complicare & complanare chartam, ducere lineas, delere, eradere, pulverem aſpergere, aut bibulâ papyrô exiccare, ſcribere literis paribus, imparibus, minuſculis, majuſculis, grandioribus, variis parergis & vermiculatis ductibus; deſcribere, (exſcribere, tranſcribere) obſignare epiſtolas, inſcribere, in faſciculum colligare; vincula ſeu linum acceptarum reſolvere, incídere, ſignum aut ſigillum detrahere, &c.

Calligraphia.

Officium ſcribarum.

Hebræi ſcribunt à dextra ſiniſtram verſùs, Græci & cæteri Europæi à ſiniſtra verſùs dextram; Indorum quidam juxta perpendiculum à ſummo ad imum, æquè legibiliter.

Tachygraphia, ſeu compendiaria ars ſcribendi, fit vel per literas ſingulas (quas veteres per ſyncopen *ſiglas* appellabant) ut hæc verba: Senatus Populúſque Romanus, exprimuntur quatuor characteribus: S. P. Q. R. Vel per notas ſeu ſigna abſque literis, ut, eadem verba per ſignum

Tachygraphia.

unde *Notarii* & σημειογράφοι sunt, qui non tam aliena dictata quàm dicta excipiunt calamô, certísque notarum compendiis assequuntur dicentem, aut etiam antevertunt. Hodie celeritas illa per vocabulorum decurtationes (quas *Vegetianô* verbô abbreviationes vocant) obtinetur.

Steganographia seu clandestina.

Steganographia est clandestina seu clancularia scribendi ratio, occultis utens signis, ex compacto paucorum, intelligibilibus, dum vel trajiciuntur & transponuntur literæ, ut B pro A; C pro B. Vel numeri adhibentur pro literis, ut 1 pro a. 2 pro b. 3 pro c. Vel pro arbitrio transmutatur alphabetum. Vel novi characteres efformantur: vel inaspecti quopiam illiti succô exarantur in panno, non nisi frigidâ madefacti legendi, aut in charta ad lucernam transparente colligendi, &c.

Scytala Laconica.

Apud Lacedæmones genus erat secretioris epistolæ, (quæ *Scytala Laconica* appellata) teres videlicet surculus seu lignum, illique adaptatum tenue lorum, notis literariis inscriptum, quod minutim concisum mittebatur ad absentem, qui lorô illô per surculum suum, alteri omnino respondentem circumplicatô, literísque coëuntibus, quod scriptum erat, perlegebat. Romani membranam instar fasciæ circumligabant bacillô stratô, quæ in longum perscripta, alióque missa, similíque cylindro implicata, expeditè legebatur. Nec defuerunt, qui cutem tabellionis inscriberent notis.

Typographia.

Nos habemus *Typographiam*, quæ simul est Tachygraphia & Polygraphia, dum unus unâ die plus imprimit chartæ, quàm mille possent scribendô. Artem hanc Typographicam (Chalcographiam) propter miram inventionem & utilitatem penitiùs inspicere & pluribus explicare juvabit.

Locus,

Locus in quo exercetur, *Typographéum* seu *Typographium* dicitur. Atramentum typographicum seu fuligineum conficitur ex oleo seminis lini, gummi juniperino, fumóque resínæ, simul mixtis & lævigatis ac percoctis.

Characteres seu litteræ sunt metallicæ seu æneæ, nimirum fusiles ex mixtura plumbi, stanni & æris, vocantúrque typi, formæ, formulæ; inversæ, & desuper extantes, habéntque varia & ferè peregrina nomina, à Formatoribus & Fusoribus imposita. Notiora sunt sequentia:

Maximæ omnium literæ grandes, & grandiores dicuntur Cubitales, Dodrantales, Palmares, Quadratæ *(Arbitro,)* vulgò *Universales* seu *Initiales*; rectiùs *Majuscula*.

Scriptura vel est erecta, vel inclinata; illa Typographis dicitur *Antiqua*; hæc vocatur *Currens* seu cursim ducta. Formæ characterum hæ sunt:

Romana; Typographis, Canon-Antiqua, sic:

Fili noli peccare.

Proxima Canoni; Typogr. Parangon-Antiqua, hæc:

Deus videt.

Media-Antiqua hæc:

Angelus adstat.

Ciceroniana; illis, Cicero-Antiqua, hæc:

Mors minatur.

Minuta, Romana; illis, Garmond-Antiqua:

Diabolus accusat.

Minutior-Romana; illis, Petit-Antiqua:

Æternitas exspectat.

Inclinatorum hæ ſunt:

Character productior; illis, Parangon-Curſivo:

Majori cede:

Medius, hic:

Minori parce.

Ciceronianus: illis, Cicero-Curſivo:

Cum bonis ambula.

Brevior & contractior; illis, Garmond-Curſivo:

Malos fuge.

Minimus; illis, Petit-Curſivo:

Deum cole.

Impreſſio ſic ſe habet: *Typographus* (Excuſor) diſtribuit per capſulas (loculamenta, capſam loculatam) figuras literarum æneas, ſupinas, tanquam inciſas marmori; quas *Typótheta*, ſeu *Compoſitor*, habens ante ſe exemplar retinaculo fixum, expromit indidem, ſigillatim eas componens in verba, verſus, paginas, columellis & intercolumniis affixas, ne in commiſſura dehiſcant invicem; quarum facies ſunt aliquando *columnatæ*, intermediô inter verſuum oblongas ſeries ſpatiô; aliquando largius marginatæ. Deinde coarctat marginibus ferreis, ſeu circumſepit, ſepimentô clavulis ſtriatis conſtringendô (relaxandóque, ut ne unus apex locô moveri poſſit. Hinc operæ Typographicæ typos ſic incluſos imponunt tabellæ, ſupernè apertili ad inſerendas & eximendas chartas,) & ſupra tabulam majorem (quam arrectaria & fixilis compages firmat) mobilem, (incumbit enim volgiolo ſubtùs volubili, anſam ejus impreſſore circumagente;) oblinúntque atramentô, adhibentes ad id *melantéres*, (ſphæras ligneas manubriatas, coriô obductas, piloque equinô fartas, quibus per medi-

mediastinum *spathulâ* color impressorius imponitur, mutuóque attritu subigitur ac tenuatur,) prelóque (cui cochlea imminet vecte intorquenda & retorquenda ac revolvenda) subjectam, versatione ergatæ seu torculi pressant, apprimúntque suppositæ chartæ, imprimúntque & exprimunt characteres, non tantùm atros, sed & rubricatos, vestigium sui in humectata papyro relinquentes. Sic momentô excuduntur, describuntúrque premendô quaterniones plurimi, omnes correctissimè seu emendatissimè, modò primum exemplum non sit mendosum, nec *Corrector* incurius, sed accuratus.

Chartæ excusæ exiccantur pendulæ, plicantur, colliguntur, recensentur secundùm notas alphabeticas; dissolvuntur rursum formulæ, & abstersæ reponuntur per cellulas suas, ut denuò coagmentari & jungi in alias dictiones possint. Si quid expungendum, id facit Typótheta subulâ; menda emendanda rejiciuntur in calcem libri. Nec rarò fit, ut is auctior & correctior iterum committendus sit prelo librario, editióque iteranda.

Librarii olim conglutinabant chartas chartis, (unde Glutinatores *Ciceroni*) convolvebántque in *volumen*, dictum à volvendo & circumplicando circa teretem bacillum, quem nominabant *umbilicum*, quòd medius esset libro circumvoluto; cujus capita supernè infernéque eminentia appellabant *cornua*, aurô quandoque & argentô ornata; qui paxillus rotundus seu cylindrus quoniam in extrema voluminis charta aut membrana, (quæ à tergo inscribi non solebat) erat agglutinatus, finis illius erat, unde ad umbilícum rem perducere, idem est, quod finire. Posteriore ætate, *umbilici*, dicti sunt ornamenta librorum, capitati scilicet clavicu-

Veterum libraria compactio.

viculi, offei, lignei, cornei, ænei, quibus à figurâ umbilici humani, id nominis inditum. *Frontes* autem librorum (fecundùm *Pontan. Raderum*, *Muretum*) dicebantur tabellæ, (aliquando cedrinæ, aut cedri fuccô tinctæ, perennationis causâ) pellibus variè coloratis obductæ, & pumice rafæ, quibus paginæ compactæ, utrinque arctabantur & claudebantur.

Hodierni Bibliopégi. Nunc chartacea folia *Bibliopégus* (compactor librorum) compingit (compaginat) in codices; ubi priùs *ligulâ offeâ complicaverit*, feu conquadraverit in pagellas & paginas, *eáque malleaverit*; (rariorem chartam firmaturus aquâ tingit aluminatâ) quas deinde, extentis per tabulam, & *interfutis* à tergo prefsè *funiculis*, arctè *confuit* futurâ æquali; & per quaterniones *colligat*; prelóque interceptas, dorsô *conglutinat* paullò eminentiore, ac *circumcidit* dolabellâ tereti (librariâ;) circumcifuram *colórat* variè, ac *inaurat* etiam, *præmunitque* frontes è filo intortis capitellis. Exinde *circumunit* tegumentis papyraceis, glutinô farinaceô denfatis; aut dolatis tabellis, quas deinde *obdúcit* feu membranâ feu coriô, rotulâ ftriatâ plerumque inauratô (optimum eft camelínum:) latera *fibulat* aut æreis fibulis feu uncis aheneis; aut connectit ligulis (ligamentis) fcorteis, lineis, fericis; libris grandioribus bullas *affigit* umbilicatas. Denique tota compactio ita eft conftituta, ut compacta nec difcedant aut hient, numeríque futilium philyrarum inter fe refpondeant.

Lecturus librum laxat nodos, aut diffibulat uncinos, cultellóque paginas tenaciùs cohærentes emarginat. *Syttibus* eft involúcrum feu operculum integumento librorum fuperinductum, à maculis aut pulveris, temporífve injuria diutiùs integro confervando. Sæpe libris inditur *difcerniculum*, tænio-

tæniolis sericis è rosa aut oblonga lamella fluentibus. Aut inseruntur pagellarum marginibus sectilia è membrana *signacula*; aut paginæ tenentur explicatæ *forcipe libraria*, quam suprà retinaculum vocavimus.

Bibliopola exercet *bibliopolium*, vendens libros in taberna libraria, quorum alios comparat pretiô, alios commútat merce simili. *Bibliopóla.*

Bibliothecarius eosdem congestat in *Bibliothécam*, (Latinis Librariam) quæ & locum significat, & armarium, ac libros; inscribítque catalogo secundùm alphabeti ordinem distributo; ac disponit per repositoria seu receptacula aut armaria, hoc est, altiora pegmata, in quibus multiplices foruli, & distincta loculamenta, proportione intervallorum respondentia, ubi velut in capsis, certô ordine gradúque collocantur, & digeruntur, ac exponuntur ad legendum, super pluteum seu tabulam transversim inclinatam, cui imposita minora signa, à *Cicerone* sigilla plutealia vocantur. Sublimiùs statuuntur & figuntur imagines, statuæ, effigies & simulacra artium, vel virorum doctorum. Librorum quisque gerit in tergo nomen, nullô negotiô inveniendus, & è nido percommodè eximendus, reponendúsque sine scalarum adminiculo, si exstruantur ambulacra pensilia, seu pergulæ columellis suspensæ, cancellis prætextæ, quarum crepído latiuscula servit sustinendis codicibus, quos lecturi ibi ponunt volvúntque. Tituli classium seu facultatum porrectioribus elementis adscribuntur. Turbata & disjecta iterum componuntur: pulvis deverritur scopulis setaceis, aut complosione paginarum excutitur. Obscœni & quocunque modô noxii libri peculiari *chartophylaciô* claudendi & abdendi, aut Vul- *Bibliothecarius, & Bibliotheca.*

cano consecrandi; vel certè, si fieri possit, ab obscœnitate & erroribus repurgandi.

Forma librorum. *A forma exteriore* liber est vel chartæ integræ, seu in folio; vel plicatæ, rectè aut obliquè in quadrum, (unde quaternio) aut in octuplum, (unde octuplicatæ pagellæ) aut in duodecuplum, sedecuplum, octodecuplum, &c. hinc forma chartæ duodecima, decima sexta, decima octava, vigesima, vigesima quarta pro codicillis, libellis, & libellulis. Si codex est grandior, quàm ut compactili crassitie scitè comprehendi possit, dividitur in Tomos seu Volumina, aut Opera; & hæc in Partes, Libros & Opuscula. *Schedæ*, (schedia *Arbitro*) schedulæ, pittacia, sunt chartæ non compactæ, seu ligatæ.

Partes interiores libri. *Interiores partes libri* sunt: *Titulus* seu Inscriptio: *Dedicatio* seu Nuncupatio: *Præfatio* seu Proloquium, quô argumentum edisseritur; interdum elogia illius præmittuntur, cui dedicatur; quique in Patronum & Defensorem Scripti adsciscitur. Tum *Tractatus* ipse sequitur, dispertitur in *sectiones, membra, capita, paragraphos*, &c. cum *indice* contentorum, aut etiam erratorum typographicorum.

Libri scriptor dicitur auctor, (autor & author) sæpe limans & elimans, donec ultimam apponat manum. Primò scriptum vocatur *autographum*; inde transscripta, *Apographa*. *Censor* seu recognitor est, qui censet & recognoscit librum, judicátque de ejus probitate aut utilitate; utérque virgulâ censoriâ, aut tristi (ut ille ait) arundine, expungit & castigat, humilia extollendô, redundantia coërcendô, ambigua declarandö, obscura illuminandô. Aut certè subnotat emendanda, limanda, tollenda, eliminanda ac rejicienda. Quòd si scriptor infelix adferat futilia, non utilia: rudia, non polita: laborata, non elaborata: obscura, non clara: non accu-

accuratè expensa, sed sine judicio corrasa : non ad lucernam elucubrata, sed præproperô calore effusa : non ordine digesta, sed temerè chartis illita; non solerter inventa, sed passim protrita & proculcata : non domi nata, sed ex alieno sine fronte sublecta : non luculenta, sed lutulenta, & bonis moribus damnosa ; verbô chartas Volusianas, & aptas thuris piperísque cucullis ; merito tenebris damnantur æternis ; aut saltem ab excusso ibunt in astra sinu, ut *Epigrammatarius* loquitur, cùm nemo non habeat rhinócerotis nasum. Liber autem perpolitus, & gnaviter elaboratus, facilè, etiam sine appensa hedera, est vendibilis, recuditúrque sæpius ; nec deerit *sumptuarius* impensas & sumptus pro adornanda & iteranda editione supepditans ; secus, si invendibilis *Plauto.*

Eleganter *Cicero ad Attic. lib. 1. Epist. 3.* ait : Bibliothecam tuam, cave, cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris : Nam ego omnes vindemiolas meas eò reservo, ut illud subsidium senectuti parem. Inter celeberrimas Bibliothecas, fuit Ptolomæi, Regis Ægypti, quam Alexandriæ instruxit septingentorum millium voluminum ; quæ deinde J. Cæsare, Alexandriam oppugnante, incendiô periit. Ab eodem Rege Septuaginta Viri doctissimi, è Judæis advocati, Hebræôs SS. Scripturæ codices in Græcam linguam transtulerunt, unde interpretatio Septuaginta Interpretum, mirè inter se consentientium, etsi conclavibus separatorum.

Pro Adagio cape : *Helluo librorum ;* & porrò ambula, tecúmque cogita; quis sit *homo trium literarum.*

CAPUT

Caput LI.

Modi discendi & proficiendi, Auditio, Lectio, Scriptio.

Auditio. AD animum Artibus Liberalibus imbuendum requiritur imprimis *Auditio* seu Auscultatio Vocis Vivæ seu Docentis, quæ & frequentiam in scholis assiduam & animum præsentem, intentum, vigilantem, quietum ac literarum amore incensum postulat, vivàxque desiderium proficiendi; nam, teste *Senecâ*, magna pars profectus est, velle proficere. Hîc age, quod agis; nam multi, ubi sunt, ibi non sunt; ubi non sunt, ibi est illorum animus; Quibus, quod unâ influxit aure, mox effluit alterâ. Quare sensus sunt convocandi omnes, & intendendus animus, ut otio vacet literario; alias curas mittat omnes. Pendendum est tibi ab ore Docentis, syllabæque loquentis velut gemmulæ colligendæ. Memineris, nunquam non doctiori tibi redeundum è schola; & à te iposcendum, quidquid ibi perceperis auditu; neque putes, privatô labore te consecuturum, si neglexisti, quæ obscuriora & involutiora explicavit Magister.

Lectio. Sequitur librorum *Lectio*, quæ est sermo cum mortuis, alítque ingenium; studióque fatigatum non sine studio reficit. In qua observabis quatuor præcipuè, *Ordinem*, *Constantiam*, *Tempus*, *Fructum*.

Ordo. *Ordo* requirit, ut parentes Latinitatis & sui quique Facultatis consulantur, ante nepotes & posteros.

Constantia. *Constantia* repellit tædium, ne velut canis è Nilo; tu ex Auctoribus haurias, non pitisses, multa perfunctoriè transiliens; inutilia & nocua, ut superius monui, ne attingenda quidem. Quidquid autem legis,

legis, ter relege; primùm, ut intelligas: deinde, ut eligas & enotes: demum, ut selecta memoriæ imprimas. Legere, ajunt, oportere non multa, sed multum; Lectio copiosum reddit, & benè instructum: Disputationes & Colloquia promptum & facilem: Scriptio & notarum collectio altiùs figunt animô perlecta. Historiarum pervolutio facit prudentes, Poëtarum ingeniosos; artes Mathematicæ subtilitatem donant: Naturalis Philosophia judicium profundum parit: Moralis gravitatem quandam morum conciliat: Dialectica & Rhetorica pugnacem reddunt, & ad contentiones alacrem.

Tempus est Ordinarium, studiis statâ lege assignatum; vel sunt operæ aut horæ subsecivæ (aut succisivæ) aut secundariæ, & quasi intermissariæ, quæ post necessarias fiunt. Matutinum & Vespertinum tempus magis est opportunum & accommodatum progressui litterario; nam *Aurora Musis amica*, tum vacat & secedit animus, ac viget ingenium. Tu vide, ut pretium ponas tempori, cujus jactura est sumptuosissima. Si quid lucubrandum aut elucubrandum antelucanis aut nocturnis horis, cereus conducit præ candela sebacea, quippe fumida. *Candelabrum* sit elevatum, umbraculum viride, emunctorium præstò ad ellychnium identidem emungendum, ne obumbret; fungum mox opprime, ne fœteat. Longè commodior est *lucerna* seu *lampas*, oleô instructa, quam in gratiam lucubratorum pluscolis describemus. Est illa oblongæ rotunditatis, instar cylindri, superiùs clausa, inferiùs canaliculô rostrata, cui ellychnium inditur, & crepidine prætexta, quâ oleum excipitur, infunditúrque per osculum quadratum, (orificium *Vitruv.*) metu vacui non profluxurum, nisi ardore ellychnii attenuetur, locúmque subintranti aëri cedat; atque hoc

Tempus.

Lucerna ad lucubrandum commodissima, lampas.

hoc lumen nec ſcintillat, nec fumat, nec facilè in fungum concreſcit; verbô, ſalus eſt oculorum, & ſolatium noctis. Pluteus quoque ſubjiciendus ſcribenti, ac ſcrinium ſcriptorium (vilgô *pulpitum*) cui manu innitendum, non pectore.

Fructus. *Fructus* autem provenit ex *diligentia ſubnotandi*; fallax enim eſt memoria, onerata fatiſcit, referta perturbatur. In *Excerptione*, quæ lectionem multò reddit meditatiorem, finis ſtudiorum eſt attendendus, & cum eo Excerpta commetienda. Quidquid notatu dignum cenſebis, diſtribuendum tibi vel breviùs in *Lemmata*: vel fuſiùs in *Adverſaria*, annotatô vel exſcriptô auctore, librô, capite, paragraphô, paginâ, editione, formâ. Juverit, penes ſe habere pugillares, (codicillum, palimpſeſtum, pittacium) ut in iis plumbagine conſignentur, quæ incidunt, ne excidant. Poterunt & calamô in rejectaneas ſchedas & chartam ſeparatam referri, ex quibus deinde major ordine digeſta transferantur in libros papyraceos ſeu paginas conſutas ea, quæ in poſterum videntur aſſervanda, cum indice adjuncto. Sic ſua cuique notata domeſticum præbebunt bibliothecium. (*Pontan.*) Minimè verò probandi illi, qui, ſelectiora diſtincturi, ſubducunt lineas verſibus ſingulis, vel totum locum lineandô circumſcribunt: aut oras paginarum infimas & ſummas introrſum flectunt, quas flexuras meritò appellant *auriculas aſininas*; ſed neque *aſteriſcis* ſignanda ſunt, quæ digna approbatu: aut *obeliſcis* configenda, quæ improbatu digna; nec ullis aliis lituris codices deformandi. Quòd ſi per occupationes calamô non licet uti, adnotandum; ſecundaria proderunt adjumenta; qualia ſunt tæniolæ chartaceæ inter pagellas interjiciendæ; aut earum marginibus inſectæ membranulæ inſerendæ.

Scriptio-

Scriptioni temperanda lectio, & cum ea alternanda, ita, ut *nulla dies* abeat *sine linea*; insistendum vestigiis est veterum, & ex eorum scriptis viva Latinitatis imago exprimenda. Probatiores Auctores vocantur *Classici*, quatuor Linguæ Latinæ ætatibus discreti. Quarum prima, *Infantia*, cujus tantùm fragmenta extant, annorum circiter 500. ab Urbe Roma condita. Secunda, *Adolescentia* seu Juventus, Antiquæ ætatis nomen habet, centenorum annorum usque ad M. Tullium, in qua, præter Oratores, claruerunt Ennius, Plautus, Pacuvius, Poëtæ. Tertia, *Virilis*, seu Aureum Seculum sive Latinissimum, quod cum Cicerone cœpit, & cum Augusti Cæsaris morte terminatum est. *Ætas quarta* paullatim ad senium & quandam barbariem inclinavit. Noster Wolfgangus Schönslederus, Vir humanioribus literis egregiè eruditus, qui linguæ Latinæ opes ex Antiquis Probísque Scriptoribus cum magna cura industriáque & delectu depromsit, cujus vestigia quippe cautè posita, securè sequi possumus, Auctores Latinæ aliter paullò in ætates distribuit, quas in gratiam Juventutis, literaturæ politioris, studiosæ hîc apponamus. *Scriptio.*

Ætatis Aureæ.

Cicero.	Tibullus.
Plautus.	Propertius.
Terentius.	Varro.
Lucretius.	Virgilius.
Cæsar.	Horatius.
Cornelius Nepos, seu Æmilius Probus.	Sallustius.
	Livius.
Catullus.	Vitruvius.

Ætatis

Ætatis Argenteæ.

Ovidius.
Vellejus.
Valerius Max.
Curtius.
Celſus Medicus.
Phædrus.
Hyginus.
Aſonius Pædianus.
Seneca uterque.
Perſius.
Lucanus.
Columella.
Cato.
Palladius.
Mela.
Manilius.
Quintiliani Patris Declamationes.

Ætatis Æneæ.

Quintiliani Oratoria.
Plinius Major & Minor.
Suetonius.
Florus.
Statius.
Silius
Martialis.
Tacitus.
Frontinus.
Valerius Flaccus.
Solinus.
Juvenalis.

Ætatis Ferreæ.

Agellius vel Aulus Gellius.
Apulejus.
Aurelius Victor.
Spartianus.
Panegyrici.
Apicius.
Claudianus.
Martianus Capella.
Juſtinus.
Vegetius.
Rhetores Antiqui.
Lampridius, &c.
Auſonius.
Ammianus.

De ætatibus eſt judicium, non de Auctoribus, qui ſæpe meliores ſuis ætatibus. Nec difficile ſit catalogum contexere receptiſſimorum vocabulorum, quæ Suetonio, Macrobio, Symmacho, Sidonio Apollinari, Petronio Arbitro, Apulejo, Apicio in re coquinaria, Vitruvio in architectura (nam cuilibet in ſua arte credendum eſt) debemus; Feſtus & No-

& Nonius antiqui fuêre Grammatici. Et quia nullus vixit in omnibus hisce ætatibus, quisq; sequentibus eos æmulati sunt temporibus, cui notam non imprimant Critici, eúmque veluti Apellæ Judæi, nescio, quô jure circumcídant, semper, ut verbô Paulinô utar, discentes, an docentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, ideò relinquamus ipsarum unguem in ulcere nimis quàm sæpè imaginario, & cum doctissimis Viris, in quibus J. Lipsium antesignanum agnoscimus, prætereamus contemptim hoc catellos nequicquam baubantes, magísque studeamus Latinæ Linguæ proferre Pomœria, quàm coarctare. *Desiderius.* Romanum mihi dilatas pectus, & cum pectore linguam. *Mercurialis.* Dixi, quæ non hodie primùm sensi. Tu da operam, ut scriptio tua lucernam oleat & demorsos sapiat ungues; neque tamen instar ursini lambatur catuli, memor illius: *manum de tabula.* Apellem imitare, qui, tametsi negabat se fecisse, faciebat tamen. De stilo (nam hic velut Triton in tecto vertitur) si quæris, accipe, quæ mihi notanda putavi.

Pomœria Linguæ Latinæ non coarctanda.

Sunt, qui punctum se laturos putant, cùm verbis & sententiis plus, quàm par est, intumescunt; *Alii* cùm repunt, humilia prorsus, trita, communia sequendô. *Alii* sine delectu permiscent omnia, nihil non dicunt & scribunt; & verè nihil. *Alii*, neglectô sensu, sola venantur verba, quos meritò cum Græcis *Spermologos* appelles. *Alii* Auctores ab argumento suo alienissimos, velint, nolint, miserè detorquent & lacerant. *Alii* ex phrasiologorum panniculis varios centones consarcinant. Ad umbratilium *alii* & scholasticarum præceptionum minutias putidiusculè sua conformant. Quàm *multi* sunt, qui Poëticâ & phrasi, & fictione audaciùs

Varii styli scribendi.

abutuntur in oratione soluta, & ementiendô liberiùs exultant, nec unum idiotismi vitium Metaphoris & Allegoriis involvunt? Græcanicis *aliqui* laciniis & effossis antiquitatis ruderibus sermonem obscurant. Nec *desunt*, qui se putant *Atticos*, si jejunum, exangue, concisum, abruptum dicendi sequantur genus. *Quidam Asiatici* sibi videntur, cùm ineptis digressionibus, affectatis rerum descriptionibus, luxuriantibus figuris, verbis, ad ostentationem collectis, fluctuantes & dissoluti effarciunt sermonem aut scriptionem: qua tamen in luxurie aliquid amplius juvenili genio permittendum existimem; facilius est demere, quàm addere. Hoc, quæso, advertas, velim, mortalium ut facies, ita stilos differre. Et quis est ille, qui confidat genii sui giro, aliorum naturæ infringi posse impetum? Quàm dissona vox ex tot protruditur gutturibus; & tamen articulata est omnium? Aliter Italus e. g. vernaculæ suæ devolvit verba, aliter Germanus: ille raptim, hic carptim; idem de Latina cogita. Ipse Tullius, cùm alibi propiùs ad Asianos accedat; ad Atticum certè, scribit Atticè. Stilus est optimus, qui ad id, quod decet, accommodatur, humilia subtiliter, magna graviter, mediocria temperatè explicans, ídque purè, tersè, perspicuè; nec non floridè; quæ perfectio multorum ex ingeniorum temperie consurgit. *Desiderius.* Ita me Musæ ament, ut tu amœnè per has artium amœnitates me circumducis. *Mercurialis.* Abstine tantisper has exclamationes: nunc Grammatices dumeta erunt calcanda nobis, sine quibus ad Pieridum hortos nequaquam datur accessus. *Desiderius.* Ibo, ibo per dumos & sentes, ut ad illa Apollinis & doctarum viridaria Sororum liceat pervenire. *Mercurialis.* Meticulosis timor addit alas; tibi pedes amor

amor discendi. *Manum ferulæ subduxerunt*, qui desierunt in ludo litterario versari.

CAPUT LII.

Scholæ Grammaticæ.

NOmen *Scholæ*, significat Otium & cessationem; quod literarum studiosis omnis cura in liberalia studia conferenda, & à cæteris negotiis vacandum sit. Eadem *Phrontisterium* dicitur, à diligentia commentandi & meditandi. Cicero *Ludum* literarum appellat, quia in discendo voluptas potiùs quàm labor reperitur.

Est autem *Schola*, officina transfundendi eruditionem è libris in hominum animos; quod omninò necessarium ad Rempubl. & societatem humanam benè constituendam, dum inde discitur non minus rectè sapere, quàm agere & loqui. *Scholæ.*

Qui docet (è cathedra, suggestu, vel pulpito) est *Doctor*, Magister, Præceptor, Professor; Qui discit, *discipulus*; in illo requiritur doctrina, probitas, industria ac diligentia; in hoc docilitas, studiositas, sedulitas, obsequium, observantia, amor disciplinæ, gratus animus; ille debet prodesse; hic proficere. Qui Gymnasio (nam & hoc nomen, ab exercendo deductum, scholis convenit) præest, *Præfectus, Scholarcha, Gymnasiarcha* dicitur. *Ludimagistrum* (Ludimoderatorem, Didascalum) adjuvat *Hypodidascalus* seu *Próscholus*, aut Magister pedaneus, sive Præceptor secundarius. *Pædagogus* (pædótriba) custos & institutor est pueri privatus; quibus omnibus *salarium* suum & *minerval* debetur; quanquam multi sint discentium, qui scientiam dextrâ porrectam, accipiant sinistrâ. *Præceptores. Discipuli.*

Finis studiorum & modus.

In ſtudiis formandis duo ſunt præcipuè ſpectanda. *Primum,* quod ſtudiorum genus maximè ſectari velis; *Alterum,* quâ ratione in eo, quod elegeris, plurimùm efficias. Rariſſimi ſunt, qui favente Minervâ Liberalium Artium *Encyclopædiam* (quaſi dicas, Circularem Scientiam) adipiſcuntur. Sunt enim ſingularum diſciplinarum fines & ſeparati & certi, ſibíque per gradus ordinatim ſubjecti. Univerſim loquendô, ad Eruditionem opus eſt *naturâ* ſeu *ingeniô* vividô, ſubactô, capace; *Arte,* ſeu *Præceptis; Imitatione; Exercitatione.* Ad *Primum* requiruntur animi motus celeres in inveniendo, explicando, exornando, & memoriæ mandando. Aliqui ſunt præcoces, ut cucurbita, vel ſalix, ſtatim adoleſcens, ſed ſterilis; olivam malo, ſerò provenientem, ſed cum fructu. Ad *Secundum*, requiritur Informatio & Inſtitutio. Ad *Tertium,* Dux & Auctor Claſſicus, quem aſſequi, ſaltem æmulari contendamus. Ad *Quartum*, frequens uſus & varietas ſcribendi.

Grammatica.

Inter *Artes ſermocinatrices,* prima eſt *Grammatica,* à grammatis ſeu literis dicta, quibusdam literatura, ſeu rectæ loquelæ ſcripturæq; ſcientia, uſu, ratione, auctoritate conſtans. Docet enim hæc, *Tulliô* teſte, & verba efferre, quæ nemo reprehendat, & iis caſibus, temporibus, genere, numero, ne quid perturbatum ac diſcrepans inſit, aut præpoſterum.

Barbariem facit *ſolœciſmus,* qui eſt fœdatio Latini Sermonis, ſive ſit in ſingulis verbis, ſive in contextu plurium. Qui hoc vitiô laborat, *Solœciſta* dicitur *Luciano.* *Solœcophanes* ſpeciem quidem ſolœciſmi præfert, ſolœcus tamen non eſt, ſed ſæpius ſchema ac figura. *Barbariſmus* eſt dictio, aut omninò barbara; aut Latina quidem, ſed vitioſa ſcriptô, pronuntiatione, ſignificatu; cujus rei cauſa non rarò

est *idiotiſmus*, ut vocant, ſeu conſuetudo ſermonis vernaculi; quæ vitia unô vocabulô *ſtribligo* vocantur. Orationis ornatui officit *Cacóphaton*, ſeu deformis literarum concurſus, ut Rex Xerxes; *Tapinóſis* rei magnitudinem aut dignitatem humilitate verbi minuit, ut nequam pro parricida. *Tautologia* idem verbum, ſermonem, aut literas ineptè iterat, ut: quidquam quisquam cuiquam quod convenit, neget? *Macrologia* ſuperflua profert; ut: retrò domum, unde venerant, abierunt. *Pleonaſmus* ſimile ferè vitium, ſupervacuis verbis orationem onerat; ut: ego meis hisce oculis vidi .Obſcuritatem ſermoni affert improprietas verbi, ambiguitas ſeu *amphilogia* aut *amphibolia*, ut: vidi ſtatuam auream tenentem haſtam. *Archaiſmus* eſt priſca conſtructio & obſoleta. *Helleniſmus* Græca locutio. *Periſſologia* ſeu *Battologia*, redundantia ſermonis, ut: faciem mutatus & ora. & Battus (unde nomen habet) apud Ovidium: Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis. Cui opponitur *Laconiſmus* ſeu brevitas loquendi aut ſcribendi. Quædam tamen ex his aliquando inter figuras numerantur.

Suetonius obſervat, *Grammaticos* idem eſſe ac literatos, hoc eſt, literis bene imbutos; *Grammatiſtas* autem & Literatores, leviter iis tinctos. Quintilianus *Grammaticen* diviſit in rectè loquendi ſcientiam & Poëtarum enarrationem, Tullium ſequens, qui non tantùm verborum interpretationem & pronuntiandi ſonum Grammaticis aſſignavit, ſed Poëtarum inſuper pertractationem ac hiſtoriarum cognitionem. Poſterioribus temporibus nomen & officium Grammaticæ, magis reſtrictum fuit. Quidquid ſit de hoc; Seneca Grammaticos Latini ſermonis cuſtodes appellat, qui quòd aliquando non ita audiant, ut volunt, (quod & Mathematicis con-

Grammatici quinam?

tingit) meminerint, se non raro dicere, quæ nolunt alii. Quoties in una literula aut syllaba excólant culicem & putámen pro nucleo rodunt, ignobiles verborum opifices, & cumini sectores! quoties non Latinitatis modò, sed severiorum etiam disciplinarum (si Superis placet) se Mystagógos venditant! Manet sua laus & honor illis, qui de probitate ac veritate verborum & sensuum; de numero & sinceritate operum Linguæ Latialis, Græcæ, Hebraicæ disceptantes, à crisi nomen habent *Criticorum*, qui varia annotamenta, κριτήρια, emendationes, distinctiones, vindicationes, legitima scripta à spuriis secernunt, conferunt, illustrant, explicant, adhibitis diversis signis. V. g. asteriscô seu stellulâ * notant aliquid deesse; obeliscô (obelô, virgulâ —) jugulant aliquid ut supervacuum aut falsum: Paragrapho § separant res in contextu. ℞ est signum expositionis cum textu jungendæ, &c. Sed ubi potestatem arrogantiùs sibi sumunt de omni Scriptorum genere judicandi: cùm mordaciùs aliorum dictis obtrectant & oblatrant, meritò sunt explodendi cum illa sua canina facundia & Theonino dente, tanquam dicaces Vitilitigatores; qui quomodo sunt boni, quibus bonus est nemo? Momi, Zoili, Theones, Aristarchi, crúces mutuò sibi figentes, mutuò pendentes. In subsidium Grammaticæ, veniunt varia Lexica & Onomastica, in quibus agitur de vocabulis simplicibus & compositis, de primitivis & derivatis, eorúmque originatione & etymologia; de epithetis, antithetis, synonymis, de phrasibus, elegantiis, floribus, (unde anthologiæ) adagiis; de nominibus propriis locorum, montium, fluviorum, hominum, Deorum. Ubi crebrò accidit, ut, qui compendia quærunt,

Critici.

inve-

inveniant dispendia, vanoque hiatu ludantur corvi.

Sed nunc agendum de methodo tradendæ Grammaticæ, & Scholarum institutione ac constitutione. Societati nostræ hic placet modus, quem etiam Adversarii commendant, in quibus est Franciscus Verulamius, Cancell. Angliæ, Vir doctissimus; qui lib. 1. de dignit. & argumento scient: *Quæ nobilissima pars*, inquit, *disciplinæ* (erudiendæ nempe Juventutis) *priscæ, revocata est aliquatenus, quasi postliminiô in Jesuitarum Collegiis, quorum cum intueor industriam solertiámque, tam in doctrina excolenda, quam in moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo.* Talis cùm sis, utinam noster esses! Idem l b. 6. c. 4. *Ad pædagogiam quod attinet, brevissimum foret dictu:* Consule scholas Jesuitarum. *Nihil enim, quod in usum venit, his melius.* Hæc ille de nobis. Ego pergo.

Scholæ Jesuitarum Principia.

Postquam ex ἀναλφαβήτοις puerili facti sunt *elementarii* (alphabetarii & syllabarii) didicerúntque in schola triviali nôsse, dicere, ducere literas, (elementa, characteres) atque ex his ordinare ac pronuntiare syllabas, (quarum aliæ in gutture, aliæ in palato, aliæ in lingua; quædam sub labiis, quædam intra dentes formantur & exprimuntur, unde vulgò *gutturales, palatinæ, labiales, dentales* literæ syllabæque dicuntur,) è syllabis voces ac dictiones formare, (in quibus triplicis accentûs habenda ratio; nam acutus syllabam attollit: gravis deprimit: circumflexus partim elevat, partim demittit) tum fundamenta ponuntur Latini idiomatis in octo partibus orationis internoscendis, quæ Grammatistis vocantur; *Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Præpositio, Adverbium, Interjectio, Conjunctio.*

Rudimenta, seu infima Grammatices Schola. Inde gradus fit ad *Rudimenta*, infimam Grammaticæ classem, quæ est inchoata Syntaxeos cognitio, & brevis quædam introductio, agens de Generibus Nominum, Declinatione, Præteritis & Supinis, facillimisq; de Constructione præceptis.

Media Grammatices. Ab his exordiis ad *mediam classem* fit transitus, quæ plenius explicat regulas Syntacticas cum faciliori-bus Appendicibus juxta normam & institutionem Grammaticam Emanuelis nostri Alvari.

Suprema Grammatices. Hanc excipit classis *suprema Grammatices*, quæ est absoluta contexendi sermonis intelligentia, cum declaratione artis Metricæ.

Schola Humanitatis, seu Poetica. Postquam è Grammaticis adolescentes excesserint, in schola *Humanitatis* seu *Poeticæ* præparatur solum Eloquentiæ, quod tripliciter accidit. 1. cognitione linguæ accuratiore, 2. aliquâ eruditione (scilicet rerum.) 3. conformatione præceptionum ad tropos, figuras, & locos argumentorum communes.

Rhetorica. Hinc ascenditur in *Rhetoricam*, quæ ad perfectiorem, pro juvenilis ætatis captu, eloquentiam tam *solutam* seu *prosam* quàm ligatam informat.

Exercitia scholastica. Exercitia porrò literaria ita se habent: *Argumentum* scribendi in tribus aut quatuor inferioribus classibus, (potest enim vel infima, vel media in geminas partes secerni) vulgi ferè sermone, ad verbum è vernaculo contextu in Latinum contextum transfertur. In scriptione corrigenda indicatur, si quid contra præcepta Grammaticæ, orthographiæ, interpunctionis peccatum, si difficultates declinatæ, &c.

In duabus superioribus, nimirum Oratoria & Poëtica, ubi themata suô cujúsque Marte potissimùm sunt componenda, qualia sunt: Epistolæ, Chriæ, Procemia, Narrationes, Exornationes, Con-

Confirmationes, Amplificationes, adhibitis præcipuis Tropis ac Figuris, obſervatur in recognoſcenda compoſitione, ſi quid minùs proprium, cultum, numeroſum, connexum; ſi locus perperàm, obſcurè, humiliter tractatus: ſi decorum non ſervatum: ſi qua digreſſio juſtô longior: ſi imitandi ratio diſtorta, frigida, inepta, &c.

Concertatio ſive in Grammaticis; ſive (ſuô tamen modô) in Poëticis, ſita eſt, tum in iis, quæ æmulus in alterius ſcriptione deprehenderit: tum in locutionibus vulgaribus invicem proponenuis, & Latinè reddendis. Dubiis reſolvendis, definitionibus, & exemplis proponendis; difficilioribus nominibus & verbis inflectendis, conjugandis, formandis, *activè* & *paſſivè* (ut Grammatici loquuntur) efferendis: phraſibus elegantioribus depromendis, aut variandis: diſſolutis periodis, aut verſibus concinnandis; aut novis condendis; aut unius generis cum altero permutandis: præceptionibus è memoria recitandis, applicandis: ſyllabarum dimenſione exquirendâ: difficultatibus explanandis: locum aliquem illuſtrem imitandô, moribus antiquis, & reliquis ad Eruditionem pertinentibus, exquirendis: Hieroglyphicis, Symbolis, Pythagoricis & aliis, Apophthegmatis, Adagiis, Emblematis, Inſcriptionibus, Ænigmatibus interpretandis: in iis, quæ ſcripſerunt, declamandis: aut Scenicâ actione repræſentandis, &c. *Concertatio.*

Cæterùm in *Expoſitione* & *Prælectione* Auctorum præmittitur argumentum; retexitur ſtructura & periodus, atq; ad leges Grammaticæ expenditur; ingeritur obſervatio Linguæ Latinæ: Translationes ſeu Metaphoræ exemplis evolvuntur: demonſtrantur etyma: Vernacula Latinis, aut hæc illis, variatâ phraſi exprimuntur: fabulæ & hiſtoriæ *Expoſitio Auctorum.*

indicantur: dicta meliora excerpuntur. In exponenda sententia, si sit obscurior, variæ interpretationes dijudicantur, ratio artificii circa Inventionem & Dispositionem exploratur & explicatur: Loci tum re, tum verbis similes afferuntur: res ipsæ, Sapientum pronuntiatis confirmantur.

Verborum proprietas, ornatus, copia, numerus consideratur. Verbô; *Analysis* seu *Resolutio* sermonis quadruplex instituitur. *Prima* est *Grammatica*, originem & probitatem Constructionis inquirens. *Altera Rhetorica* tropos, figuras, amplificationes, ac stylum ostendens. *Tertia Dialectica* seu *Topica*, locos argumentorum investigans. *Quarta Erudita*, conquirens ex omni eruditione ea, quæ ad locum faciunt declarandum & exornandum, ut sunt mores & ritus gentium, symbola, emblemata, historiæ, fabulæ, adagia, &c. de quibus paullò antè memoratum.

Modus Institutionis. Observandum est Præceptoribus & Professoribus, ne *Institutio* sit morosa & tetrica, præsertim in emendatione scriptionum & Græcæ Linguæ traditione; alia commendentur, alia mutentur, alia ferantur; laudanda in hoc sermonis puritas, in alio perspicuitas, in alio lepos: in quibusdam inventio: in aliis dispositio; in his gravitas, in illis ornatus: in multis conatus, labor, diligentia. Sunt quandoq; supervacua amputanda: aliàs omissa superaddenda; aut in locum deteriorum, meliora reponenda; &, dum unius scriptio corrigitur, alii de improviso interrogandi de iis, quæ vel laudata vel emendata fuêre.

Magistratus scholastici constituendi. *Magistratus* inter discipulos in singulos menses constituendus: diligentiores munusculis afficiendi, pro quibus decertandum scribendô, disputandô, explicandô, ediscendô. Præponendi *decuriones*, qui

qui memoriter recitantes audiant, errantium lapsus annotent ac indicent, & scripta colligant; *Coryceæi* quoque & *Observatores* designandi, qui petulantiores deferant; *suggestores* puniendi. *Ordo* cumprimis & distributio temporis servanda: prælecta quotidie à discipulis reposcenda & repetenda; eadémque quot hebdomatibus recolenda; silentium, modestia, assiduitas in schola curanda: intervalla remissionum concedenda: ingenui collaudationibus: cunctatores, & servilia capita, objurgationibus impellendi. Ferulâ & verberatione utendum, sicut pharmacô; plagosus & Orbilius, & virgator, *Planto*, qui quamvis culpam capitalem facit. In pœnis exigendis absit ira, præcipitatio, contumelia, inquisitio nimia: Pauperum æquè ac ditiorum profectui invigilandum, cùm sæpius sub palliolo sordido magnum lateat ingenium. Si qui minùs ingeniosi apparent, non statim à Musarum limine removendi; *moras*, arborum tardissimè germen emittit; omnis denique germinatio nocte erumpit unâ. Quidam præcociores plus aliquando memoriæ habent, quàm judicii: plus loquacitatis, quàm intelligentiæ; apparentes flósculi, qui cum tempore instar pappi defluunt. Neque tamen citra delectum intra Bonarum Artium januam quivis recipiendi. Indociles, hebetes, stupidi, illiberales, sordidi, erratici, procul arcendi. Quòd si quidam irrepserunt pervicaces, refractarii, cerebrosi, capitones, immorigeri, discoli, malô exemplô perniciabiles, turbatores: aut pulsandô indurati, aut in scholis sessitandô inveterati; maturè sunt dimittendi, amandandi, eliminandi. *Disciplina.*

Deniq; fit generalis & solennis *Promotio* ad classes altiores, quam nos *Ascensum* vocamus; cui præmittimus Examen morum, & doctrinæ, singulis sub- *Promotio ad altiores classes.*

ſubeundum, recognitis notis & catalogis Magiſtrorum; in quibus minùs magísq; dignorum ſive *admiſſu*, ſive *rejectu*, diſcrimina conſignantur. *Repulſam* ferentes (ſeu paſſi) jubentur in vetere claſſe reſidere; *Admiſſi* faciunt gradum; *Merentibus*, publicè diſtribuuntur laudes & præmia. Qui Gymnaſii Scholas omnes ritè abſolverunt, cum ſuis pro merito teſtimoniis transmittuntur ad Academias. *Deſiderius.* Enimverò rem ita hanc explicâſti Gymnaſticam, incertum ut me reddideris, magiſne mirer harum inſtitutionem ſcholarum, ordinem & methodum; an gaudeam magis, & gratuler mihi, ad Humanitatis ſtudia ab hiſce Magiſtris me informatum fuiſſe, quibus omninò debeo, quod Æſchines olim Præceptori ſuo Socrati debere profitebatur: Videlicet me totum. *Mercurialis.* Minerval longè pulcherrimum. Obſerva tritiora hæc: *Alpha penulatorum*; primus pauperum. *Alpha & Omega*; principium & finis. *Martialis lib. 5. epig. 50.* irridet quendam Notarium (verbum eſt Poëtæ) vultu Catoni Tullióque ſimilem: χαῖρε exprimere qui non poteſt Græcum, &c. Sed nunc, age, Heliconem ſeu Parnaſſum ſcandamus.

CAPUT LIII.

Poëtica ſeu Schola Humanitatis.

E Grammaticis excedentes Schola Humanitatis excipit, in qua, poſt ſuperata Syntaxeos vepreta, Juventus *litteratura humaniore* (manſuetiore, amœniore, politiore) imbuitur, quam nos Claſſem, *Poëticam* quoque, vel *Poëſeos* vocamus, quòd in ea Hiſtoricorum & Poëtarum cognitioni pecularis opera navetur, ac via eloquentiæ ſternatur. Quanquam aliqui Eloquentiam ſic divi-

dividunt, ut in tres eam Facultates distribuant, quarum *Prima* est copiosa ac dilatata dicendi ratio cum verborum & sententiarum ornatu; *Altera* contractior & adstrictior, similis pugno, ut prior illa palmæ explicatæ; quæ licèt *Tullianô* eloquiô verba non moderetur, *Chrysippéâ* tamen subtilitate animos invadit, & sæpe longis orationibus potentior est; *Tertia*, numeris est alligata seu Metrica; quarum finis omnium, *docere*, *movere*, *delectare*, ac *persuadere* dictione; sive illa verborum flumine animos impellat atque trahat: sive argutâ brevitate se penetret, & sine tumultu peragat munus Oratoris; qui quantò est fusior Dialecticô, tantò est restrictior Poëtâ, quippe liberiùs argumentum diducente, fucum addente, & flores intexente.

Poëticam Veteres impetum quendam existimârunt, & incitationem, cum ingenio seu natura conjunctam, quam Græci ἐνθουσιασμὸν, Latini *furorem Poëticum* dixerunt: unde *Enthei* dicti, qui fuerunt eô correpti; creditúrque Poëtas nasci, Oratores fieri. *Tullius* ait, Poëtam naturâ valere, & quasi divinô quodam spiritu afflari. Nomen Poëtæ ducitur ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, faciendo seu fingendo. Est autem *fingere* seu effingere, rem illam imitari, cujus imago & similitudo est exprimenda. *Poëtica* verò ars est, hominum actiones effingens, eásque carmine explicans. Clariùs eam describes, si dicatur esse facultas, rem quamlibet oratione Metricâ verosimiliter & accommodatè ad delectationem & utilitatem audientium exponens, per fictionem idoneam. Quæ si abest, non tam *Poëtam* (fictorem) & *Poëma*, (fictionem) quàm Versificationem appelles. *Lucanus* certè magis Historicis quàm Poëtis accensetur, quòd in eo fictio, quæ est anima Poëseos, desi- *Poëtica.*

desideretur. Est *Poëma* Opus ipsum, seu Carmen, sive longius, sive brevius; quod & *Poemation* ob brevitatem dicitur. *Poësis* est ipsa fictio, ac forma illius (tametsi hæc vox promiscuè etiam pro Poëmate usurpetur.) Qui inhonesta scribunt, & magis obesse volunt delectandò, quàm prodesse, Eversores potiùs quàm Assertores Poëseos habendi sunt, cum *Nasone* in exilium relegandi.

Stilus Poëticus ligatus est, & adstrictus ad leges vel *Rhythmi*; vel *Metri*; in illo spectatur tantùm paritas syllabarum, similiter cadentium aut desinentium; in hoc mensurantur versus, certô numerô ac mensurâ pedum Poëticorum. *Pes* est pars versûs, seu dictio polysyllaba, definita quadam syllabarum dimensione & ordine. *Cæsura* est syllaba post pedem relicta; quarum alia *penthemimeris* seu semiquinaria, post duos pedes abscissa: alia *hepthemimeris* seu semiseptenaria, post tres pedes recisa. De quibus copiosiùs agunt illi, qui de legibus metricis Prosodias scribunt; ubi multa de Accentibus, de licentia Poëtica, de Patronymicis, de Figuris, &c.

Metrum.

E pedibus fiunt *versus*, (Oratio certô genere, numerô atq; dispositione pedum alligata,) à versura dicti, per quam non continuatâ pronunciatione aut scripturâ reditur ad initium. *Equestris* etiam dicta, quippe coërcita frenô syllabicô. Contrà, Oratio nullis numeris *ligata*, vocatur *Prosa* seu *Prorsa*, quòd prorsus usq; ad finem marginis tendat; *Pedestris* quoque, quia soluta à frenis. *Carmina* à canendo nomen habent; dicuntur & *moduli*, modi, numeri, lusus, quia magis ad voluptatem quàm serium plerumq; facta. *Odæ*, Latinè Cantica, quòd olim canerentur ad lyram. *Palinodia* est recantatio; *Parodia* ad imitationem Odæ composita.

Oratio ligata.

Secun-

Secundùm *Horatium* sex Poëtarum ordines: *Heroici*, seu *Epici*, *Elegiaci*, *Lyrici*, *Jambici*, *Comici*, *Tragici*. Differentiæ carminum sumuntur vel ab autoribus seu inventoribus: vel à materia & argumento; vel ab instrumentis musicis: vel à pedibus in versu præcipuis: vel à numero syllabarum, pedum, carminum ejusdem vel diversæ speciei: vel ab earum excessu aut defectu. *Sex Poetarum ordines.*

Ab *Auctoribus* appellantur. *Alcaicum* ab Alcæo. *Anacreonticum* ab Anacreonte: *Aristophanicum* ab Aristóphane: *Asclepiadéum* ab Asclepiade: *Glyconium* à Glycóne: *Hipponactéum* ab Hipponacte: *Archilochium* ab Archílocho, (qui uterq; Poëta acerbita carminis inimicos ad suspendium adegit:) *Phaleucium* à Phaleuco: *Pherecratium* à Pherecrate: *Pindaricum* à Píndaro: *Sapphicum* à Poëtria Sappho: *Dithyrambicum* à Baccho, qui διθύραμβος dictus est, hoc est, bis egressus, semel ex utero matris, & iterum è femore Jovis; qui cantatus olim cum furore quodam Bacchico, & titubante carminum varietate, ebriorum more. *Differentiæ Carminum ab Auctoribus.*

A *materia* duxerunt nomen. *Heroicum*, ab Heroum rebus gestis laudandis, quod & *Epicum*, à Græco ἔπος, seu dictio, sive carmen antonomasticè; unde *Epopœia* ejusdem effectrix: & Poëtæ *Epici*. *Adonium* ab Adónis laudibus. A re rustica denominantur *Georgica*: à pastoritia *Bucolica*: à selectioribus pastorum colloquiis *Eclogæ*: quibus paullò liberiora & altiùs surgentia sunt *Idyllia*, ab εἶδος, species seu forma brevioris Poëmatis. *Silvæ* dicuntur carmina, quodam calore & festinandi voluptate effusa. *A materia.*

In *rebus lætis* accinuntur: *Genethliacum* seu Natalitium diei natali: *Epithalamium* seu Nuptiale (Hymenæus, *Ab Argumento læto*

næus, Thalassio, Thalassus) Nuptiis: *Soteria*, *(orum)* consanato: *Propempticum* seu *Apobaterium* discedenti: *Epibaterium* rever/tenti: *Eucharisticum* bene merito: *Gratulabundum* honores adepto: *Epinicium* victori: *Scolia, (orum)* convivis: *Hymni* sunt laudes Dei & Divorum (*Pæan* olim cantabatur Apollini:) *Panegyrico* laudantur homines: *Prosevcticum* seu Votivum vota continet, &c. De Comicis infrà.

Ab argumento tristi. In *rebus tristibus* sunt *Tragœdia* & Tragica. *Elegiæ* vel Elegiaca, ἀπὸ τοῦ ἐλέειν, lamentari; breviusculum est *Elegidion*; quanquam nihil prohibet, quin lætius etiam argumentum admittant. *Epicedium*, Epitaphium, lessus, næniæ, threni scribuntur & canuntur defunctis. Vituperia continent *Satyræ* vel Satyrica, à procacitate Satyrorum dictæ. *Diræ* sunt execrationes & imprecationes adversùs malos. *Erotica* seu Amatoria plerumq; sunt Fescennina, ideóq; vetita.

Ab instrumentis & pedibus. Ab *instrumentis* indigitantur: *Lyricum* à lyra, quæ Hymnis & Odis, ut meminimus, adhiberi consuevit. A *pedibus* frequentioribus: *Dactylicum* à frequentatis dactylis: *Anapæsticum* ab Anapæstis: *Jambicum* à Jambis: *Choriambicum* à Choriambis: *Choliambicum* seu *Scazonticum* aut Scazon à Spondeo, pro Jambo in ultimum locum substituto, ideóq; claudicante: *Trochaicum* à Trochæis, &c. *Versus Comicus*, exceptô sextô, (qui Jambus est) Jambum, Tribrachyn, Spondeum, Dactylum, Anapæstum, sine discrimine admittit.

A numero syllabarum. A *numero syllabarum*: *hendecasyllabum* ab undecim syllabis, &c. A numero pedum, seu mensura: *hexametrum* seu *senarius* versus à senis pedibus; *pentametrum* carmen à quinis; ubi singuli pedes singula metra constituunt; contrà quàm in Jambicis

acci-

accidit & Trochaicis, in quibus duo pedes faciunt metrum; unde versus *Dímeter*, qui constat quaternis pedibus: *Trimeter*, qui senis: *Tetrameter*, qui octonis. Grammatici hanc metiendi differentiam διποδίαν & μονοποδίαν nominant. Distributio & enumeratio, seu mensio pedum, vulgò dicitur *Scansio*.

A *numero versuum* carmina quædam vocantur *Monósticha*, unicô versu contenta: quædam *Dísticha*, (stichos enim est versus, & hemistichium dimidius) quæ duobus: *Tetrasticha* quatuor; & deinceps *Pentasticha, Hexasticha, Heptasticha, Octosticha, Enneasticha, Decasticha*, &c. *A numero versuum.*

A *numero & varietate carminum*: *Monocólon* ab una specie versuum: *Dicólon* à duplici (v.g. hexametro & pentametro:) *Tricólon* triplici: *Tetracólon* quadruplici; ut in diversis Odis *Horatianis* cernitur. *A varietate carminum.*

A *numero versuum & ordine revertendi* ad *eandem Stropham*. Sic *Monóstrophos* Ode, eadem cum monocólo: *Distrophos*, quando post bina diversi generis carmina, aut versus, reditur ad bina ejusdem speciei, eodemque ordine: *Tristrophos*, quando post ternos versus: *Tetrastrophos*, quando post quaternos. Sic in Sapphico cum Adonico, binarius est carminum ordo, quaternarius versuum; unde dicitur *Dicólos Tetrastrophos*. Quòd si strophæ ipsæ sunt diversitate carminum inter se distinctæ, vocant Oden *antistropham* vel ἀντίστροφον. Erant autem *Stropha* apud Veteres conversio corporis sinistrorsum; Antistrophe reversio dextrorsum. *Epódos* admodulatio, facta à stante in medio ante aram Gentilium Numinum. *A numero versuum & ordine.*

Denique à *syllabarum additione* vel *detractione* seu defectione. Sic carmen Acatalecticum, cui nulla *A syllabarum ratione.*

 sylla-

syllaba redundat: Hypercatalecticum seu Hypermetrum, quod unâ syllabâ redundat: Catalecticum, cui syllaba deest; Brachycatalecticum, quod unô pede caret.

Figuræ Poëticæ. Jam *Figuræ* ad Prosodiam spectantes pleræq; nomine Metaplasmi comprehenduntur. Est autem *Metaplasmus* transformatio recti solitiq; sermonis, in formam insolitam; aut necessitate: aut concinnitate metri facta. *Metaplasmi* species oriuntur vel per additionem syllabæ, ut est *Prothesis*, quæ syllabam initio vocabuli adjungit, v. g. tetuli pro tuli. *Epenthesis* in medio, ut; navita pro nauta. *Paragoge* in fine, ut: dicier pro dici. Vel per detractionem. Sic *Aphæresis* principio dictionis aliquid detrahit, ut: ruo pro diruo. *Syncope* medio, ut: periclis pro periculis. *Apocope* fini, ut peculi pro peculii. Quid porrò sit Crasis, Diæresis seu Dialysis, Metathesis, Tmesis, Systole, Diastole, Ecthlipsis, Synalœphe, Dialœphe, &c. Consule libros Prosodicos.

Desiderius. Vah, quæ fruteta nostris plantis sunt proculcanda, donec ad promissos Aonidum hortos penetremus. *Mercurialis.* Compendiariâ te duxi; cùm totis alii voluminibus seu potiùs silvis involvant hæc, & post longos circuitus non pertingant eò, quò tu anhelas. Neque putes, has tibi Grammaticorum minutias contemnendas, sine quibus magna haud constant: quàm multi ad ipsa hæc Græcorum vocabula tanquam ad peregrina monstra stant attoniti, credúntq; Manes ab inferis exciri: Ad radicem Parnassi jam stamus, nequidquam sublimiùs enixuri, nisi humiliora hæc pedibus subjecerimus. *Desiderius.* Devorabo, quidquid hoc erit viæ. *Mercurialis.* Prætergressi Poëmatum genera superiùs recensita, propiùs ad species accedamus. Ecce tibi *Epigramma* in hoc Heliconis colliculo *Epigrammata* se nobis offe-

offerunt, quorum laus in brevitate, argutia, venustate seu suavitate consistit: nimirum Poëmatia sunt, simplici rei cujuspiam vel personæ vel facti indicatione contenta. Primô Græci sermonis significatu possunt dici inscriptiones, elogia, lemmata, statuis, trophæis, imaginibus addita. *Emblema* verò picturam esse, puta, seu imaginem, aliquid symbolicè seu figuratè repræsentantem; unde symbolum quoque vocatur, adjunctô lemmate, seu dictô sententiosô, quod figuram explicat, & vicissim ab ea explicatur. v. g. navis in fluctibus cum epigraphe: *surgo surgentibus undis*; significat virum, rebus adversis infractum: sic cucurbita aquis supernatans, cum subscriptione: *abluor, non obruor*: sic columna, cui pars domus innititur, cum verbis: *pondere firmior*: sic planta piperis cum lemmate: *contusum acrius*. *Emblema.*

Ænigma est Oratio, seu Quæstio, obscuritate Allegoriæ, intellectu difficilis; qualia olim Symbola Pythagorica. Dicitur etiam *Griphus*, à genere retis involuti. Veteres Latini *Scrupum* appellârunt, vel, ut volunt alii, *Scirpum*, teste *Gelliô*. Consistit aliquando in una voce: ut, cùm Digones dicitur *canis*; aliquando in diversis vocis divisæ significatis, ut *dominus*. Aliquando Dialecticum est, constans propositionibus: ut: *quod capio, abjicio: quod non capio, servo*. Aliquando est obscura & figurata descriptio, qualia ferè hodiè sunt usitata. *Ænigma.*

Ænigmatica quæstio strictius est in sola rei significatione consistens, qualis illa *Virgiliani* Pastoris.

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium, non amplius, ulnas.

Et illa Oedipo à Sphinge proposita; dic mihi:

Quæ manè incedit pedibus natura quaternis?
Luce bipes mediâ? Sole cadente tripes?

Loggriphus implicat nodos vocis tantùm & literarum; v.g.

Cornua ventre gero, numeros in vertice multos:
In pede serpentem, dic mihi, sum quis ego?

Desiderius. Ad hos nodos dissolvendos Alexandri sit opus gladiô. *Mercurialis.* Ergo *Davus es*, *non Oedipus.* *Desiderius.* Quid hoc? *Mercurialis.* Davus servus Comicus, de re obscura interrogatus, negabat se Oedipum esse, qui intricatas Quæstiones extricaret. In primo Ænigmate dicitur *Virgilius* studiò voluisse torquere Grammaticos; hinc in ejus explicatione mirè variant; aliqui etiam desperant. Quidam ajunt esse puteum, in cujus aqua cœli imago resplendeat. Alterô describitur homo, infans, vir, senex. Tertiô involvitur vocabulum MVS. At Quæstionem partim ex re, partim ex voce constantem, nominant *Ænigmatogryphum*, ut:

Candidior cygnô, si sum sine corde, nitebo;
Præpite nigrabor, si mihi corda dabis.

Desiderius. Quid est hoc? *Mercurialis.* Nix est; quæ fiet cornix, si syllabam, *cor*, adjeceris. *Desiderius.* Delectas me. *Mercurialis.* Quò altiùs in Aonium montem ascenderis, hoc plus voluptatis senseris. Hæc interea, ad pedem, ut antè monui, Heliconis, protrita ab aliis, nos quoque teremus. *Anagramma* (indulgeo ætati tuæ, talia nôsse cupienti) seu *Anagrammatismus*, est literarum, nullâ omissâ, transpositio, cum quadam sensûs venustate; ut: *Lucianus* inversè *Calvinus*, uterque superûm irrisor. Sic ex *Eva* fit *Ave*: ex voce *corpus*, *porcus*: ex *Logica* *caligo*.

Chronostichon, & Chronologicum.

Chronostichon, (si versus est) aut *Chronologicum*, nomen, vel sententia, exprimit literis numeralibus tempus, quarum sunt septem Romanis. M. D. C. L. X. V. I. Sic, exempli gratiâ, geminæ voculæ:

Chri-

ChrIstIna aDMIrabILIs, continent in se numerum anni M. DC. LV. quô Christina, Sueciæ Regina, ad partes Catholicorum transiit. *Acrostichon* carmen, in quo capitales (aliquando etiam finis respondet) litteræ nomen aliquod includunt. Interdum *cephalonyma* sunt in singulis dictionibus, ut ex his vocabulis resultat Sanctus Thomas:

Scripturæ Ad Normam Cùm Tanta Volumina Scribam,
THeiologos Omnes Metior Atque Sophos.

Palindromum (seu retrogradum, anástrephon, anastrophicum, cancrínum, Sotadeúm vel Sotadicum ab Inventore quod in seipsum recurrit, seu reciprocum est; quibusdam *serpentinum*; ut vulgatum illud; Abéle dicente: *Retrogradum carmen.*

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo.

Respondente Cainô:

Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

Vel quod adscribitur Cacodæmoni:

Signa te signa, temerè me tangis & angis:
Roma tibi subitò, motibus ibit amor.

Huc revocantur versus & voces è regione sibi respondentes, ut illa de Marone:

Pastor, arator, eques; pavi, colui, superavi:
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

Item, Libido;

Corpus, opes, animam, consortia, fœdera, famam,
Debilitat, perdit, necat, adit, destruit, aufert.

Ethicum seu *Echeticum* est, ubi Echo; & concurrit extremæ vocis responsio & repetitio. *Cento* congestum est carmen è pluribus unius vel plurium Poëtarum corrasis & consutis versibus. *Centaurínum* appellant, quod ad formam aliquam, v. g. poculi, clypei, rhombi, cunei, exprimendam, è diversis metris, longis & brevibus, componitur. *Leonini* *Ethicum.* *Centaurinum.* *Leoninum.*

T 3 ver-

versus à Leone quodam, frigido Poëta, dicti & excogitati sunt; nectuntur syllabis per intervalla simili sono respondentibus, ut:

Hic jacet Henricus, veræ pietatis amicus,
Ore fuit suavis, moribus atque gravis.

Chronostichon simul & Leoninum hoc est, antiquæ simplicitatis:

CaroLVs est IntVs reCVbans, hoC noMIne QVIntVs,
EX rebVs gestIs, reLIqua hæc sCIre potestIs.

Mortuus est enim anno 1557.

Taceo plura horum similia, ingeniorum tormenta, & trivialia plerumque Poëtastrorum commenta, ne videamur urticas potiùs quàm flores in Helicone velle legere; sunt, qui hæc ex instituto tractantes, cùm Parnassiam laurum nequeant decerpere, quærunt laureolam in mustaceo. *Desiderius.* Quid hoc sibi vult? *Mercurialis.* Ex re frivola insignem laudem captant; nam mustaceus seu mustaceum est libi genus, cui aliquid additur de lauri virga derasum. Tu, si me audis, aliis artibus, ad nomen Poëtæ grassaberis; &, relictis hisce nugis, præclaros illos *ligatæ* eloquentiæ artifices æmulaberis, eorum monumenta revolvens; nec perfunctoriè tantùm, sed cum cura & industria. Initio verecundè ad horum choros accede, nec te illis, quippe profanus, præfidentiùs misce. Novi, qui Phœbi calorem in pectus traxerunt, dum Veterum dissolverent Poëmata, & in stilum metris liberum mutarent; & hunc iterum transferrent in Orationem numeris vinctam, disparem characterem seu scribendi modum non oscitanter animadvertentes; idque in materia facili, amœna, fœcunda; neque enim è quovis silice elicitur aqua. *Desiderius.* Huic consilio attemperabo meos conatus. *Mercurialis.* Cavebis autem in *imitatione Poëtica*, ne misceas

Imitatio Poëtica.

misceas quadrata rotundis. Non ita distant æra lupinis; ut Lyrica & Elegiaca, Heroica & Satyrica; nec verbis inter se, nec sensibus, nec structurâ convenientia. Quis enim frequentiores Hellenismos tolleret in Epico; quis vituperet in Lyrico? quis, nisi mente motus, circumductas periodos quærat in Satyra; quis non requirat in Poësi Heroide? quis exultantes illos ac liberiùs ementientes Tropos admittat in Elegiam? Suum cuique Poëmatio pulchrum est; hinc accidit, ut haud paucis Poëmatis unica desit syllaba, & corrumpat omnia. *Desiderius.* Quænam illa? *Mercurialis. Mens,* seu judicium. Hoc opus, hic labor est; secùs; quid expectes, quàm triobolares Bavios & Mævios Threiciis notis compungendos, & Chærilos colaphis impactis mulctandos? *Desiderius.* Tanti poëtari non emo. *Mercurialis.* Hoc verbum prohibessint Musæ; lignum es, unde & Mercurius & Apollo possit sculpi. Quid dico sculpi? jam es sculptus. *Desiderius.* Tali me non dignor honore. *Mercurialis.* At ego te dignor. *Desiderius.* At ego te, quidquid hîc dedolatum est, Phidiam & Praxitelem agnosco. Sed cedò, quoniam dixisti, in Schola Poëtica seu Humanitatis adolescentum animos ad eruditionem institui, quodnam est discrimen & quis selectus cùm Historicorum inter se, tum Poëtarum, quos suprà appellâsti Classicos, & de quorum ætatibus memorâsti. *Mercurialis.* Super his doctorum aperiam tibi judicia Virorum, quibus meum quoq; calculum, si quid is valet, adjcio.

Judicium de Auctoribus Latinis.

Extra censum & numerum venit *M. Tullius Cicero,* Romanæ Princeps & flumen Eloquentiæ, ex quo, tanquam artium omnium fonte, quidquid liberô homine dignum est, haurire licet. De quo Fabius Quintilianus gravissimè testatur, in hæc verba:

Ille se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit: post Tullium memorandus *C. Julius Cæsar*, non melior gladiô, quàm stilô, purus & nativi sermonis: *Livius* grandis & circumducti sermonis: *Æmilius*, pressus & limatus: *Salustius* brevis & gravis: *Curtius* floridus: *Paterculus* clarus & profluens: *Cornelius Celsus* Medicorum Cicero. *Seneca* Philosophus disertus, præruptus, sententiosus. *Valerius Maximus* varius; aliquando minùs Latinus, judiciô quorundam. *Plinius Major* eruditus, & linguæ Latinæ propagator: *Plinius Minor* elaboratus: *Lucius Florus* strictus & elegans: *Suetonius* jucundus & nervosus: *Tacitus* prudens & densus sententiis: *Aullus Gellius*, vel Agellius, Antiquarius: *Macrobius* Græculus, Latinè balbutiens: *Justinus*, epitomes Scriptor, non indisertus.

De Poëtis. Jam inter Poëtas Epicos, Rex & Latinus Homerus, *Virgilius* Mero: *Lucretius* Philosophus, sed politus: *Claudianus* cultus: *Ovidius* ingeniosus: *Statius* sublimis & rapidus: *Lucanus* Historicus; quos longiùs insequuntur *Silius Italicus* & *Ausonius*. Inter Elegiacos, nitidi & tersi *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*: facilis & fluens *Ovidius*. Inter Satyricos, *Persius* acutus & obscurus: *Juvenalis* falsus: *Horatius* splendidus & copiosus; idem est inter Lyricos Princeps, & numeris omnibus perfectus. Inter Epigrammatum Scriptores, *Martialis* festivè mordax, & quia non peregrinus in rebus culinæ, ideò quibusdam vocatur Cocus. In Comœdia, lepidissimus *Plautus*; elegantissimus *Terentius*; In Tragœdia, unus & omnia *Seneca*, spiritu plenus. *Desiderius.* Beâsti me tantorum Virorum recensione. *Mercurialis.* Utinam quidam illorum (quanquam quid mirum, in illis commentitiorum Numinum cultoribus) spurcô calamô castam Latinitatem non incestâs-

stâssent; unde pudicis manibus non attrectandi, nisi ab obscœnitate purgati. *Desiderius.* Hujus contactum picis cavebo. *Mercurialis.* Cum antiquis illis Linguæ Latinæ Patribus quidam è posteris usque ad invidiam certant imitatione; quos in numerato habeo, & tibi depromam aliàs. *Desiderius.* Cùm narrationes & descriptiones epistolares in frequentissimo sint usu, de utrisque, ut paucula edisseras, rogo. *Mercurialis.* Opportunè mones; nam quibus aqua hîc hæret, ecquando flumine tingentur Eloquentiæ? De *Narratione* (sive sit historica, fabulosa & Poëtica) hæc accipe. Ut scitè componatur, cumprimis rerum & temporum ordo est servandus tibi: non intermiscendæ digressiones importunæ: utendum verbis claris & usitatis: narrata conveniant naturæ, rei, personis, temporibus, locis: cujusvis causa facti & eventûs proferenda; quæ extra rem, non afferenda, nec altiùs repetenda: nec minutissima quæque persequenda; quæ nihil aut parùm ad propositum faciunt omittenda. Ut brevitati consulatur, sit Narratio nuda, simplex, lucida, nihil continens superfluum: nec intricata, nec obscura; adhibenda aliqua divisio & partitio: interrogationes interponendæ: excusatio longioris sermonis, si hunc requirat causa, adhibenda: aliquando, exercitationis ergo, de industria comitur & extenditur. Suavitatem & jucunditatem habebit, si non eodem tenore decurrat: si modò breviore stylô, modò prolixiori feratur: si figuris illustretur, colloquiis, suspensionibus, & aliis Rhetoricæ ornamentis: si magna, nova, & rara dicantur: si rerum inopinati eventus adferantur: si mores hominum & affectiones exprimantur; si breves addantur epilogi, aut historicum quid inferatur.

Narratio.

Narrationis Poeticæ & Fabulosæ discrimen.

Desiderius. Dilucidè narras, quomodo narrandum sit. De *Poëtica* & *Fabulosa* Narratione ambigo; num per omnia conveniant. *Mercurialis.* Aliquid discriminis intercedit; nam Poëtica exponit res fictas quidem, & nunquam factas, quæ tamen fieri potuerunt; cujusmodi sunt argumenta Comœdiarum. Fabula memorat res, quæ neq; factæ unquam fuerunt, neq; fieri ullô modô potuerunt; quales Æsopus excogitavit; & Ovidius in sua Metamorphosi confinxit. *Desiderius.* Memori reponam mente, quæ doces? Quid *de Epistola?*

Epistolarum genera.

Mercurialis. Est illa sermo absens ad absentem, & tacitus animi nuncius: imago mentis nostræ; sincera, cùm gratulatur: verecunda, cùm petit: urbana, cùm jocatur: nullius oblita meriti, cùm agit gratias: sollicita, cùm commendat: aperta, cùm narrat: familiaris, cùm de rebus domesticis aut ad amicum agit: seria, cùm monet: erudita, cùm docet: lenis, cùm consolatur: ad obsequium & officium prompta, cùm promittit, &c. Argumentum Epistolicum vel ab officio, vel à negotiis ducitur; illud *morale* dicitur & *officiosum*; hoc *negotiale*, occupatúrq; in significando rerum statu, & enarratione eorum, quæ aguntur & geruntur. Distribuitur Epistola in partes sex: Prima est Salutatio, cum ejus, ad quem scribitur, conveniente titulo. 2. Exordium seu ingressio. 3. Res ipsa, de qua scribitur. 4. Vale, seu valedictio. 5. Tempus, quô literæ exaratæ, & tabellioni datæ, cum syngrapha seu subscriptione dantis, & nota chirographi, seu sigilli. 6. Epistolæ clausæ & obsignatæ additur epigraphe (inscriptio, superscriptio) cum nomine & dignitate illius, cui mittitur. Scripturus Epistolam consideret, quis sit ipse, qui scribit, aut cui scribat; & quibus de rebus: notus, an ignotus, par, an impar; postulans,

an ro-

an rogans, excusans, an objurgans, &c. Pluribus præceptionibus non est opus, cùm stilus epistolaris sit aptandus rei; & modus ipse scribendi tam varius, quàm est varia hominum inter se collocutio. *Desiderius.* Quæ non disco in jugo Heliconio? *Mercurialis.* Utique non tam multa vigilans, quàm dormiens ibi Hesiodus. Satis hîc tractum moræ; nunc via monet, *Campos* ut ingrediamur *Rhetorices*, quorum in infinitum patentium fusa planities cùm nec oculis prospici satis ac provideri possit, quibus nos pedibus eos emetiemur? cúmque nihil sit, de quo disputare non debeat Orator, necesse est, omnia prorsus, quæ in mundo sunt, in hoc argumentum cadere, & vastissimô hoc camporum æquore circumscribi. *Desiderius.* Ubi ergo ponemus vestigium, ubi figemus terminum? *Mercurialis.* Quære, unde ducamus exordium; usque adeò pleni sunt omnes libri, plenæ sapientium voces, nihil ut celebratius, nihil ornatius & explicatius sit Rhetoricâ. *Desiderius.* Forsan & implicatius; sicut in vasto pelago, ubi nihil est, nisi pontus & æther. *Mercurialis.* Hanc quis Nympham, Rhetoricam ajo, sibi non sumpsit exornandam, aut domum ducendam? quam tanti fecit Aristoteles, ut, editis antè præstantissimis operibus, non alium colophónem libris suis imponendum censuerit, quàm à Rhetoricâ, de qua luculenter scripsit. Tullius verò, incredibile est, quantô ornatu perfectum Oratorem expinxerit; quibus libris nihil gravius, subtilitate elegantius, varietate jucundius, ubertate & copiâ est fructuosius. Jam M. Fabius Quintilianus quid neglexit in præceptis Rhetoricæ tradendis? Quos per omnes deinceps ætates consecuti alii atque alii quam multiplici labore produxerunt *Praxes Oratorias*, *Tirocinia*,

Digressus ad Rhetoricam.

Ariadnas.

Ariadnas, Candidatos, Palæstras, Palatia, Apparatus, Campos Eloquentiæ? An toties calcata iterabimus inculcandô? *Desiderius.* Ex nutu pendeo tuo. *Mercurialis.* Itineris ratio & ſuadet, & cogit, ut & nos percurramus campos iſtos, non, ut ῥιζότομοι, herbas & radiculas collecturi: nec, ut agricolæ, plauſtra gramine fœnóque oneraturi: nec, ut pictores, floſculorum colores & formas penicillô imitaturi: nec, ut otioſi ambulatores, oculos curioſâ varietate paſturi; ſed, ut viatores, tendentes longiùs, & transcurrendô miſcellaneum faſciculum ſparſim decerpturi. Quod ſi inter ambulandum quædam tibi jam antè nota ingeſſero, id peregrinantium confabulationi indulgendum cogita. *Desiderius.* Perge, & fabulare. *Mercurialis.* Pro penſo parœmiaco cape. *Invenire ſtropham*, ſeu verſutiam. *Palinodiam canit*, qui recantat, & revocat, quod dixit. *Quid tibi Apollo cecinit?* Quæſtio, occulta ſcire volentis. Apertas Muſarum januas habet ingenioſus. Et quæ non vel haurienda ex Hippocréne, vel legenda ex Parnaſſo? Nos Roſtra vocant.

Caput LIV.

Rhetorica.

NOmen habet à Græco verbo ἐρέω, ſeu inuſitato ῥέω, dico, Latinè dicitur *Oratoria, ſeu Ars benè dicendi.* Quibusdam placet appellare *Rhetorem*, illum, qui hanc facultatem vel docet; vel præcepta eloquendi callet. *Oratorem* verò, qui de re quavis ornatè & copiosè loqui ſciat; qualis erat olim, qui in judiciis & concionibus forenſibus facundè & diſertè verſabatur; *Declamatorem* vocant, qui, ſe aliósve exercendi gratiâ, umbratilem cau-

Rhetor. *Orator.* *Declamator.*

causam agit; artificiosas Orationis illecebras captans; quem Veteres etiam *Sophistam* appellabant; quod tamen nomen perinde, ut *Tyrannus*, postea infame est factum; *Rhetorculus* erat, qui frigidas quasdam Græcorum rabularum versutias & stolidam facundiam docebat juventutem.

Est autem *Oratio* sermo gravis, copiosus, non interruptus, ad persuadendum accommodatus; quod fit *docendô, delectandô, flectendô*; sive Quæstio, circa quam versatur, sit *Universalis* (Infinita, Thesis;) sive *Singularis* (finita, Hypothesis) contracta ad certa loca, tempora, personas. *Partes Orationis*: Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio, seu Epilogus; *Rhetoricæ* verò, *Inventio*, excogitans verosimilia ad quæstionem seu causam probabilem reddendam. 2. *Dispositio*, res inventas in ordinem distribuens. 3. *Elocutio*, idonea ad inventionem verba & sententias accommodans. 4. *Pronuntiatio*, vocem & gestus apposite moderans. 5. *Memoria*, orationem firmiter percipiens. *Partes Orationis & Rhetoricæ.*

Fontes *Inventionis* numerantur undecim præcipui. 1. Varia rerum eruditio. 2. Historia. 3. Fabulæ & Apologi, ac Parabolæ, (fictæ scilicet narrationes, brutorum animantium colloquia, & comparationes à re simili ductæ, &c. 4. Adagia, seu Parœmiæ. 5. Symbola, Ænigmata Hieroglyphica. 6. Emblemata. 7. Testimonia Veterum. 8. Gnomæ, vel Apophthegmata, seu Sententiæ breves & acutæ. 9. Leges ac ritus. 10. Sacræ Litteræ. 11. Ingenii vis, & ratiocinatio. Quò serviunt *Loci*, qui dicuntur *Rhetorici*, (sedes argumentorum) è quibus alii *Interni* sunt vel *Insiti* materiæ, quæ tractatur; alii *extrinsecus* assumpti, seu *Externi*, aut *Remoti*. E quibus ducuntur probabilia & verosimilia argumenta, seu *inventa* ad faciendam fidem, sive obtinendum *Inventio.* *Loci argumentorum.*

dum assensum; quæ deinde argumentatione explicantur, pressiùs à Dialecticis; ornatiùs & liberiùs ab Oratoribus. Illi tripartitô plerumq; syllogismô; hi quinquepartitô utuntur, dum rem *definiendô* & *describendô* quasi involutam evolvunt, & explicant; vel in suas partes *distribuunt*, eásque *enumerandô*, uberiùs pertexunt; vel *Etymologiam* (etymon, notationem, verborum originem) inquirunt; vel *ludunt* in vocabulis inter se *cognatis*, & à se invicem *derivatis*, vel per *genus* & *formam* seu speciem, ab hypothesi (singulari quæstione) ad thesin (universalem) ascendentes, vel descendentes, & contrà, vel per *similitudinem* aut per *dissimilitudinem*, simile quid ex re dispare colligunt, idque potissimùm per *parabolas, exempla, inductionem*; vel *contraria* & adversa contrariis & adversis opponunt; vel ea pensitant & connectunt, quæ probabiliter aut etiam necessariò cum re conjuncta sunt, aut præcedunt aut consequuntur, (*Adjuncta, Quintil. circumstantiæ, antecedentia, consequentia* vocantur) tritô versiculô comprehensa: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?* vel per *quatuor* rerum *causas* (*efficiens est*, quæ facit; *materia*, ex qua fit; *forma*, per quam una res ab altera distinguitur & dignoscitur; *finis*, propter quem aliquid fit) excutit & examinat; vel res ejusdem ordinis inter se secundùm id, quod *majus, minus, par*, comparat; vel à *præjudiciis* seu caussis jam antè judicatis; aut à *rumoribus* & *fama*; aut à *tormentis* & *quæstionibus* legitimè adhibitis; aut à *tabulis* & *auctoritatibus*; aut *jurejurando, testibus* & *testimoniis* (humanis ac divinis) veritatem petit & confirmat; ídque per *quæstiones* (ut diximus) sive finitas sive infinitas: *conjecturales*, seu conjecturæ, cùm quæritur, an res *sit, fuerit, facienda* sit. v. g. an bellum geren-

Quæstio, seu status triplex.

dum.

dum. Aut *definitionis*, cùm inquiritur, quid ſit. v. g. an C. Julius Cæſar Rex fuerit, an Tyrannus. Aut *qualitatis*, cùm quæſtio oritur, quale ſit, honeſtum, an inhoneſtum, utile, an inutile, &c.

Ex his quæſtionibus oritur genus Orationum ſeu *Cauſarum*, ſcilicet *Exornativum*, (Exornationis, Demonſtrativum, Epidicticum) laudandô quidpiam, vel vituperandô, magis ad delectationem & admirationem, quàm ad pugnam forenſem. Huc referendæ tabulæ titulíque laudandi & ornandi homines, à bonis corporis, fortunarum, animi. Item quævis animata & inanimata, artificioſa, naturalia, moralia, virtutes, ſcientias, urbes, regiones, flumina, &c. ubi maximè locus *Ethopœiæ* ſeu expreſſioni morum alicujus perſonæ; & *hypotypôſi*, ſeu deſcriptioni ad vivum, cauſis, effectis, partitioni, comparationibus, ſimilibus. Huc etiam pertinent Orationes variæ, *Funebres, Nuptiales, Genethliacæ, Euchariſticæ, Panegyricæ.* Item Epiſtolæ (quas vocant) Nuntiatoriæ, Laudatoriæ, Commendatoriæ, Gratulatoriæ, Gratiarum actrices, Dedicatoriæ, ſeu Nuncupatoriæ, Officioſæ, Jocoſæ, Flebiles, Mixtæ. *Tria genera Cauſarum. Genus Exornativum.*

Deliberativum ſeu Deliberationis genus continet ſuaſionem & diſſuaſionem, concitandô ſpem, conſequendi *utilis, honeſti, neceſſarii, jucundi*; aut incutiendô formidinem accipiendi detrimenti: fieri poſſe & facilè quidem. Huc ſpectant Epiſtolæ Hortatoriæ, Dehortatoriæ, Conſolatoriæ, Petitoriæ, Objurgatoriæ, Imperantes, Prohibentes, &c. *Genus deliberativum.*

In *Judiciali* accuſatur aliquis, vel defenditur ad obtinendam punitionem, vel impunitatem, prout vel ſævitia excitatur, vel clementia; *Apologia* & *Genus Judiciale.*

Defen-

Defensio penes accusatum est. Hujus generis sunt Epistolæ Accusatoriæ, seu Expostulatoriæ, (ita loquuntur Grammatici, rectiùs Accusantes, Expostulantes, &c. Exprobratoriæ, Invectivæ, Excusatoriæ, seu Purgatoriæ, Deprecatoriæ, &c.

Secunda pars Rhetoricæ, Dispositio. Secunda pars Eloquentiæ est *Dispositio*. *Naturalis* ordinem naturæ sequitur; secundum quam, alterum alterô prius est tempore, naturâ, locô, dignitate. *Artificialem* Dispositionem constituit ars Oratoris, vel utilitatis, vel voluptatis causâ. Partes Orationis sunt, (quod suprà meminimus) prima, *Exordium.* *Exordium*, quod auditorem *benevolum, attentum, docilem* reddit; cujus partes sunt duæ: *Principium* vocatur, cùm apertè & sine ulla dissimulatione statim exponitur res dicenda; *insinuatio*, cùm latenter, *Narratio.* obliquè, quasi per ambages; secunda *Narratio*, res gestas proponens breviter, & probabiliter; tertia, *Confirmato.* *Confirmatio*, res vel probans, ac confirmans; vel confutans, rectô argumentorum ordine: quarta, *Epilogus,* *Peroratio*, seu *Epilogus*, (artificiosus Orationis terminus seu exitus) ea, quæ per totam Orationem sparsa sunt, quasi in unum colligit, Græci ἀνακεφαλαίωσιν vocant) & motus vehementiùs concitat.

Amplificatio. Maxima vis Oratoris est in hominum mentibus permovendis; quod fit *Amplificatione*. Hæc verò est gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem; conficitur & verborum genere & rerum; nam amplificare non est, inani verborum exaggeratione rem augere supra modum, eíque plus tribuere, quàm veritas concedat, hoc enim mentientium est; sed eam ita dilatare, ut partes omnes aliæ aliis insertæ, innexæ & permixtæ, ita sub aspectum subjiciantur singulæ, ut ap-

ut appareant seorsim. Quò maximè facit *Distributio partium, Definitiones, Adjuncta, Contraria, Consequentia, Similia, Exempla.* Ubi observandum, non rem quamlibet minutam, & exilem, capacem esse amplificationis, & si qua est, eam non nimis esse enucleandam, ne videamur velle eviscerare pulicem.

Tertia pars Rhetoricæ, Elocutio.

Sequitur *Elocutio,* quæ cernitur & in *delectu* verborum & in *compositione* Orationis. Verborum *delectus* requirit dictionem Latinam, perspicuam, ornatam, quò spectant Tropi. *Compositio* complectitur Figuras Verborum ac Sententiarum; & structuram seu collocationem dictionum, ut lenis æquabilisque fluat Oratio, circa ordinem, juncturam, numerum; ut sunt commata. membra, articuli, periodi, seu circuitus quidam, tum Verborum tum Sententiarum; quem *Cicero* vocat ambitum, comprehensionem, orbem, clausulam, continuationem, &c.

Tropi.

Jam (ut hoc demus Romanæ Linguæ tironibus) *Tropi* appellamus, illas sive verborum singulorum, sive sermonis, mutationes, quæ propriam significationem in alienam aut minùs propriam transferunt; soléntque numerari undecim. In uno quidem verbo septem: ut *Metaphora*, in verbi translatione similitudinem includens; v. g. rident prata. 2. *Synecdoche*, seu intellectio, significatum partis traducens ad totum, aut contrà; antecedens accipiens pro consequenti, &c. v. gr. vixit, id est, mortuus est. 3. *Metonymia*, seu *Hypallage*, ponens causas pro effectis; contenta pro continente; signa pro rebus, &c. v. g. ardet Ucalegon, id est, domus Ucalegontis; mugiunt prata, fasces pro Magistratu. 4. *Antonomasia*, seu pronominatio, nomen sumens commune locô proprii; v. g. Philoso-

U

losophus pro Aristotele; Apostolus pro sancto Paulo. 5. *Onomatopœia*, fingens nomina; v.g. patrissat, quia patris indolem refert. 6. *Catechresis*, nomen accommodatum imponens rei, proprium non habenti; v.g. Pyxis (vasculum buxeum) aurea, ædificant navim. 7. *Metalepsis*, per unum verbum positum, gradatim plura significans; v.g. post aliquot aristas, id est, segetes, messes, æstates, annos. In pluribus verbis, 1. est *Allegoria*, aliud verbis, aliud sensu indicans; Metaphoram dixeris continuatam; v.g. immensum spatiis confecimus æquor; de quovis labore arduo superato. Quæ si sit obscurior, transit in *Ænigma*; si irrisionem continet, in *Ironiam*; v.g. ô præclarum custodem ovium, lupum! 2. *Periphrasis* seu circumlocutio, pluribus explicans verbis, quod paucioribus posset dici; v.g. tempus erat, quô prima quies mortalibus ægris Incipit, &c. id est, initium noctis. 3. *Hyperbaton*, perturbans doctè verborum ordinem; v.g. maria omnia circùm. 4. *Hyperbole*, ementiens, vel augendô, ut: fulminis ocyor alis; vel minuendô, ut: vix ossibus hæret.

Neque verò hoc satis ad id, ut quis Eloquens audiat & monstretur digitô: Sed ejus insuper officium est, parva submissè, modica temperatè, magna graviter dicere. Rhetores *characterem* vocant, formam propositæ causæ convenientem, videlicet *summæ* sublimem, (gravem, vehementem, copiosum, amplum) *infimæ* humilem, (tenuem, acutum, subtilem, gracilem) *mediocri* medium, temperatum, æquabilem, floridum. Et genus quidem *Demonstrativum* poscit expolitum & elaboratum characterem: *Judiciale* verecundum & acutum: *Deliberativum* subtilem & accuratum; qui characteres non rarò in ejusdem Orationis partibus diversis conveniunt omnes;

Character dicendi diversus.

omnes; sed à potiore fit denominatio. Id quod de genere causæ quoq; notandum.

In quocunque verò dicendi genere si res enuntientur sermone purô & emendatô, fit Oratio *tersa* & *limata*: si tropicè & figuratè, *florida*: si strictim ac sententiosè, *nervosa*; quæ si cui fluit facilis, is erit *disertus*: si copiosa & jucunda, *facundus*: si ad motum, *eloquens*, sive ex tempore dicat, (extemporalis sit) sive præmediatè. Abusus Oratoriæ facit *rabulam*; stilus scribendi & dicendi brevis, est *Laconicus*; copiosus & diffusus, *Asiaticus*; attemperatus, *Atticus*. Ego verò jam dudum vereor, ne sim longior in his, quàm vel ipsi Asiani; desinam fabulari, si paucula adjecero de verborum *collocatione*, quam oportet esse cohærentem, lenem, æquabilem, fluentem, perspicuam: ordinis recti, juncturæ concinnæ, modi hujusmodi & formæ, in qua nihil inane, inconditum, curtum, claudicans, redundans; sed sit numerosa, judiciô aurium & observatione Prudentum; ad *numerum* ut pervenias, ibis primò per *commata*, seu *Incisa* aut *articulos* Orationis; deinde per *cola*, seu *Membra*; denique ad *Periodum* accedes, & dices incisim, insistendô singulis commatis; v. g. *tenentur literæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio*; membratim verò, pleniorem referendô sensum: v. g. *quando illius postea sica, quam à Catilina acceperat, conquievit; hæc intentata est mihi: hæc insidiata est Pompejo: hæc viam Appiam nece Papyrii cruentavit.* Periodicè verò vel circumscriptè dicit, qui, plura membra connectendô, longiore verborum circuitu & ambitu circumducit Orationem, ut est initium Æneidos:

Verborum collocatio.

Quid Incisa, Membra, Periodus.

> *Arma Virúmq; cano, Trojæ qui primus ab oris*
> *Italiam, fatô profugus, Lavináque venit*

Littora, multùm ille & terris jactatus, & altò,
Vi Superûm, sævæ memorem Junonis ob iram.

In *Primo* ſcribendi genere Senecæ, Saluſtius, Curtii Orationes, &c. pro exemplo habentur; *Alterô* Hiſtorici plerique uſi ſunt; in *Tertio* Marcus Tullius, Livius, & pleriq; Poëtæ Epici excelluerunt: quod tamen cum grano ſalis intelligas, velim. Nam, ut ſuprà monui, quemadmodum non idem dicendi character per totum Orationis contextum excurrit: ita periodorum circumvolutiones, ſtrictiore numero, ut gemmæ majores minoribus diſtinguuntur.

Quarta pars Rhetoricæ, Memoria.

Quarta pars Rhetorices, *Memoria* eſt, (ars ipſa Mnemonica dicitur) ſeu firma rerum ac verborum juxta diſpoſitionem perceptio; eáq; duplex: *naturalis* & *artificialis.* Illa eſt tenacitas firmitásq; à natura inſita, retinendi lecta & audita; hæc comparatur exercitatione & artificiô; poteſt enim reminiſcendi facultas excoli ad celerem impreſſionem, firmámq; retentionem, ac promptam redditionem eorum, quæ præcepta ſunt ſemel; cujus duo ſunt maximè præſidia: *Ordinatio* & *Imaginatio*; illa nihil ſinit incompoſitum & confuſum, hæc tenaciter imprimit ſpecies, quas Græci *idola* vocant. *Memoriæ artificium* conſtituerunt Veteres in locis & imaginibus, ordinatè, modicáq; per intervalla diſtributis, rebúsque, quantum fieri poteſt, accommodatis, quorum imaginariô intuitu, res ipſæ, & cum rebus verba ſine mora occurrant.

Memoriæ artificium.

Juverit & chartæ ſeu ſcripturæ primùm in principales partes diviſæ; tum in notabiliores periodos diſſectæ, notulas aliquas appingere, aut numeros creſcentes, ut ipſa figurarum aut numerorum diſtinctione vis recordandi excitetur. Si quid diſcendum memoriter, faciliùs id fiet, ſi partitò fiat;

fiat; adjuvatur autem memoria non victûs tantùm ratione, ſed temporis quoque; quale id percommodum, quod proximè ante & poſt cubitum eſt; conferunt & tenebræ, clauſis tantisper oculis inductæ.

Varia excogitârunt *Mnemonici*, ad reminiſcentiam artificialem (quam vulgò *Memoriam Localem* dicunt) conciliandam; ſed ædificare tot domunculas, (ut Vir quidam doctiſſimus loquitur) & in iis cellas, & in iſtis cellulas, eſt, eam deſtruere, non vegetare; ac debilitare judicium, & ex homine facere pſittacum. Tutior eſt cultura per attentam rerum ipſarum intuitionem & penſiculatam dijudicationem, crebrámq; iterationem. Tu ſi times offenſationes & vacillationes memoriolæ, fac, ut ediſcendô te exerceas: tantum enim ſciveris, (quod Viri ſapientes pronuntiant) quantum memoriâ tenueris.

Poſtrema pars Eloquentiæ, eſt *Pronuntiatio* ſeu *Actio*, quæ vocis ſonum, corporiſq; motum ac geſtum, cum rerum & verborum dignitate moderatur. *Iracundia* poſtulat vocis genus acutum, incitatum, crebrò incídens; *miſeratio* & *mœror* flebile; *metus* demiſſum, hæſitans, & abjectum. *Vis* contentum, vehemens, & preſsô ſonô. *Voluptas* hilare, effuſum, tenerum. *Modeſtia* grave. Manum ſequantur oculi & utrisque ſe conforment caput ac humeri. *Deſiderius.* Nihil adhuc audivi avidiùs; ita hic me campus, & hæc capiunt germina.

Poſtrema pars Rhetoricæ, Pronuntiatio.

Mercurialis. Hanc tu aviditatem ſtomacho tuo, non cibatui debes meo, qui crambem recoquo. Age verò, è longis Rhetorum ambagibus efferamus pedem. *Deſiderius.* Carpendum promiſeras collectaneum ex his pratis faſciculum; quem ubi pleniorem collegerimus; exibimus hinc. *Mercurialis.*

Trita sunt hæc & obvia per militarem & communem itantibus viam; nos plura non carpemus, ne carpamur ab aliis. *Desiderius.* Si me amas, paucis expedi, quidquid ex his vel juverit reminisci, si sciam; vel si nesciam, didicisse. *Mercurialis.* Si me audis, absiste rogandô; sunt hæc scholis relinquenda, quarum jam limina non terimus. *Chriam*, quis nescit, esse brevem facti alicujus explicationem; vel dicti; vel utriusque; laudandô Autorem sententiæ, vel actionis; & utramque plusculis verbis exponendô, seu interpretandô, strictímque rationibus quibusdam demonstrandô, cum adjuncto breviusculo Epilogo. *Locus Communis* est Oratio laudes alicujus aut vitia exaggerans, qui potest communiter iis omnibus attribui, qui ejusdem laudis aut vitii participes; v. g. si insector Judam ob avaritiam, quæcunque de illius improba habendi cupiditate dixero, de aliorum quoque dici potest; amplificandô per *ostensionem contrariorum, expositionem facti, comparationem, finem*; à legitimo, justo, utili, facili, honesto, eventuro. *Destructio, seu Subversio*, est propositæ alicujus rei reprehensio & refutatio, ab obscuro, difficili, indecoro, incredibili, repugnante, inutili. *Confirmatio* seu *Asseveratio* est rei comprobatio, à manifesto, facili, decente, probabili, conveniente, utili. Cæteræ Aphthonianæ exercitationes sunt. Tractatio sententiæ, Laus seu Encomium, Vituperatio, Comparatio, Ethopœia, Idolopœia seu fictæ personæ introductio, Prosopopœia, Hypotyposis, Thesis; quæ omnia revocantur ad tria Causarum Genera; súntque partes Orationum.

Chria. *Locus Communis.* *Destructio.* *Confirmatio.* *Exercitationes Aphthonii.*

Porrò de Tropis inveniendis sunt hi versiculi:

Retia, rura, nemus, venatòr, vulnera, miles,
Pastor, aquæ, flammæ dant tibi mille Tropos.

De

De locis Rhetoricis feruntur vulgari metrô hæc:

An, Quid, Quæ partes, Species quæ, Causaq; qualis,
Effectus, Proprium, Annexum, Diversaq; Parq;,
Et quæ Circumstant, quæ sint Exempla petenda.

Cæterùm quoniam sic urges, Verborum Figuræ seu Exornationes fiunt vel per *Detractionem*, ut: Veni, vidi, vici. Vel per *Adjectionem*, ut: Occidi, occidi non Spurium Melium. Vel per *Similitudinem* vocum, ut: amore fecit, non more. Figuræ Sententiarum, non in verbis, sed ipsis in rebus dignitatem suam habent collocatam. Porrò *Adjunctionis* Figuræ sunt: Conversio, Repetitio, Complexio, Conduplicatio, Traductio, Polyptóton, Synonymia seu Interpretatio, Polysyndeton, Gradatio. *Detractionis* quinque: Synecdoche, Dissolutio seu Asyndeton, Adjunctio seu Zeugma, Disjunctio seu Diályton, & Synæriosis. *Similitudinis* vocum octo: Paronomasia seu Annominatio: similiter Cadens seu ὁμοιόπτωτον: similiter Desinens seu ὁμοιοτέλευτον; Compar seu Isocólon. Antitheton seu Contrapositum: Commutatio seu Antimetabole; Correctio; Dubitatio. *Figuræ Verborum.*

Figuræ Sententiarum illustriores, sunt sex & viginti: Interrogatio, Responsio, Subjectio seu Ætiologia, Anteoccupatio seu Prolepsis, Correctio seu ἐπανόρθωσις, Dubitatio, Communicatio, Prosopopœia, Apostrophe, Hypotypósis, Aposiopésis, Ethopœia, Emphasis, Sustentatio, Prætermissio, Licentia, Concessio, Parenthesis, Ironia, Distributio; Permissio, Deprecatio, Optatio, Execratio, Epiphonéma, & Exclamatio. Quibus omnibus exempla, ut appellant, addunt ii, qui de Rhetoricis scripserunt. Nos diutiùs ut his immoremur, neque tu, neq; ego à me ipso impetrâro. *Desiderius.* Quid de modis argumentandi? *Mercurialis.* Ne- *Figuræ Sententiarum.*

cessaria quæstio, cui respondebit Dialectica, ad quam modo accersimur! *Desiderius.* Accedamus impigrè. *Mercurialis.* Muniti pedes ocreis; nam spineta erunt nobis calcanda. *Desiderius.* Non aliter venitur ad rosas. *Mercurialis.* Vox è masculo profecta pectore; eamus, dum calet hic animus. Prius aliquid de dictis melioribus. Quid tua promis è pera?

Desiderius. Fœcundi calices quem non fecêre disertum?

Mercurialis. Tum enimverò, nostro sub cœlo non fiunt tantùm, sed nascuntur etiam Oratores. Commune est illud: *Suada in labris sessitat.* Et hoc: Nunquam

Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.

Et istud *Ciceronis*:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Et facundus Nestor; & Mercurius Deus eloquentiæ; & Hercules Gallicus, catenis aureis ex ore profluentibus, aures & pectora trahens; & *Æneid. 1.* Neptunus, Symbolicus Orator, de quo:

Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Vide ibi cætera, & sedatam eloquentiâ tempestatem. Nobis jam pressiùs disputandum erit.

Caput LV.

Dialectica.

Distributio Philosophiæ.

Philosophia, sive nomen, sive rem spectemus, studium est Sapientiæ. Distribuitur in *Naturalem*; (scil. Physiologiam, seu Physicam, Metaphysicam, & disciplinas Mathematicas) *Moralem*, seu *Ethicam*; & *Dialecticam*. *Prima* rerum naturam scrutatur; *Altera* componit animum; *Tertia* benè disserendi rationem docet, dum ratiocinandô deducit solerter incognita ex cognitis.

Physicum

Physicus versatur circa corpora naturalia cognoscenda, formásque rebus concretas; *Metaphysicus* occupatur circa rerum ideas universales, & à materia sensili abstractas, hoc est, sine ea consideratas. *Mathematicus* circa rerum mensurabilium proportiones se occupat. *Ethicus* circa mores hominum. *Philologum*, jam suprà diximus, amœnioris literaturæ, maximè sermocinatricis, varietate & amore teneri.

Sectæ Philosophorum. Olim *Sectæ Philosophantium* seu familiæ fuêre plures. *Academici* à Gymnasio seu Academia appellationem sortiti sunt, qui & *Sceptici* à quærendo & ambigendo dicti, dum nihil à nobis sciri posse asseverabant. *Stoici* à Stoa seu Porticu nominati, qui hominem ἀπαθῆ & omnis perturbationis expertem volebant, unde ἀπάθεια, affectuum vacuitas. *Peripathetici*, à deambulatione in Lycéo vocati, summum bonum in honestate collocabant. *Pythagoréi* à Magistro suo Pythagora, qui discipulis quinquennale silentium indixit. *Platonici* à Platone; *Aristotelici* ab Aristotele Stagirita, unde discipuli ejus Stagiréi, qui & Peripatetici. A patria Aristippi, *Cyrenaici*; *Cynici* à mordaci lingua, & canino vitæ genere; *Epicuréi* ab Epicuro voluptario. Consecutis temporibus *Nominales* & *Reales*: *Formales* & *Modales* (ut se vocant) invicem confligere cœperunt.

Dialecticus. *Logicus*, secundùm etymon, *Ratiocinativus* dicitur, à λογίζεσθαι, ratiocinari. *Dialecticus* idem quod Disputator, à διαλέγεσθαι, disputare; dum non tantùm per rationem cernit consequentia causásque rerum, earúmq; progressus & antecessiones, comparátque similitudines, rebusque præsentibus adjungit atq; annectit futuras, (quod etiam Prudentiæ, sed aliô tribuitur modô;) sed maximè in veri falsiq;

dijudicationem inquirit, ne quid repugnans rationi mente apprehendat, enuntiet, judicet. Ad quod opus est arte, quæ doceat modum discernendi parvum à recto; idq; præstat Logica *Definiendô, Dividendô, Argumentandô*; quâ quia aliæ scientiæ utuntur ad investigandam veritatem, vocatur ab Aristotele *Organum* seu *Instrumentum*.

Et quia, quod cogitationi objicitur, aut ignotum est, an sit, quid sit, vel quale, aut quantum sit; aut incertum, num sit id, quod esse dicitur, aut putatur; vel num tantum, tale, ibi, &c. aut denique confusum sit, cùm multa se menti simul offundunt, eámque obruunt; fit, ut Logices peritus latentia explicet: multiplicia & ambigua distinguat: indigesta & indiscreta discernat ac ordinet: &, quæ per consequentia ex antecedentibus proveniant, colligat, ac ratione concludat & demonstret; propterea necesse est, ut sagaciter inveniat, inventa judicet, judicata disponat, disposita & ordinata probet; &, si ab aliis oppugnentur, defendat, limitet, restringat.

Quando explorat inexploratum, perquirit ea, quæ circa nomen & naturam rei sunt; nimirum notationem, seu etymon, causas & effecta, subjecta & adjuncta, consentanea & dissentanea, similia & dissimilia, diversa & adversa, seu contraria.

Definitio. Ex quibus *Definitionem* vel *Descriptionem* conficit; quò maximè serviunt quinque Universalia, seu (ut Dialectici loquuntur) *Prædicabilia*; è quibus *Genus* est communis notio, quam animus è multarum rerum similitudine collectam in unam formam universalem effingit; v.g. animans, complectens animantes rationis participes, & expertes. *Species* est pars seu forma Generi subjecta, pluribus Individuis proximè conveniens: e.g. homo. *Individuum*

viduum autem est quid singulare, quod est indivisum in se, divisum à quovis alio; ut Socrates & Plato. Grammatici *nomen proprium* appellant. 3. *Differentia* est id, quô res una differt aut discriminatur ab altera, seu Genere, seu Specie, seu Numero. Seu, quæ Species ejusdem Generis discernit, &c. 4. *Proprium*, strictiùs sumptum, est, quod uni soli Speciei semper & omnibus ei subjectis conveniens est, & à natura necessariò conjunctum tanquam functio, non ut pars; ut ridere homini, latrare cani. 5, *Accidens*, quod alicui vel inesse vel abesse sine ejus destructione potest; ut color albus parieti.

Secundùm hæc fit progressio ad *Divisionem*, distribuendo vel *Genus* in Species; v. g. arborem in malum, ficum, pinum, cerasum, &c. 2. Vel *Totum* in Partes; v. g. hominem in corpus & animum; aut tripartitò; v.g. corpus in caput, truncum, artus; aut quadripartitò; v. g. annum in quatuor tempora. 3. *Accidens* in Subjecta; v. g. alborum aliud lilium, aliud nix; aut 4. *Subjectum* in Accidentia; v. g. hominum alii probi, alii improbi, aut 5. *Accidens* in Accidentia; v.g. dulcium aliud flavum, aliud album, &c. *Divisio.*

Jam verò ex vocibus fit *Propositio* seu *Pronuntiatio*, *Enuntiatio*, quæ est oratio aliquid de aliquo affirmans aut negans. Ubi tria concurrunt: *Subjectum* scilicet, de quo aliquid dicitur; *Prædicatum*, seu Attributum, quod de aliquo dicitur, seu ei attribuitur; ac interveniens in utrumq; *Copula*, quæ est verbum sum; v.g. *Logica est discenda*; ubi *Logica & discenda* vocantur *Termini*, quia sunt extrema Propositionis: & aliquando inter se necessariò cohærent; ut, Homo est animal; aliquando separabiliter; ut, Petrus est doctus. *Enuntiatio.*

Si ali-

Ratiocinatio. Si aliquis autem dubitat, an Prædicatum de Subjecto, seu Terminus Major de Minori rectè affirmetur; probat, seu ostendit id assumptô *Terminô*, quem vocant *Medium*, qui est quasi vinculum inter utrúmque; v. g. *Logica est discenda, quia est utilis;* inde fit Syllogismus per tres Propositiones, quarum Prima dicitur *Major*, proponens basin ratiocinationis; v. g. Utilia sunt discenda; est Major Enuntiatio; succedit Altera seu *Minor*, (Rhetoribus dicitur *Assumptio*) *sed Logica est utilis;* sequitur *Conclusio*, seu Illatio, (*Ciceroni* Complexio:) *Ergo Logica est discenda:* Ita ex præmissis & concessis Propositionibus duabus infertur Tertia, quâ incertitudo tollitur, & consequens necessariò per consequentiam conficitur, unum ritè deducendô ex altero; ad quod requiritur *Forma Syllogistica* seu Rationalis, quæ constat ex Modo & Figura. *Modus* est legitima trium Enuntiationum secundùm *quantitatem* & *qualitatem* (ita loquuntur) dispositio & colligatio; Est autem *quantitas* Propositionum, Extensio vel Contractio illarum per signa *Universalia* aut *Particularia*: *ut omnis, nullus, quidam, nonnemo;* aut *indefinita;* v. g. Homo est Philosophus. *Qualitas* est habitudo Prædicati ad Subjectum, vel necessaria, (*essentialem* vocant) vel non necessaria, aut contingens, quam *accidentalem* dicunt. *Figura* est debita Medii Termini cum duobus Extremis secundùm *subjectionem* & *prædicationem* combinatio, quod fit aut *directè;* aut *indirectè;* ídq; tripliciter vel Medium Terminum semel subjiciendô, & semel prædicandô: vel bis prædicandô, & bis subjiciendô: Est autem *Medius Terminus*, qui bis in duabus Propositionibus præcedentibus ponitur; *Majus Extremum* seu Major Extremus Terminus, qui obtinet locum Prædicati; Minor Extremus, (Minus Extremum) qui locum Subjecti. *Modus directus,*

Modi & Figuræ Syllogismi.

ctus, in quo Majus Extremum infertur in conclusione de Minore Extremo; *Indirectus*, si contrà; sed hæc tractare pluribus, non hujus est loci, sunt vasti, refertíq; codices, eorúmq; Epitomæ, atq; Compendia, (quæ vocant *Summulas*) in quibus ex instituto & professo Logicæ arcana exponuntur, & in lucem dantur, ubi discitur, qui sint *Termini* Categorematici, Syncategorematici, Simplices & Complexi, Concreti & Abstracti, Connotantes & Absoluti, Denominantes & Denominati, Univoci, Æquivoci, Analogi. Et Enuntiationes variè inter se oppositæ; videlicet ex adverso & præcisè, vel obliquè & limitatè, generatim & particulatim. Contrariæ, Privantes, Contradicentes, (*Contradictoriæ* Logicis) Reduplicatæ, (Constantes dictione geminante, seu reduplicante; v.g. homo, quà homo.) *Modales* vocant, quæ, quô modô aliquid insit alteri; v.g. necessariò, contingenter, aut per impossibile (*Quint.*) explicant; v.g. necesse est hominem esse animal; contingens est hominem esse Grammaticum; possibile est, ex Iro vel Codro posse fieri Crœsum, &c. Hæc, inquam, horúmque similia prætereunda sunt nobis, & observandum potiùs; *quatuor* secundùm Aristotelem (nam in ipsius foro nunc versamur; aut, si malis, in via incedimus) esse *Genera Argumentationum*. Primò est *Syllogismus*, seu Ratiocinatio, de qua diximus, constare eam propositione, assumptione, & complexione, quæ necessariò etiam in non necessariis, seu probabilibus tantùm, deducitur, & consequitur ex antecedentibus pronuntiationibus vi formæ; v.g.

Varii Dialecticorum Termini.

Quatuor genera Argumentationum.

Omnis homo est animal,
Petrus est homo, Ergo est animal.

2. *Enthyméma* est Syllogismus imperfectus, nimirum una ex præmissis cum conclusione; v.g.

Petrus

Petrus est homo, Ergo est animal.

3. *Inductio*, est à Singularibus ad Universalia in rebus similibus progressio; v.g. Quod est pomum optimum? sapidissimum. Qui ager optimus? fertilissimus. Quis equus optimus? velocissimus. Ergo homo quis optimus? Virtute excultissimus. 4. *Exemplum* est inductio imperfecta ab una re simili, aut perpaucis similibus; v.g. Petrus post lapsum per pœnitudinem consecutus est veniam, ergo potuisset consequi & Judas. Est verò *duplex*; alterum authoritate nititur rei gestæ; alterum aut fictæ, aut tanquam gestæ, ut Parabola & Apologus.

Ad quadruplicem hunc argumentandi modum revocantur, *Epiche ema*, Latinè Aggressio, quæ est Ratiocinatio involuta unicam Propositionem continens; v.g. *Servus Dominum accuset? Otiosus ad laudem eruditionis aspiret? Sorites* (Ciceroni *acervalis* Syllogismus) plurium Argumentationum est coacervatio, e.g. Qui vinum immoderatè bibit, obnoxius est æternis pœnis; nam qui liquorem vitis intemperatè haurit, inebriatur; qui inebriatur, perdit usum rationis; qui perdit usum rationis, Deum graviter offendit; qui Deum graviter offendit, ejus hostis efficitur; hostis autem Dei suppliciis sempiternis afficitur; Ergo, qui vinum immoderatè bibit, obnoxius est pœnis æternis. *Dilemma* seu *cornutus Syllogismus* est, in quo, utrum concesseris, reprehenditur, seu refutatur; v.g. aut Deus justus est, aut injustus: si justus, puniet tua scelera; si injustus, non est Deus. Et hoc Dialecticorum more; nam Rhetorica, ut suprà meminimus, Argumentatio cultum & ornatum continet, quod fit expolitione & exornatione, dum, quidquid in Ratione aut Confirmatione, propter brevitatem Logicam, latere posset, solerter & acutè pluribus verbis exponitur.

Desi-

Desiderius. Liceat hîc mihi ſermonem interpellare, & veſtigia quærere, quæ Ariſtoteles in ſpinetis Dialecticis impreſſerit, neque enim inoffenſè, uti monuiſti, calcantur vepreta, ad illius anteceſſum greſſus noſtri ſunt accommodandi. *Mercurialis.* Inquiris opportunè; Stagiritâ præviô, non facilè erimus devii. Sic igitur habeto; Libros in Logicam exaravit Ariſtoteles omninò ſenos & decem. Unus indigitatur περὶ ἑρμηνείας, ſeu de Interpretatione Verbi, Nominis, Enuntiationis. Unus Item *Categoriarum* ſeu (ut vocant) *Prædicamentorum*; quæ ſunt ſeries & ordo quidam rerum & nominum magis minúſve univerſalium, ſive generalium (ſuperiorum & inferiorum) decem claſſibus diſtributorum, quæ vocantur *Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Ubi, Quando, Situs, Habitus.*

Libri Logici, Ariſtotelis. De Interpretatione. De Categoriis.

Decem Categoriæ ſeu Prædicamenta.

Primum & ſupremum in natura eſt τὸ ὄν ſeu *Ens*; (Dialecticè loquendô) tum *Subſtantia*, ſeu res per ſe ſubſiſtens, vel id, quô ceu fundamentô accidentia nituntur, ut ſunt mundus ipſe, cœlum, elementa, animalia, plantæ, metalla, &c.

Quantitas.

Quantitas, eſt extenſio in ſpatia & numeros, ſeu id, per quod aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquod. Et *Permanens* quidem, eſt magnitudo, cujus partes eodem tempore ſimul exiſtere poſſunt; ſecùs eſt Quantitas, quam *Succeſſivam* vocant, videlicet tempus. *Continua* dicitur, cujus partes, aliquô terminô communi copulantur, ut linea; contrariè, *diſcreta*, ut numerus binarius, ternarius, (quæ etiam permanens dicitur) & oratio vocalis, cujus ſyllabæ ſibi per intervalla ſuccedunt, unde Succeſſiva appellatur Logicis. *Qualitas* eſt affectio animi & corporis, unde appellationem aliquam accipimus, virtutum, vitiorum, affectuum,

Qualitas.

ctuum, artium, habituum, earúmq; diſpoſitionum; item virium, imbecillitatis, calorum, ſaporum, coloris, frigoris, ſiccitatis, humiditatis, raritatis, denſitatis, levitatis, gravitatis, mollitiei, duritiei, lævitatis, aſperitatis, lubricitatis, viſcoſitatis, friabilitatis, ariditatis, &c. Item *figuræ* & *formæ*. *Relatio* eſt rerum inter ſe collatarum unius ad alteram habitudo, vel ordo, ut dominus, ſervus: dux, miles: pater, filius: præceptor, diſcipulus, &c. Æquale, inæquale: magnum, parvum: longum, breve: par, impar: ſimplum, duplum, &c.

Actio. *Actio* eſt applicatio quædam agentis ad patiens, ſeu eſt forma, à qua dicitur agere; ut calefactio. per quam ignis dicitur calefacere lignum. *Paſſio* eſt, actionis effectus, vel eſt admotio patientis ad agens; ſic lignum patiendô calefit.

Ubi. *Ubi*, eſt præſentia rei in loco, ut eſſe in ſchola, foro, templo, ſub tecto, ſub dio, in privato, publico, ſacro, prophano, in regione, regno, Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione, &c. *Circumſcribens* (circumſcriptiva Logicis) *præſentia*, eſt illa, per quam aliquod corpus ita eſt in loco, ut partes loci reſpondeant partibus corporis, & totus locus toti corpori; ſic concionator eſt in cathedra. *Definiens (definitiva)* eſt illa, quâ aliqua finita ſubſtantia eſt ita in loco, ut illa tota ſingulis partibus ſpatii reſpondeat; ſic Angelus in aëre, anima in corpore, Chriſtus in Euchariſtia. *Vacuum*, eſt locus carens omni tempore.

Quando. *Quando*, eſt eſſe in tempore, ſeu contineri tempore, ut fuiſſe heri, eſſe hodie, fore cras; *Tempus* dicitur duratio, quæ menſuratur à motu cœli, tanquam à menſura extrinſecus denominata; ſeu eſt numerus motionis ex eo, quod eſt prius & poſterius; Unde Tempus vocatur extrinſecum ſeu

rectiùs

rectiùs extrinsecus mensum; alia enim est duratio *intrinseca*, (liceat sic loqui) seu permansio rei in eo, quod est. Tempus *imaginarium* est duratio fictitia, quâ mensuratur ipsum Tempus primi Motus seu Mobilis. *Æternitas* est duratio carens fine & principiô; Philosophi vocant *existentiæ* possessionem interminabilem; Latiniùs: interminatæ vitæ totam, simul & perfectam possessionem. *Ævum* est duratio fine carens, non principiô.

Situs, seu Positio est certus partium ordo & dispositio quoad locum, ut stare, sedere, jacere.

Habitus est indumenti vel ornamenti applicatio ad corpus; seu vestiendi ratio; unde aliquis dicitur togatus, calceatus, pileatus, ocreatus, torquatus, &c. *Habitus.*

Sequuntur quatuor Libri *Analyticorum* seu *Resolutionum*, (quorum duo, *Priores*; duóq; solent *Posteriores* appellari) quibus Syllogismi, seu Ratiocinationes, in suas partes, nexus, compositionem, vim ac efficaciam resolvuntur. Ubi præcipuè agitur de *Demonstratione*, quæ est Argumentatio firmissimis, certissimis, & evidentissimis rationibus nixa. *Quatuor libri Analyticorum.*

Quibus accedunt octo Libri *Topicorum*, seu *Locorum*, in quibus ratio inveniendi argumenta docetur. *Libri Topicorum.*

Adduntur duo Libri *Elenchorum* seu *Redargutionum*, aut *Captionum*, ad cavendum, ne in disserendo falsa pro veris per ignorationem colligamus & admittamus, Sophisticáque probabilitate fallamur; quod fit per *Sophismata*, vafras conclusiunculas, contortas quæstiunculas, cavillationes, paralogismos, ac vitiosas argumentationes, variâ fallaciarum specie decipientia. Nos obiter quasdam memorabimus; si priùs monuerô, *Isagogen* seu Introductionem in Logicam de quinque Universalibus (uti suprà intellexisti) conscriptam esse à quodam *Libri Elenchorum.* *Isagoge Porphyrii.*

 Judæo,

Judæo, nomine Malcho, qui deinde Porphyrium se appellavit: Homine incertùm magis docto, an impio, quippè fidei Christianæ desertore & hoste.

Sophista. *Sophistarum* meta seu finis est, callidâ & captiosâ argumentationum vi adversarium adigere, ut vel *neget*, quod eâdem disputatione asseruit; vel *asserat*, quod negavit; quod propriè vocatur *Ignoratio Elenchi*; quanquam & sine captione fieri potest, vel ut *admittat* apertè falsum, absurdum, nugatorium; vel *decipiatur* ambiguitate vocum; vel ratione sensûs *compositi* & *divisi*, vel *Petitione Principii*, conclusionem probandam accipiendô ad probationem sui, hoc est, obscurum per æquè obscurum; vel petendô unam responsionem ad plura diversa, &c.

Sophismatum dissolutio. Quibus omnibus occurritur per *suppositionem, statum, ampliationem, restrictionem, appellationem*. Per *suppositionem* quidem, accipiendô nomen pro re, quam significat; aliud est enim vox nuda pro syllabis sumpta; aliud pro significatu; aliud in sensu proprio, aliud in alieno: aliud in singulari, aliud in generali: aliud in copulato, aliud in disjuncto: aliud in confuso, aliud in determinato: aliud in distributione pro singulis generum, aliud pro generibus singulorum: aliud simpliciter, aliud cum exceptione: aliud absolutè, aliud hypotheticè; aliud in *statu* temporis præsentis, aliud præteriti, aut futuri; aliud per *ampliationem* & extensionem differentiæ temporis, ut latro bonus: aliud per *restrictionem*, ut homo mortuus; aliud per *appellationem*, quâ una dictio denominat, & designat alteram, ut Nero, bonus citharœdus, &c.

Desiderius. Equidem inter spinas, nescio, quas rosas videor colligere, ita me Dialectica hæc Doctrina suaviter afficit sine sente & aculeo. *Mercurialis.* Gau-

Gaudeo mihi, gratulor tibi, quem nactus sum, cui jucunda accidant, quæ injucunda quàm plurimis. Et quia ex Dialectices cognitione, tanquam ex face & clave scientiarum omnium, pendent ea, quæ diximus, dictúrique sumus, ingeniosi juxtà & ingenui est, non ambulare sine hac duce; nam ipsam Rationem Dialectica vel anteit; vel incertis passibus errantem, ad viam reducit. Nos hinc pergemus longiùs, ubi quædam insuper addidero de *ordine* (seu *methodo*) *docendi* & *discendi*, qui universim est duplex: *Geneseos*, quæ est ratio aliquid componendi & contexendi, ut fiat inde totum; & *Analyseos*, quæ est ratio resolvendi seu retexendi totum jam factum, in suas partes. Sic domus per *Genesin* (*Synthesin*) ædificatur: per *Analysin* destruitur; per illam sertum connectitur floribus: per hanc retexitur contextum, considerandô singulos flosculos; illa propriô componit Marte; hæc opus alienum minuatim resolvit in membra, artificiumq; examinat. *Exegésis* uberiùs exponit & enarrat, quod Analysis breviùs facit. *Ordo Dignitatis* est, cùm à re digniore ad aliam minùs dignam transimus; v. g. ab homine ad elephantum. *Perfectionis*, cùm à perfectioribus ad minùs perfecta procedimus, ut: à causis ad effecta. *Ordo Doctrinæ* est, cùm ab illis, à quibus commodiùs pro rerum ac personarum ratione (etsi à re minùs digna ad digniorem) progrediendum videtur. *Methodus docendi & discendi.*

In *controversiis* (propositis pro utraq: parte sententiis ac rationibus adversis) accedimus ad veritatem determinandam; & post eam confirmatam contrarias rationes dissolvimus. In *argumentando*, vel directè refellimus adversarii placita; vel contumaciorem ad incommodum aut etiam impossibile deducimus.

Desiderius. Digrediemur hinc, ubi ex te audiero, quid sit *Circulus Logicus*; nam de hoc quasi per somnium me aliquid percepisse memini.

Mercurialis. *Circulus Dialecticus* est argumentatio inepta, cùm ratiocinatio desinit in illa ipsa propositione, in qua incepit, sine ullo novo medio termino; hunc qui invenire nescit, adeat *pontem*, quem *asinorum* vocant, communi Dialecticorum operâ & sumptu structum stratúmque. *Desiderius.* Satis habeo; pergimus. *Mercurialis.* Eamus. Antequam *Entia rationis*, Hippocentauri Chimæræ, vulpanseres, hircocervi, aliáq; monstra Logica nos incurrant. Hoc raptim notemus; ostendi baculum Aristotelis, manifesta neganti.

Caput LVI.

Physica.

Decem Partes Physiologiæ Aristotelicæ.

Octo libri Physicorum.

Lib. de Cælo.

De Generatione & Corruptione

NOmen habet ἀπὸ τῆς φύσεως, id est, à natura; quia est disciplina explicans rerum naturalium scientiam; *Ciceroni* dicitur *Physiologia*, & naturæ cognitio, ac explicatio; communiter *Scientia Naturalis*; quæ à Philosopho in decem partes distribuitur. *Prima*, quam *octo libros Physicorum*, seu ἀκροάσεως φυσικῆς, hoc est, de naturali auscultatione inscribit; seu de Auditu Physico; quia, cùm difficilem contineant doctrinam, non, nisi audiendô Magistrum, facilè intelligi possunt. Generatim differit de Principiis Causísque rerum naturalium, & communibus earum proprietatibus; ut de Motu, Infinito, Loco, Vacuo, Tempore, deque primo Motore. *Secunda* comprehenditur libris *de Cælo*; ubi de *universi* hujus structura, compositione, elementis, &c. *Tertia* libris de *Generatione & Corruptione* (seu Ortu & Interitu) continetur; & expli-

explicat ea, quæ diſſolubilibus & caducis rebus universim conveniunt, ut generatio, corruptio; mutatio, ſeu alteratio; (*Ovid.*) accretio, ſeu augmentatio; diminutio, & decretio; mixtio, &c. *Quarta* libros *Meteororum* complectitur, eáque, quæ terræ ſinu progignuntur, ut metalla, lapides. *Quinta* tribus libris abſolvitur de *Anima* (ſcilicet Vegetante, Sentiente, potiſſimùm verò Intelligente, ejúsq; facultatibus & ſenſibus; déq; vi & corpus ſuum movendi, quam vulgò Animaſticam appellant. *Sexta* diſputat de generalibus *viventium affectionibus*, ut de memoria & reminiſcentia; de ſenſu & ſenſili: de ſomno & ſomniis; & divinatione per ea; de vigilia, reſpiratione, ſenectute, vita, morte, quæ tritè dicuntur *Parva Naturalia*, quibus inſerta ſunt *problemata*, ſeu perquiſitiones & conjecturæ in utrámq; partem diſputabiles. *Septima* de *hiſtoria animantium*, videlicet, varietate & ingenio. *Octava, nona, decima* de *partibus animalium, progenitura, inceſſu, motu*; qui quatuor libri ſolent à Græcis, libri *octo talentorum* nominari; eò, quòd tantam pecuniam Alexander M. impenderit in ſumptus ad omnium animalium genera ad Ariſtotelem, quò majori certitudine de iis ſcribere poſſet, convehenda.

Meteororum. *De Anima.* *De generalibus viventium affectionibus.* *De hiſtoria animantium.* *De animalium partibus, &c.*

Eſt autem *natura* ſecundùm Philoſophos principium motûs & quietis ſecundùm ſe, ſive *immanentis*, ſive *tranſeuntis*; quoniam univerſa corpora vel exteriùs moventur; vel interiùs per fluxum quendam & progreſſionem ad formam; quam motionem continuatam, ſeu agitationem & energíam Ariſtoteles, *Cicerone* teſte, vocavit ἐντελέχειαν (quæ vox multiplices digladiationes excitavit inter Interpretes;) ſic ignis ex motu naturali ſurſum fertur, terra deorſum; quod ſi contrà fiat, id non naturale, ſeu conveniens nativæ inclinationi, ſed

Natura quid.

artificiale & violentum est. *Præternaturale* appellant, quod nec est juxta neque contra naturæ propensionem. Quod verò naturæ vires excedit, dicunt esse *supernaturale*, seu *miraculum*. Rerum naturalium *principia* tria sunt, *Materia, Forma, Privatio*; ut enim aliquid fiat, generetur, transmutetur, necesse est, adesse subjectum, ex quo aliquid fiat; nam ex nihilo nihil fit; (nisi per creationem) idque vocatur *Materia*, & quidem *Prima*, nulliq; corruptioni obnoxia; quando nimirum consideratur, ut omninò rudis & informis, hoc est, sine omni forma. In quam quidem materiam non tantùm inducitur *Forma*, sed ex illa quoque educitur, eámque perficit, illíque complementum addit. Et quia nulla res potest mutari in alteram, nisi abeunti uni formæ (cujus permansio vocatur quies) succedat alia in materiam; ídque fieri non possit, nisi intervenerit *privatio*, seu absentia formæ illius adventitiæ; consequitur, totidem esse, quot antè posuimus, principia. Porrò disceptatur, quô vinculô materia & forma colligentur; sunt enim, qui dicunt, unionem ipsis superadditam intercedere; sunt, qui dicant, seipsis coalescere sine medio interjecto; priores se *Modistas*, posteriores *Formalistas* appellant.

Principia Physica.

Ars. Naturæ simia est *Ars*, quæ constat experientiâ & collectione præceptorum. Et quemadmodum naturalibus artificialia; ita his *magica* sunt affinia, quia, quibus majora & insolita supra communem hominum sensum efficiuntur, vel exactâ arcanorum naturæ cognitione; vel vi pacti expressi occultíve cum Cacodæmone. *Fascinatio* est noxia qualitas, per oculos aut per afflatum emissa plerumque nocendi studiô; cui adjuncta non raro *incantatio* & *maleficium*.

Sed

Sed quia pro instituto nostro hæc, quamvis amœna Physiologiæ prata, sunt nobis non tam permeanda, quàm percurrenda; circumvolvere in amplissimo hoc naturæ spatio non segniter oculos & pedes; & omissis iis, quæ propiùs vel jam intuiti sumus, vel intuebimur, vide hinc *quatuor rerum causas*, unde dependent cætera omnia. *Prima* dicitur, *Deus*, à quo omnes Causæ *Secundæ* vim habent & efficientiam suam, non remotam modò, sed propinquam, & ad singulas actiones concurrentem, séq; exerentem; Causarum *præcipua*, *Finis* est, & quidem *ultimus*, rerum omnium Conditor & Effector; *proximus* est, propter quem aliquid appetitur, éstque via, quæ ducit ad illum terminum ultimum, longiùs, propiúsve; à Philosophis *Honestum* vocatur; quòd scilicet in seipso habet, unde desideretur; deinde, *Pulchrum*, cui inest integritas, proportio, claritas, seu venustas coloris; denique *Utile*, quod adfert commoda. *Caussæ rerum præcipuæ.*

Inclinatio in bonum, sine seria tamen cogitatione prosequendi, *Simplex Amor* dicitur; (Philos. *Complacentia*) Intentio verò *firmum* est *propositum*, prosequendi bonum illud. Per *electionem* vestigantur modi, (Philos. *media*) qui ducunt ad finem (bruta instinctu naturæ non tam agunt, quàm aguntur;) sed *Usus* est actus, per quem aliæ facultates corporis animíq; moventur, ad modos illos adhibendos. *Causæ per accidens* vocantur, à quarum efficacitate non provenit effectus, sed aliunde ex iis oriri videtur, ut sunt *Fortuna, Casus, Monstrum, Fatum,* (quod est ordo causarum Divinam providentiam exequentium.) De quibus aliquid cap. 31.

Illinc aspice, quot individua & insecabilia (*indivisibilia* Philos.) in *continuo*, veluti atomi in aëre, circumvolent, quæ neque *Physicè* in partes secari, *Indivisibilia.*

neque etiam cogitatione (ſcilicet *Mathematicè*) dividi queunt. Conſidera, quomodo idem homo, in duobus ſimul locis (per *replicationem*) exiſtens, alibi caleat, alibi frigeat, alibi fleat, alibi rideat. Expende, quàm occulta & inſcrutabilis ſit inter lapides, *Sympathia.* plantas, animantes, conſenſio & *ſympathia*; quanta *Antipathia.* diſſenſio, & *antipathia*; adverte, quomodo, quidquid agit in alterum non certô tantùm virium, ſed & ſpatii terminô, ut agere poſſit, circumſcriptum ſit, cùm in *diſtans* operatio ſe porrigere non poſſit. *Infinitum.* Vide, quomodo *Infinitum* aliud ſit *actu*, (ſeu *Categorematicum*) quod ſeſe ſine fine extendat; aliud *Syncategorematicum*, (*potentiâ* vocant) cui plus & plus usq; poſſit addi. Quidam priorem illam inter res conditas infinitatem eunt inficias, & inter *ἀδύνατα* numerant, quod ipſi vocant *implicare* & *implicantiam*, ſeu *implicationem*.

Cœli & ſidera. Ex alia parte oculos erige in *cœlos* eorúmque *ſphæras*, conſtellationes, motus, figuras, effectus, & influxus conſidera, ſimúlque auſculta clamores de materia illorum, ſeu fluida ſeu ſolida, altercantium.

Ortus & interitus. Jam verò perpende rerum *ortum* & *interitum*, ſeu generationem & corruptionem; quâ ratione augmententur aliqua & accreſcant, dum identidem aliquid per *nutritionem* ſive aliô modô eis accedit; alia diminuantur & decreſcant; qualíſque ſit modus & menſura (terminum vocant) magnitudinis & parvitatis; quæ ſit rerum *inceptio* & *deſitio*, ídque punctô temporis, (*inſtans* vocant) vel per primum & ultimum ſui *eſſe*, vel ſui non *eſſe*; ita enim loquuntur. Et quia rebus omnibus à natura inditum eſt, ut ſe conſervent vel fugiendô contrarium, & hoc quaſi modô imminentem cladem vitandô; vel ſeſe arctiùs contrahendô & uniendô, ut aqua

in

in pulverem conjecta colligitur in globulum; inde fit, ut dum sese roborant & muniunt contra adversarium, dicantur agere & resistere per ***antiperistasin***, ut videre est in aqua puteali, hibernô tempore, minimè gelascente. Cúmque omne agens repatiatur agendô; necessariò maxima inter ***actionem*** & ***reactionem*** (liceat sic fari) certamina existunt. Adde his ***intensionem qualitatum***, & ***extensionem***; nam vel latiùs propagantur in subjecto, ut calor in ligno; vel intensiùs uniuntur & invalescunt: aut remittuntur; ídque ad supremum usque gradum, quem *octavum* vocant. Quid dicam de *rarefactione*, unde aliquid rarescit, aut fit rarum, quando parum materiæ sub magna dimensione continetur; *condensatio* è contrario. ***Elementa*** Philosophis dicuntur ea, quæ mixtionem è quatuor primariis qualitatibus excludunt, scilicet calore, frigore, humiditate, siccitate. ***Mixta*** verò sunt, quæ constant iisdem. Quarum congrua & inter se contemperata dispositio appellatur ***temperamentum***; & quidem proportio inter illas justa, vocatur ***uniforme***, seu ***æquale*** ad pondus, si æquâ graduum proportione eas continet; temperatura inæqualis, seu ***difforme*** temperamentum, quod inæquali compositarum temperierum, seu corporis constitutionem (vulgò ***complexionum***) constat. Ignea, seu ***Cholerica*** est Constitutio, in qua excellit calor, & siccitas. ***Aquea***, seu ***Phlegmatica***, in qua humiditas, & frigus. ***Aëria***, seu ***Sanguinea***, in qua humiditas, & calor. ***Terrea***, seu ***Melancholica***, in qua frigus, & siccitas. Cæterùm sive ***elementa***, sive ***mixta***, cùm moventur naturaliter, aguntur à principio (seu causa) interno. Et levia quidem sursum feruntur ad centrum levitatis; gravia deorsum ad suum quoque gravitatis centrum. Quòd si alterutra contra natu-

Antiperistasis.

Intensio qualitatum & extensio.

Rarefactio.

Temperamentum.

naturam suam patiantur motum, dicuntur impelli, & ab impulsu moveri.

Anima. Scitu omnium dignissima & jucundissima sunt, quæ de *anima* disserit Physicus; cujus dissertationes & disceptationes in his potissimùm versantur. Quænam partes corporis viventis vivant in seipsis; quæ sint inter se similes, seu *homogeneæ*; quæ dissimiles sive *heterogeneæ*; an hominum animæ sint inter se æquales; quomodo sese suáque corpora moveant; (Philosophi vocant *potentiam locomotivam*; non dicemus *facultatem motricem*, seu vim de loco in locum movendi) quod discrimen corporis & spiritûs, & quæ utriusque officia. De immortalitate animæ, ejúsque statu in separatione à corporea mole; de illius facultatibus, seu, ut loquuntur, *potentiis*; de actibus intellectûs; ut est: *fides, opinio, scientia*; item intellectio, seu cognitio vel clara; (seu *intuitiva*) hoc est, exhauriens omne id, quod cognosci potest, (Phil. *comprehensiva*;) vel certa & *evidens* per causas, aut sensus; quæ est *scientia*. De actibus quoque voluntatis, quorum alii *imperantes*, alii *imperati*. De libertate arbitrii; de necessitate *antecedente* & *consequente*. De habitibus, eorúmque augmentis; de sensibus internis & externis, &c.

Desiderius. Quanta rerum scitu pulcherrimarum copia! Hîc verò unum abs te peto, ut, antequam ex his Physiologiæ pratis recedamus, plusculis mihi explanes, quid demùm sint species illæ impressæ & expressæ, de quibus multoties me inaudiisse, sed non intellexisse, recordor.

Species Impressæ & Expressæ. *Mercurialis.* Vides hanc arborem viridem & umbrosam? *Desiderius.* Video. *Mercurialis.* Non videres, nisi speciem immitteret & imprimeret oculo tuo; hæc species *impressa* unà cum oculo, & sensu

visûs,

visûs, seu facultate videndi producit speciem *expressam*, id est, visionem ejusdem arboris; hæc jam visio per nervos opticos ad cerebrum & sensum internum usque propagata efficit ibidem speciem *impressam* sui; Intelligis? *Desiderius.* Intelligo. *Mercurialis.* Illa ipsa species, cum sensu externo concurrens, efformat speciem *expressam* visionis, & arboris visæ, quæ est *imaginatio*; hoc autem *phantasma*, cum intellectu *agente*, se conjungens, unà cum illo producit speciem *intelligibilem* impressam; cum qua deinde format speciem expressam ejusdem arboris; ecce tibi *intellectio.* Hæc porrò *intellectio* arborem & umbram voluntati proponit; *voluntas* excitata concupiscit illam umbram, vúltque eò concedere, quare statim id imperat *motrici facultati*; quæ nutum voluntatis executura, citatis pedibus, hominem ad desideratam opacitatem transfert. Cepisti? *Desiderius.* Etiam pedibus. En propero ad arborem; & quemadmodum Diogenes motum ambulando Zenoni monstravit; sic ego species istas monstrabo recubandò sub patula ceraso. Utinam lenis aura aspiret quiescenti! *Mercurialis.* Susurrant mollia spiramina; excipe; meliora, inquam, Philosophorum *Dicta, seu Philosophemata.* *Axiomata Philosophica.*

Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu.
Sine necessitate non sunt multiplicanda entia.
Propter quod unumquodq; tale est, & illud magis tale.
Bonum est ex integra causa, malum ex quolibet defectu.
Deus & natura nihil faciunt frustrà.
Natura non deficit in necessariis, nec abundat in superfluis.
Frustrà est potentia, quæ non redigitur in actum.
Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.

Effectus

Effectus omnis continetur in sua causa.
Totum non cognoscitur, nisi cognitis partibus.
Natura horret vacuum.
Verum vero non est contrarium.
Causa est præstantior suô effectu.
Supremum infimi, attingit infimum supremi.
Quæcunq; sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.
Violentum nullum, est perpetuum aut diuturnum.
Abstrahentium non est mendacium.
Virtus unita est fortior.
Contra negantem principia non est disputandum, &c.

Desiderius. Non ita mihi suavis est venientis sibilus Austri, ut hi susurri Philosophici.

Mercurialis. Surge in pedes,& ambula. *Desiderius.* Erectus adsto. *Mercurialis.* Acuenda nunc mentis lumina, & in abditiora Philosophiæ penetralia immittenda; ubi

—— *tenues sine corpore vitas*
Spectabis volitare cavæ sub imagine formæ.

Interea observa, philosophari, esse temperare affectibus, hinc *Plautus: Salva res est, philosophatur. Philosophicum pallium;* pro gravitate & sapientia. *Quidam barbâtenus sunt Philosophi.* Juxta *Maronem:*

Felix, qui rerum potuit cognoscere causas.

Pergamus.

CAPUT LVII.

Metaphysica.

REgina est hæc scientiarum naturalium; cùm communia omnium aliarum *Principia* explicet,& defendat. Quidam sinistrè putant, nomen habere ab elevatione supra rerum naturalium ordinem, cùm Aristotelica librorum horum inscriptio sit: τῶν μετὰ τὰ φυσικά, id est, de rebus,

bus, quæ post rerum naturalium, sive naturâ constantium, scientiam consequuntur; pertractat enim res à materia sensili semotas, &, ut loquuntur, *Abstractas*; quam alii vocant *Philosophiam Primam*, nimirum ob præstantiam objecti; alii *Sapientiam Primam*, quia universalissimas rerum, & altissimas habet causas. Alii *Theologiam Naturalem*, quòd circa primum Motorem Deum, & Intelligentias seu Angelos, citra revelationem cœlestem, cognitos versetur. Quam Aristoteles libris omninò quatuor & decem comprehendit; in quibus, & circa quos, hæ ferè quæstiones potissimùm agitari solent. Quæ sit ratio τοῦ ὄντος (Philosophis *Entis*) in communi; quæ proprietates seu attributa, scilicet *unum, verum, bonum*; quomodo dividatur in substantiam, & accidens, ac distribuatur per prædicamenta, seu generales rerum omnium classes; quænam sit rei cujuslibet *essentia*, seu *entitas*, (utimur vocibus usitatis) Græcis οὐσία; quæ ratio existendi (*existentia*:) & quale discrimen inter utramque; quid hypostasis, (*subsistentia*, *personalitas*, *persona*, Phil.) quænam partes seu gradus Metaphysici, (scilicet Genus, Differentia, Species) quæ inter illos distinctio; quæ divisio Metaphysica; quid sint, & an admittendæ *præcisiones*, quas vocant objectivas; an à parte rei natura sit universalis; an secundùm formam (*formaliter*) una; quænam *Entia* Rationis tantùm; quæ possibilia sive absolutè, sive ad producendum. Quomodo Deus seu primus Motor sit *Ens* à se; & an Deum esse, sit notum per se, an is demonstrari possit à *priori*, seu argumentandô à Causa ad Effectum; an vice versâ, seu à *posteriore*; ratiocinandô ab Effectibus ad Causam. Quæ sint *attributa* illius; an sit extra mundum in spatio imaginario; an mundum potuerit creare perfectiorem.

Angeli

Angeli quales ſint ſpiritus, quô intellectu & cognitione, quâ voluntate præditi; an numerô tantùm, an ſpecie quoque diſtincti; quomodo loquantur inter ſe, & cum hominibus; quâ ratione aſſumant corpus; quomodo moveant & ſe, & alia; an *Intelligentiæ* illæ girent orbes cœleſtes; quid valeant efficere, &c. *Ideæ Platonicæ*, ideſt, formæ quædam à materiæ ſocietate, & naſcentium atque intereuntium rerum multitudine abjunctæ, meritò exploduntur; uti & homo ipſius, quem dixit eſſe *animal bipes, implume*. Non minùs exſibilanda *Metempſychóſis* Pythagoræ, quâ animas ex uno corpore in aliud migrare finxit. Aliud longè ſunt *Ideæ* illæ in mente Divina, æterna rerum faciendarum exemplaria. Unde Deus ipſe dicitur *Mundus Archetypus*, de quibus Theologi; nos pedem hinc efferimus; ubi priùs Philologiæ causâ retulero, quantum à vera Philoſophia antiqui illi Sophi aberrârint; quorum coryphæus Ariſtoteles non dubitavit aſſerere, *Mundum* ab æterno extitiſſe; quem alii dicebant vaſtiſſimum eſſe quoddam animal, cujus *caro* mollior, terra, *oſſa*, ſaxa & rupes; *crines*, folia arborum & graminum; *oculi*, Sol & Luna; *ſanguis*, Oceanus, &c. Quidam cum *Epicuro* & *Democrito* putârunt ex atomorum ſeu corpuſculorum inſectilium infinita & confuſa congerie coaluiſſe: *Pythagorei* totum naturæ ordinem, initia, vires, & effecta in numeros retulerunt; rerum *alii* Principia lucem & tenebras dixerunt; animam verò exhalationem eſſe calidam credidit *Heraclius*, *Diogenes* aërem, *Thales* humorem, *Critius* ſanguinem, *Empedocles* harmoniam quandam & temperaturam elementorum. De Deo quàm inſipienter Sapientiſſimi, ut ſibi videbantur, ſenſerunt! *Parmenides* putabat coronam eſſe: *Prodicus* elementa: *Archelaus* terram: *Zeno* legem: *Alcméno* Solem:

Errores Veterum Philoſophorum.

Hera-

Heraclides mundum: *Anaximander* sidera: *Speusippus* vim: *Theodorus* nugas. *Desiderius.* Desine, quæso, plura de sapientibus hisce stultitiæ doctoribus. *Mercurialis.* Quas non grates debemus æternæ illi menti, à qua meliorem nos mentem sortiti sumus? Sed enim ad alia vocamur. *Desiderius.* Quorsum? *Mercurialis.* Pedes tollendi ad numeros. *Desiderius.* Ergo saltandum? *Mercurialis.* Ad artem, inquam, numerandi & calculandi transgrediendum est.

CAPUT LVIII.

Arithmetica.

ETsi naturæ ordine, prior est doctrina Mathematica quàm Physica, Metaphysica; nam Plato eos, qui Mathematicis imbuti non essent, præsertim, qui se priùs in pulvere Geometrico non exercuissent, à Gymnasio arcebat; inscriptis Academiæ foribus: *μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἴσιτω, nemo huc ingrediatur ignarus Geometriæ*; quia tamen *Physiologia* tractat ea, quæ primò sub sensum cadunt; & *Prima Philosophia* considerat supremas rerum causas; itémq; genera summa & *transcendentia*; quorum omnium cogitatio ad perfectam rei cujuslibet intelligentiam necessaria est; quippè quæ à causis dependeat, & sine communibus attributis satis percipi queat, ideò multorum exemplô, post partem Philosophiæ *Rationalem*, seu Dialecticam, posuimus *Naturalem*; cujus, post Physicam & Metaphysicam, pars *tertia* est Mathematica, quam in pauca contractam nunc explicare aggredimur, subjecturi deniq; Moralem seu Ethicam; quanquam hodie scientiæ istæ, unà cum ea, quam communiter Philosophiam appellamus, solent addisci.

Distri-

Partitio Matheseos. Diſtribuitur *Matheſis* ſive *Mathematica* (Latinè Diſciplina, ſeu Scientia, antonomaſticè à certitudine demonſtrationum) in *Arithmeticam* (quæ perveſtigat numerorum rationem) & *Geometriam* (quæ menſurarum;) & *Staticam* (quæ ponderum) & *Aſtronomiam*, (quæ poſitionum & motuum cœleſtium) & hæ iterum in alias diſpeſcuntur. Eſt autem *Arithmetica* idem, quod ſupputatrix ſeu numeralis ſcientia; vel ars numerandi; *Ciceroni* ſtudium numerorum; quorum vim, naturam, affectiones & proprietates contemplatur, & explicat; unde, quemadmodum *Logica* non ſolum *contemplatrix* eſt ſcientia, de qua *Euclides lib. 7. & ſeqq.* ſed & *practica*; Arithmeticus *Martiali Calculator* dicitur.

Ut momentum eſt principium temporis, punctum magnitudinis; ita *unitas* (monas, adis) eſt initium numeri, qui eſt collectio unitatum; nam ab his inchoatur & terminatur, & in ſpecies atq; affectiones variatur. Notæ numerales ſunt decem; è quibus novem ſignificantes, hoc ordine: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. decima per ſe nihil ſignificat, & dicitur Arabicè *ciphra*, Latinè circulus, & *nulla* (0) quanquam vulgò omnes numerorum figuræ, ſigna, elementa, ſoleant *ciphræ* nomine affici; ex illis decem characteribus fit Alphabetum Arithmeticum, Latinè voces numeros Arabicos.

Diviſiones numeri. *Diviſiones numeri* ſunt ſex. Primò, *numerus numerans*, (vocatur Formalis Arithmeticis) qui conſideratur abſtractè à re, quæ numeratur, ut 1. 2. 3. & numerus *numeratus*, qui accipitur concretè, ut duo equi, tres ſeſtertii, (*Materialis* Arithmeticis) Secundò, *numerus eſt par vel impar*; par, qui in duas partes æquales dividitur; hinc etiam *dividuus* appellatur; eſtque pariter par, cùm à pari numero per parem dividi poteſt; ut 8. per 4. & impariter

par

par, qui ab impari numero secatur, ut 6. per 3. numerus impar est, quia in duas partes æqualiter partiri non potest: ut 5.7.9. Hinc dicitur *individuus*. Tertiô, *numerus est perfectus*, cujus omnes partes simul sumptæ totum reddunt & complent, ut 6. cujus partes omnes 1.2.3. efficiunt 6. *Diminutus* est,, cùm minùs componunt partes, quàm totum, ut 8. cujus partes 1.2.4. conficiunt 7. *Abundans* est, quem partes collectæ excedunt, ut 12. Cujus partes 1.2.3.4.6. constituunt 16. Quartò, *numerus simplex* est, quem sola metitur unitas, ut 2.3.5.7.11.13.&c. *compositus*, qui ex multiplicatione numeri alterius consurgit, ut 12. dividitur enim per quater tria, vel ter quatuor. Quintò, numerus vocatur *Digitus*, qui est denariô minor, ut 9. *Articulus*, qui habet annexam ciphram, ut 10. aliis dicitur numerus *rotundus*, aut *rotundatus*, seu *decas*. *Compositus* nominatur, qui ex utróque conflatur, ut 11. 13. 16. Sextò, numerus *homogeneus* est vel integer, ut 2. 3. vel fractus, ut $\frac{1}{2}$. dicitur aliàs *fractio*; pars ejus *minutia*. *Heterogeneus* appellatur, qui est integer, habens fractionem; unde & mistus dicitur, ut $2\frac{1}{4}$

Partes numeri disce ab exemplo; v. g. sexagenarii; cujus *semissem* seu duas partes dimidias constituunt XXX: ternæ, *trientem*, seu XX. quaternæ, *quadrantem*, XV. quinæ, *quincuncem*, XII. senæ, *sextantem*, X duodenæ, *deuncem*, V. vicenæ, *dodrantem*, III.

Computatio numerorum Arabibus dicitur *Algorhythmus*, fitque per numerationem, quæ est numeri cujusvis per proprios characteres descriptio, seu notatio, ejúsque recta expressio, seu enuntiatio; fitque non tantùm *numeris*, sed & *calculis*. Quæ conficitur per numeros, distinguit illos in certa *loca*; & Computatio numerorum.

 hæc

hæc in *gradus* amplificantes; unde notæ valor æstimatur. *Gradus* tres sunt: semel, decies, centies; qui deinde *Periodis* seu membris iterantur; quorum progressu eædem notæ aliam atque aliam *potestatem* induunt, & quidem eò arctiorem, quo in numerorum copulatione ad sinistram magis recesserint; & ampliorem, quò plus ad dextram tetenderint.

Distinctio numerorum, in classes.

Cœterum numeri *distinguuntur* limitibus seu classibus novenariis, quæ Græcis dicuntur ἐννεάδες. *Primus* limes est μονάδων, (seu monadicus) seu numerorum simplicium; ut 1.2.3. *Secundus* δεκάδων, (seu decadicus) quod decies seipsum significet, ut 10. 12. *Tertius* ἑκατοντάδων, (centenarius) ut 200. 300. *Quartus* χιλιάδων, (millenarius) sese millies indicandô, ut 1000. 2000. *Quintus* μυριάδων, decem millium, seu denotat decadem myriadum, aut millenariorum, sive decies millies, 10000. 20000. *Sextus* ἑκατοντάδων χιλίων, centum millium, seu centies millies, aut centenarios millenariorum; vulgò *tonnæ*; ut 100000. *Septimus* decies centenûm millium, seu mille millium, ut 1000000. vulgò *millio*. *Octavus* est, centies centenûm millium, ut 10000000. seu decem millionum. *Nonus* est, millies centenûm millium, seu μυριάδων μυρίων, ut 100000000. In scribendis & enuntiandis numeris progredimur à sinistra versùs dextram; contrà; in iis distinguendis à dextra versùs sinistram; ita quidem, ut prima nota sive extrema versùs dextram suum numerum semel exprimat: secunda decies seipsam metiatur: tertia seipsam centies numeret.

Scriptio & Pronuntiatio Arithmetica.

In numeris majoribus, gradûs ad Periodos se habent, ut in oratione commata, & cola ad easdem. Arithmetici adhibent aut inferiùs virgulas mino-

minores, (ut,) aut majores supernè; (ut I. II. III.) aut internodia seu puncta, sive in medio, sive suprà, infráve apposita; aut ciphras, & numeros minusculos supra numerum efferendum scriptos; quæ omnia, prout aliter & aliter ponuntur, ita unus idémque numerus aliter atque aliter multiplicatus pronunciatur. Solent virgulæ tertiô quoque locô poni; quarum prima notat mille; secunda millena; tertia & sequentes requirunt adverbia numeralia, centies, millies. Et hæc est enumeratio; quam quidam inter *Species* (ut vocant) seu officia, vel partes Arithmeticæ ponunt, & vocant *Additionem simplicem*; plures alii numerum illarum *Specierum* in quaternarium redigunt; quarum prima sit *Additio*, quæ est duorum pluriúmque numerorum in unam summam collectio. Ubi numeri superiores dicuntur *Addendi*: quos duplici minimùm serie constare oportet. Inferiores vocantur *Additi*; item *Summa, Collectum* & *Totum*; *Operatio* respicit ordinem, procedendô à dextra versùs sinistram; & *Inductionem*, quâ ejusmodi graduum notæ sic adduntur, ut particulares summæ suis sigillatim gradibus subjiciantur; excrescentibus in subsequentem subinde translatis: ad quæ accedit *Probatio*, seu examen, demonstratióque rectæ operationis, seu rationis initæ, quæ in omnibus Speciebus requiritur; quò servit *Abacus Additionis Pythagoræus*, qui vulgari tabellâ exprimitur; v.g. 1 & 2 sunt tria; 2 & 3 sunt quinque, &c. Altera species est *Subtractio, Subductio*, seu *Ademptio* numeri minoris à majore; vel æqualis ab æquali. Tertia, *Multiplicatio*, ducens unum numerum in alterum; quô toties augetur, quot unitates ille continet. Numeri multiplicandi (sic & addendi, subtrahendi, &c.)

Quatuor numerandi & supputandi Species: Additio:

Subtractio:

Multiplicatio.

dicuntur *dati*; *quæsiti* verò seu *facti*, aut *producti*, qui ex multiplicatione resultant. Huc idoneus est alius à supra memorato *abacus*, quem *Multiplicationis* vocant, & *mensam Pythagoræ*; huc quoque spectat *Regula Pigri*. *Quarta* est *Divisio* seu *Inventio* numeri exprimentis, quoties minor aliquis numerus in aliquo majore numero contineatur; vel in quo toties inest unitas, quoties *divisor* in *dividendo*, ut si v. g. numerus dividendus sit 20. divisor erit 5. *Contentus* autem, seu *quotus* est 4. (Arith. *quotiens*) In *fractione*, numeri distinguntur lineâ interjectâ; è quibus superior, seu qui partes integri numerat, dicitur *Numerator*, ut est 2. in hac minutia $\frac{2}{3}$. *Denominator* inferior, qui indicat, in quot partes integrum sit sectum, ut hîc 3. seu partes tres, hoc est, duo trientes. Numeratio fit *calculis*, quando calculator in abaco seu tabula *ratiocinatoria*, vel *calculatoria*, orbiculos æneos, per lineas ab unitate ad decenarium: & hinc, per intervalla ad centenarium ac millenarium crescentes, versat & reversat; & ad superius spatium identidem promovet; atque ita rationes componit, subducit, & supputat; *rudiores* per decusses, duodenas, quindenas, sexagenas computant.

Divisio.

Jam à simplici computatione transgrediendô, ad *comparatam*, quam dicunt *Rationem*, in qua, quia terminus, seu numerus major, minorem diversimodè continet, dicitur dupla, tripla, superparticularis, superpartiens, &c. Quod si terminus major complectatur minorem & alteram ejus partem, nomen habet *sesquialteræ*, quod idem est, ac sesqui tantundem & ejus dimidium, ut 6 ad 4. Ipsa verò rationum inter se collectio appellatur *analogia*, seu *proportio*, quarum præcipuæ sunt tres. Prima *Arithmetica*, quæ est series numerorum per

Proportionum tres præcipuæ.

per eandem differentiam progredientium, ut 1. 2. 3. 4. 5. vel 2. 4. 6. 8. Altera *Geometrica*, éstque progressio numerorum eodem se excessu superantium, ut 1 & 2. 4 & 8. 16 & 32. Tertia *Musica*, talis scilicet trium numerorum ordo, ut, quæ est proportio maximi & minimi, ea sit differentiarum maximi & medii; ac medii & minimi; ut in his tribus numeris, 6. 4. 3. Differentia maximi & medii est 2. medii & minimi 1. inter quos est proportio duplæ; qualis est etiam inter 6. & 3.

Sunt in Arithmeticis *Regulæ*. *Prima*, & præcipua est *aurea*, seu *Regula Trium*, quâ tertius numerus multiplicatur in secundum; & inde productum dividitur per primum; vel quæ tribus datis numeris quartum proportionalem docet invenire. *Secunda Regula*, est societatum seu consortii, quæ adhibetur, quando plures, consortiô inito, contulerunt pecuniam ad communem negotiationem. Tertia *Regula*, est Alligationis, quæ ad unum pretium res varias alligat, seu in qua variæ merces diversi valoris miscentur, ita, ut, statutô quodam pretiô mediô, eô emantur omnes. Quarta *Regula Falsi*, ex falso posito, verum docens eruere; sed de his vide libros ex instituto materiam præsentem tractantes, ex quibus disces, præter Arithmeticam *Generalem*, esse *Specialem*, (ita cum Julio Capitolino loquuntur) quæ est *Computatio numerorum figuratorum*; videlicet, qui ex multiplicatione producti certam figuram constituunt, quorum alius *planus*; alius est *solidus*; *istius* unitates, in longum, latum & profundum dispositæ, referunt figuram quandam solidam; qualis in Geometricis est cubus, parallelipipedum, &c. *Illius* unitates, in planam formam redacti, referunt Geometricum; v. g. trigónum, te-

tragónum, seu quadratum, pentagónum, (prout latera sunt æqualia, vel inæqualia, &c.) Ex iisdem doceberis, quid sit *Extractio radicis*: quid Arithmetica *Cossica* seu *Algebra*, (utrúmque vocabulum est Arabicum) quæ quibusdam *Analytica* & *Synthetica* dicitur, quærens numerum occultatum per numerum fictum, æqualem dato vero: per quasdam figuras & characteres Cossicos seu Arabicos, certô quodam modô & valore numerales, qua.es v. g. lunt:

ʒ4. ʒ $\frac{2}{3}$ ʒ $\frac{3}{c}$ ʒ. ʒ $\frac{4}{3}$ 3ʒ $\frac{5}{3}$. ʒ3 $\frac{6}{c}$ &c.

Apponam hujus vulgare paradigina, & finiam. Emptores tres certant inter se de emptione agri æstimati 100. fl. Primus ait secundo, si tuæ pecuniæ dimidium ad meam accederet, æquaret illa pretium agri; secundus tertio dicit, si triens seu quarta pars tuæ pecuniæ adjiceretur ad meam, tantundem conficeretur: tertius primo ait, si quadrantem seu quartam tuæ summæ conjugerem cum mea, implerem florenos centum. Primus igitur horum, secundum Algebram, habet 64. fl. secundus 72. fl. tertius 84. fl. *Desiderius.* Hem quàm peregrinus adhuc fui in Arithmeticis; tua fecit humanitas, ut, tametsi callem hunc callere non profitear, haud tamen, instar cœci, manibus in eo vestigia prætentem. Sed ut numeros absolvamus omnes, paucis refer, quot & quales sint vulgariter *numerandi ordines*. *Mercurialis.* Quanquam hoc ad Grammaticos magis attinet, quàm Arithmeticos; exequar tamen propter juniores, quod rogas. Attende: numeri *Cardinales* appellantur, unus, duo, tres &c. *Partientes* seu *Distribuentes*, (Grammaticis Partitivi & Distributivi) unitas, binarius, ternarius, quaternarius, quinarius, millenarius; singuli, bini, terni,

Ordines nu-merandi.

ni, quaterni, deni, viceni, centeni, milleni, decies milleni, &c. *Ordinales*, primus, secundus, decimus, vigesimus, centesimus, ducentesimus, millesimus, vicies millesimus, &c. *Multiplicantes*: simplex, duplex, triplex, quadruplex, decuplex, centuplex, millecuplex, decies millecuplex, multiplex. Vel simplus, duplus, triplus, quadruplus, quincuplus, decuplus, quadruplus, multiplus, &c. Bipartitus, tripartitus, quadripartitus, quinquepartitus; & bipartitò, &c. Numeri Temporum: Primanus, seu diarius, secundanus, tertianus, quartanus, quintanus, sextanus, decimanus, vicesimanus, centesimanus, &c. Iidem numeri sunt etiam Ordinales, ut Primanus primi ordinis, &c. Huc pertinent numeri menstrui, ut menstruus, bimestris, trimestris, quadrimestris, quinquemestris, seximestris, decimestris, duodecimestris; & numeri annui; ut annuus, anniculus, bimus, vel biennalis, trimus, (triennis, triennalis) quadrimus, seu quadriennis, quinquennis, decennis, vel decennalis, undecennis, duodecennis, vicenarius, tricenarius, nonagenarius, centennis, vel centenarius. *Numeri adverbiales*, semel, bis, ter, centies, millies. *Desiderius.* Satis numerorum; procedamus, nisi quid restat. *Mercurialis.* Restat enimverò.

Nam & *Litteræ* sunt in *Notas* Arithmeticas referendæ. *Desiderius.* Quænam illæ? *Mercurialis.* Græcæ & Latinæ. Et Graji quidem, vel singulis alphabeti litteris, secundùm ordinem sui loci numerum significant, quâ numerandi ratione viginti quatuor libri Iliadis, & totidem Odysseæ Homericæ sunt consignati; vel utuntur totô alphabetô in tres classes divisô, quarum *prima* est *unitatum* ab alpha usque ad jota; *altera denariorum* à cappa usq; ad rho; *tertia centenariorum*. Majusculæ sunt I. *Litteræ numerales.*

denotans unitatem. Π quinarium. Δ denarium. Η centenarium. Χ chiliadem seu millenarium; quæ sive per se; sive aliis adjunctæ, multiplicantur; v. g. ΔΔΔ triginta significant. Latini quoque designant numeros septenis, ut suprà dixi, characteribus. I. V. X. L. C. D. M. Quod si numero alicui transversa linea superducatur, tot significabit millenarios, quot per se valebat unitates. Ad hunc modum $\overline{I}$ millenarium indicat. $\overline{V}$. quinque millia. $\overline{X}$. millia. Unitas habens à tergo apostrophum seu c inversum, sive respiciens hoc modô, IƆ significat 500. IƆC, 600. at CIƆ mille. Si duos apostrophos, videlicet IƆƆ, 5000. quod si totidem à fronte ponantur CCIƆƆ, fient decem millia; si tres à tergo IƆƆƆ, erunt 50000; si terni utrinq; CCCIƆƆƆ. centum millia; atque sic quælibet summa in immensum explicari poterit. CD, 400. Hoc obiter inspergo, factum esse, sive inscitiâ, sive festinatione librariorum, ut, dum unô calami ductu pro CIƆ pingebant vel ∞ vel M; item pro IƆ subjiciebant & contrahebant D. corruptela literarum in consuetudinem abierit, indignante Paulô Manutiô in lib. de Quæsitis per Epistolam, adversûm Priscianum, quòd existimârit notam M pro millenario poni, quia princeps sit vocabuli mille. Atque hæc de numeris, de quibus innumera alia alibi. *Desiderius.* Quò jam pergemus? *Mercurialis.* Ad numeros Musicos, haud paullò suaviores; ad quos, si volueris, numerosè pedes movere licebit. *Desiderius.* Modò ne auriculas. *Mercurialis.* Securum te metûs esse jubeo; non possis, etsi velis, nolis. *Desiderius.* Potuit Midas; qui sententiæ suæ, quam in certamine Musico stolidè tulit, pœnam & prœmium, asininas auriculas, utique motabiles, retulit;

auctam

auctam obtuso capiti appendicem. Sic ego quidem auritus fieri non cupio. *Mercurialis.* Hæc nunc obiter :

Numero Deus impare gaudet.
Nos numeros sumus ; inutiles.
In numero esse ; æstimari.
Nullô numerô haberi ; contemni.
Numeris omnibus absolutus ; perfectè.
Extra numerum se movet ; inscitè.
Calculum reducere ; mutare factum.

De calculis candidis & atris alibi. Tendendum ulteriùs.

Caput LIX.

Musica.

Musica à Musa seu Cantu dicitur, versatúrque circa numerum sonorum, seu numerosum sonum ; *Ars* nimirum canendi, non ostendens tantùm sonorum inter se concordiam, in modulamen componendam, per *Musurgos* : sed exercens etiam per Musicos, & cantores, ac cantatrices. Estque *triplex* : nam aut modulatâ vocum varietate constat, & *Vocalis* dicitur, (Græcis *Harmonia* :) aut instrumentis arte ad id compositis editur, & vulgò *Instrumentalis* appellatur, (Græcis *Organica*) aut vox cum Instrumentis jungitur; & *Mixta* vocatur (Græcis *Symphonia* :) illa, quam *Mundanam* vocitant, quæ consistit in quarumlibet rerum inter se nexu, consensu, ordine, proportione, ac quasi concentu, huc non pertinet. *Sonus* est propriè vox ipsa, aures feriens ; *tonus*, spatium duobus circumscriptum sonis ; seu distantia inter sonorum gravem & acutum. Soni inæquales faciunt *Musica triplex.*

 ciunt

ciunt *intervallum* Musicum, seu vocum inter se discrimen, ac proportionem, scilicet trium, quatuor, quinque, sex, &c.

Quantitas soni. Omnis porrò sonus *quantus* est, *quantitate*, ut loquuntur, completâ; quippè habent trinam dimensionem; secundùm quam est mensurabilis: Vel in *Longum*, ad mensuram seu modum *Percussionis*; quæ constat θέσει, καὶ ἄρσει, seu depressione, & elatione. Vel in *Latum*, prout est tenuis seu lenis, mollis, submissus, exilis; aut asper, durus, clarus, plenus; constans scilicet spiritu aut leni, aut asperô, vel in *Crassum*; prout est nimirum profundus, seu gravis: aut altus, seu acutus.

Modus & Regula cantûs. *Modus* est *Regula* cantûs, absque hoc in incertum vagatur; ita, ut cantus ab exordio ad finem ritè ac ordinatè procedat, secundùm verborum textum seu tenorem; vel jucundus, vel tristis, vel indignabundus, vel blandus, &c.

Concordantia intervalla. *Intervalla* præcipuè *concordantia*, tonorum sunt, *Ditonus*, sive Perfecta Tertia; facilè princeps in Musica. *Diatéssaron*, sive διὰ τεσσάρων, vulgò Quarta, nimirum quatuor clavium distantia & comprehensio. *Diápente*, seu διὰ πέντε, Musicis Quinta. *Diápason*, sive διὰ πασῶν, seu Octava, continens octo claves; & Tertiam, Quartam, Quintam includens harmonicè. Minùs Principalia sunt: *Diésis*, sive Semitonium minus, cujus signum cancellatum seu cruciatum (✱) significat Notam Musicam per *Semitonium minus* elevandam esse. Semitonium cum Diapente, *Sexta* Musicis dicitur *Imperfecta*: Tonus cum Diapente, *Sexta Perfecta*, &c. Toni Consoni, (vulgò *Consonantia*) seu Canorûm combinationes, sunt duodecim.

1. 3. 5. 6.
8. 10. 12. 13.
5. 17. 19. 20.

Porrò *quatuordecim Modorum* nomina sunt ista: 1. Doricus. 2. Hypodoricus. 3. Phrygius, 4. Hypophrygius. 5. Lydius. 6. Hypolydius. 7. Mixolydius. 8. Hypomixolydius. 9. Æolius. 10. Hypoæolius. 11. Jonicus. 12. Hypoionicus. Spurii denique duo; Hyperæolius & Hyperphrygius nuncupati. Atque, secundùm has appellationes, diversissimas habent melodias: putà hilarem, mœstam, austeram, blandientem, indignantem, placabilem, &c. Quorum tonorum seu modorum principium, est *tonus unisonus*. *Nomina Modorum.*

Cœterùm *Syllabæ Musicæ*, seu vocum differentiæ, vulgariter numerantur sex: Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La; quidam addunt septimam, juxta illud *Maronis*: Septem discrimina vocum. Quarum originem Guido Aretinus, Monachus Italus, circa annum Domini 1022. è veteri Hymno, D. Joanni Baptistæ sacro, duxit. *Syllabæ Musicæ.*

Ut queant laxis,
Re-sonare fibris,
Mi-ra gestorum
Fa-muli tuorum,
Sol-ve polluti
La-bii reatum
Sancte Joannes.

Hisce clavium tenor exprimitur. Pro triplici sua differentia efficiunt Cantum vel Durum, vel Mollem, vel Mediocrem, seu Naturalem; sæpiúsque repetitæ constituunt Modulamen, seu Melos. Subeunt autem varias Mutationes, seu Vocis in vocem, in eadem clave, unisonas variationes, quando Cantus vel ultra vocem La ascendit: vel infra voculam Ut descendit.

Litera Musica. *Litera est*, veluti Clavis, quâ reseratur Cantus. Sunt: A. B. C. D. E. F. G. quæ, cùm sint Majores, Minores, Geminatæ, efficiunt viginti omninò claves, atque adeò scalam viginti graduum constituunt, hoc est, seriem intensionis & remissionis vocum ab acuto in gravem.

Nota Musica. *Nota* est signum soni, seu vocis cantu proferendæ. Et quidem Notæ (seu Signa) vel *Simplices* sunt, vel *Ligatæ*. Simplices vel sunt *Integræ*, hoc est, unô constantes tempore, seu morâ exprimendæ syllabæ; ut semibrevis; vel duobus; ut brevis; vel quatuor, ut longa; vel octo, ut; vel sunt *Fractæ*; & continent aut secundam temporis partem; ut minima; aut quartam, ut semiminima; aut octavam, ut *Fusa* seu *Fuga*; aut decimam sextam; ut *Semifuga* seu *Semifusa*, ut. His omnibus Notis, exceptâ maximâ, sua cuique respondet *Pausa*; ut longæ Notæ longa, brevi brevis, & sic deinceps, ut:



Quæ *Pausa* est suspensio vocis, index & mensura silentii. Variantur etiam *Notæ*; valore vel *Auctionis*, vel *Minutionis* Signum auctionis est, *punctum* Notæ subjunctum; à quo Nota dimidiô sui valore supra proprium augetur, ut valet; valet

valet ; *Minutio* fit vel secundùm proportionem *Duplam*, in qua singulis Notis ac Pausis dimidium valoris adimitur; vel secundùm *Triplam*, in qua tres Notæ non plus valent, quàm extra *Triplam* hanc unica earum; vel *Quadruplam*, in qua quatuor semibreves uni percussioni (vulgò *Tactui*) accinuntur; vel *Sesquialteram*, in qua tres Minimæ, aut Semibreves & Minima; quæ sic ut & Tripla maximè in usu est. *Suspirium* est vocis suspensio, & inter pausas annumeratur.

Signa soni, prout est vel gravis vel acutus, sunt lineæ parallelæ, ordinariæ quinæ; aliquando plures; quibus ad indicandam vocis gravitatem, vel altitudinem, apponuntur figuræ Quarum *prima*, cùm voci supremæ, vulgò *Discanto*, præfigitur, cantum elevatiorem significat. *Altera* in eadem *suprema*; eique *proxima*; & in *media* voce, denotat literam C. Et hæc, prout in superiore vel inferiore linea pingitur, ostendit discrimen dictarum vocum. *Tertia* trium figurarum, à Musicis in litura F poni solita, infimæ voci tribuitur. At designat *initium* cantûs, *finem*, *diesin*, fictéque canendum esse, ut dictum est, notat. Cantum *Mollem*, *Durum*; monet esse repetendum. *Custos* docet, in qua *Clavi* sit posita Nota, in principio lineæ sequentis. Cujus signum est

Lectio Musica, vulgò *Solmisatio* dicitur. *Melos* seu Melodia ex apta vocis modulatione, & flexu consurgit. Dicitur vel *Simplex*, quæ unica tantùm vocum Musicarum serie contenta, qualis cernitur in

in *Cantu Gregoriano*, quem vulgò *Choralem* appellant, ubi Notæ uniformem servant mensuram: *Antiphóna* est vox reciproca, duobus choris alternatim canentibus, ut canuntur versiculi Psalmorum. *Diaspasma* est intervallum & pausa inter illos. Vel *Composita*; plures simplices continens melodias, Notis inæqualibus variatur; Cantum *Figuratum* seu *Ambrosianum* nominant, vulgò *Contrapunctum*; qui aliquando minùs habet artificii, aliquando plus, cùm scilicet est coloratior, fractior, floridior. *Cantilena* verò, seu *Cantio*, dicitur *Monodia*, cùm unus canit; Latinè *Sicinium*, cùm plures, *Symphonia*. Quanquam hoc vocabulum aliter quoque suprà accepimus. Duo canentes faciunt *bicinium*: tres *tricinium*: quatuor *quadricinium*. Multi *Chorum*, consonâ vocum discordiâ, & discordi concordiâ, efficiunt. Hinc dicitur Cantio constare *Ternione*, *Quaternione*, *Senione*, *Ogdoade* Cantorum; quorum acutissimè cantans, *Suprema Vox* appellatur, quem Græci vocant *Oxyphónum*, vulgus *Dìcantum*; cui proximus *Megalophonus* vel Μεγαλόφωνος, seu *Mediæ Vocis contentio*; vulgò *Altus*. Quô inferior est Mesophonus, seu Media Vox; vulgò *Tenor*. Baryphónus voce canit imâ, infimâ, gravi; vulgò *Bassus*.

Quatuor discrimina Vocum.

Compositio Musica.

Qui componit (*Compositor*) numeros, Musicis Organicis modulandos, ducit in charta, vel abaco, aut membrana deletitiâ, (ut exerrantes vel dissonas Notas iterum jugulare possit) quinas aut plures divisim lineas, (*Systemata* vocant) attendens accuratè ad sonores, eorúmque distantias, & mutuas inter se constitutiones; ut consociet acutos gravibus; temperatas imis & supremis; observátque exquisitè tonos, seu accentus, aut mensuras, illarúmque partes. *Compositionem* seu *Diagramma* cantionis describunt alii.

Est

Est autem natura cantûs *triformis*. Fit namq; aut *Ore*; sive id voce *Solâ*, hoc est, *Afflá* aut *Flatu*; ut in fistulis; aut *Manu*, ut in chelidibus, &c. *Cantus triformis.*

Organœdus (*Lucretio* Organicus) ludit Organicô pneumaticô: manibus, pedibúsque manubria (seu Claves) epitoniorum pulsans; versánsque ad regulas Pleuritides, per quas inflantur fistulæ seu stanneæ, seu ligneæ, de quibus cap. 43.

Quod *ad fides* attinet, Cheliódi (Chelii, fidicines, fidicinæ) canunt fidibus numerosè sonantibus: plectrô, seu pectine, pice aridâ seu resinâ frictâ aut tostâ illitô (vulgò *colophoniâ*) percutientes & pectentes chordas; variè illas oberrandô; ídq; faciunt chely, pandúrâ, barbitô majore minoréque: videlicet, trichordô, tetrachordô, pentachordô, hexachordô, heptachordô, digitis attemperantes fidiculas, sustentatas à ponticulo, (mágade, magadiô) per verticulos (verticula, seu epitonia) jugo immissos, eos remittendô, contendendô, corrigendô. *Fidium cantus.*

Luditur & Instrumentô ænearum fidium. Et eô, quod Clavichordium, (Onomatopœia ex Latino & Græco) vocant. Tuba Marina (*Monochordon*) æmulatur fidibus flatum tubarum. In chordis *Hypate* gravem reddit sonum; *Mese* medium; *Nete* acutum; quibus accedunt comites, *Parhypate*, *Paramése*, *Paránete*, *Líchanos*.

Lyricines (Lyristæ) digitis carpunt nervos Lyræ; *Citharœdi* & Citharistriæ, citharæ ac testudinis; *Sambucines* & Sambucinæ, vel Sambucistriæ, sambucæ tríquetræ; *Psaltæ* & *Psaltriæ*, decachordi psalterii vel psaltrii.

At *flando* & usu tibialis lingulæ vel ligulæ canunt *tibicines*, auletæ, aulœdi, choraulæ, ac tibicinæ tibiâ, (auleticô calamô) longâ, brevi, acutâ (gingriâ vel gingrô, saliari, præliari, præcentivâ, incentivâ, *Flando canunt.*

tivâ, succentivâ. *Utricularius*, (ascaula, vel ascaules, *Sueton*, pithaules, *Senecæ*) utriculô, seu tibiâ utriculari. *Tubicines* (buccinatores) buccinâ, seu tubâ rectâ, ductili, acutâ : *Fistulatores* fistulâ, calamô, cannâ, arundine, cicutâ, foliô ; *Cornicines* cornu ; *Liticines* lituô.

Pulsando canunt. *Pulsu* verò manuum, & nodosorum bacillorum, quatitur â *tympanista* (tympanótriba, tympanistria) tympanum ; ab *æneatore* aheno tympanum seu anácara, orum ; à *cymbalista* cymbalum, sistrum, crotalum. *Lignea craticula* unô pulsatur paxillô ; sed oris plectrô, sonorum intra dentes cymbalum, vocatúrque *crémbalum*.

Quid requiratur in Musico. Hos omnes modulatores moderatur mensurâ & percussionum modis Præfectus Musicæ, seu Phonascus, aut *Mesóchorus* ; unde variarum concors discordia vocum seu symphonia efficitur à *Symphoniacis* seu *Harmonicis* ; ad quam requiritur non artis tantùm cognitio, sed & oris & digitorum conformatio, vocísque attemperatio. Neque enim satis est, nôsse *figuras notarum*, *tempora*, *signa*, *pausas*, *ligaturas*, (*quadratas*, *obliquas*, *descendentes*, *ascendentes*, *perfectas*, *imperfectas*,) *fugas*, *revolutiones*, *diminutiones*, *suspiria*, *syncopas*, seu *fractiones* vocum, &c. sed utendum *chromatis*, (chromatibus) & coloribus. *Vox* (sive modulatus, & moduli) in mæandros est variè flectenda; implicanda, copulanda, concidenda, distinguenda, intorquenda; modò suspendenda; modò in longum trahenda; iterum revocanda ac reciprocanda, commutanda; nunc claranda, nunc infuscanda; jam scansim excitanda; jam ab acuto in gravem recipienda, & colligenda; jam sursum, deorsum, variô sonorum intervallô, multiplicique flexu citanda, prout diversa sunt ornamenta chromatica; dum voces depressiores invadunt fines altio-

altiorum, & coëunt melodiæ, ídque motu gradariô, non ſaltatoriô, ita, ut quælibet per gradus profluat potiùs, quàm violentè per intervalla majora procurrat; infimæ tamen conceditur incedere ſaltatim. *Dieſis* efficit in cantu voculas falſas, quæ magis delicatæ, quàm ſi certæ & ſeveræ. *Fundamentum* & *baſis* totius concentûs eſt *admodulatio organica*, omnibus conſona vocibus. Sed tu Luſciniam inter cantores dixeris, cui vox limpida, liquida (*Plauto* vinnula, vel vinnulata) canora, firma, vibrans, clara, articulata; *anſerem* inter *olores* putes, & *euphoniæ* corruptorem, cui vox fuſca, rauca, diſſona, abſona, abſurda, exaſperata, retuſa, pinguis, obſcurata, devorata, abſorpta, ſtrangulata, per nares rancidula, &c. Si quis autem irrauſit canendô, gutturem olliat dulcibus. *Abſurdus Muſicus.*

Deſiderius. Ut video, res etiam Muſica non auditu tantùm, ſed intellectu quoque, variis eſt flexuoſa mæandris; quibus (ut, quod ſentio, fatear) immorari diutiùs haud eſt animus. In actu malim *Exercito*, (ut loquuntur) quàm *Signato* hæc addiſcere & experiri. Id tamen non eſt inobſervatè transmittendum, quod de diverſis canendi generibus dixiſti, ſcilicet Æolico, Jonico, Dorico, &c. *Mercurialis.* Sunt enimverò diverſa; cùm aliter explicentur atque aliter; ſtrictim ut tranſeamus; ſunt, qui Lydium vocant, (mirè enim variant) querulum, remiſſum, humilem. Alii durum eundem, aſperum, minacem, temulentum, inſanum ajunt. *Phrygium* pleríque appellant auſterum & religioſum; *Jonicum* verò laſcivum; *Æolium* mitem & ſuavem; *Doricum* gravem & bellicoſum; unde judicabis de iis, quæ, in his Extremis, ſunt Media. *Genera diverſa canendi Veterum.*

Deſiderius. Accepi, quod volebam. Sed quæſo

Z te,

te, quid sibi volunt illa cantorum peregrina vocabula; qualia sunt: *Mottetа, Madrigále, Intráda, Ballèto, Aria, Ritornello, Corrente*, &c. Unde sunt profecta? *Mercurialis.* Ab Italis ad nos & Nationes alias; tanquam si neque Vernacula, neq; Latina Lingua hîc habeat linguam. Describam tibi; *Mottetа* est, cantio seu cantilena gravior & religiosa; *Madrigále*, liberior & lascivè jucunda; *Intráda*, præcentio & præludium; *Balléto*, choreuma gravius, seu canticum saltatorium; cui subjungitur *Aria*, cantiuncula subsultim desaltanda; *Ritórnello*, symphonia breviuscula; *Corrente*, cantio celeriore saltu decurrenda. *Falso bordone* (quasi bracteata segmenta) figuratus cantus, Corali mixtus.

Desiderius. Intellexi hæc. Quid de *Stylo*, quem vulgò *Recitativum* vocant? *Mercurialis.* Est cantus recitatus, seu cantata recitatio, non tam attendens expriménsq; vocum inter se implicationem & crispationem, quàm vim modúmq; modulatè & ad affectum accommodatè pronuntiandi (forsan cantillandi dixeris) syllabas. *Cantilenæ* solent dici, quæ ab ancillis pensa trahentibus cantitantur, nullâ lege metricâ, nec certâ numerorum moderatione adstrictæ; etenim aliud est, *melodiam* quandam exprimere cantu; aliud *modulari*, seu modulatè aut ad modulos canere. *Desiderius.* Capio, & eo. *Mercurialis.* Quid in penum nostrum? *Desiderius.* Quod Horatius suppeditat:

Omnibus hoc vitium est cantoribus; inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati,
Injussi nunquam desistant.

Mercurialis. Ejusdem est: *Nugæ canoræ*; variô sensu. *Cantilenam eandem canere. Surdo canis. Sirenum cantus. Cantoris hæsitantia tussis. Res decantata*; impor-

portuna in luctu Musica. *Paulò majora canamus. Cantando tu illum?* ex *Virg.* eclog. Et: *Stridenti miserum stipula disperdere carmen.* Historicum est, quòd narrant, Pythagoram, cùm in homines ebrios tibicini admodulantes incidisset, jussisse extemplò canere *Doricum*, itaque crapulam & temulentiam discussisse, ut corollas capite detraxerint, séque ad modestiam composuerint. *Desiderius.* Tanta vis soni modulati? *Mercurialis.* Confirmat Davidis cithara. Hinc ad alias *mensuras*, non *auribus*, sed *oculis* probandas.

CAPUT LX.

Geometria.

EX vi nominis est terræ mensuratio, seu ars metiendi terram; latiùs ad aliarum quoque rerum dimensionem extenditur, considerans magnitudinem, (secundùm quam aliquid dicitur *Quantum*) cujus Extremum vocatur *Terminus*; éstq; alia *Continua*, (quod etiam suprà indicavimus) eáque vel per partes sibi succedentes, ut Tempus; vel *Permanens*, ut Extensio corporum; alia *Discreta*, ut numerus. Permanens dividitur in *Geodæsiam*, agros, acervos, puteos, turres visibilibus lineis metientem: & *Specularium* seu *Opticam* (vulgò *Perspectivam*) varios rerum, sub aspectum cadentium, radios examinantem. Quibus inservit Mechanica, in se complectens *Architectonicam* seu Ædificatoriam; & *Organopœiam*, machinarum & instrumentorum conjunctricem; ac *Thaumopœiam*, spiritibus, ponderibus, nervis, ignibus mira quædam efficientem. *Geometriæ partitio.*

Nunc de *Geometrica*, prout alta, lata, profunda, plana, gibbosa, longa, brevia, magna, parva, crassa,

Dimensiones Geometricæ. crassa, densa, tenuia explorat, suásq; *mensiones* peragit per *puncta*, (minimas ac individuas lineæ partes) *lineas*, *superficies*; ac *figuras solidas*, seu corpore constantes. Est autem *punctum* principium magnitudinis; *linea* solâ est longitudine (*Mathematicè*) contenta; *superficies* latitudinem quoq; habet; quibus si *profunditas* accesserit, dicemus corpus esse, seu solidum; à cujus consideratione nomen *Stereometriæ* inditur. Quidam, secundùm varias earum occupationes, Planimetriam, Longimetriam, Altimetriam, Profundimetriam, Trigonometriam, Cyclometriam, &c. nominant, frustrà multiplicandô vocabula, quorum aliqua nec Latina, nec Græca. In Geometricis celebrantur Euclídes, Archimedes & Apollonius, præsertim hujus *Conica*.

Linea. *Linea* incipit à puncto, & desinit in punctum, éstque vel *simplex*, vel *mixta*; illa est vel *recta*, (æqualiter inter puncta sua interjacens) vel *curva*, seu obliqua; sive hæc sit circularis, sive spirata, conchata, ovata, lenticularis, serpentina, seu flexuosa. *Circularis* æqualiter distat à medio; *Helix* inæqualiter; Linea *mixta* componitur ex recta & curva. Linea ad aliam comparata, vel est *Parallela*, seu æqualiter ab altera distans; vel *Perpendicularis*, (Geometris) directè super alteram insistens; *Lineatum* dicitur, in quo sunt Lineæ, seu quod ex Lineis est.

Angulus. Ex concursu, seu contactu Linearum, fit *Angulus*; vel *Rectus*, ut quando Linea recta, rectam tangens, æquales facit Angulos, sive, cujus crura sunt æqua ad *perpendiculum*; vel *Obliquus*, cujus crura non sunt ad perpendiculum erecta; ísque vel *Acutus*, minor rectô; vel *Obtusus*, major rectô. Sed hæc sine delineatione vix assequeris. *Desiderius.* Vix indigeo. *Mercurialis.* Præfíscini; sequentur plura.

plura. A Lineis & Angulis, progressio fit ad *Figuram;* quæ, secundùm Euclidem, unô aut pluribus clauditur terminis; sic circulus unô continetur, nempe Lineâ curvâ; Triangulus, tribus Lineis rectis. Est autem Figura, vel *plana*, vel *gibba*; sive sit superficies, sive corpus. Si superficies plana; vel est Lineæ rectæ: (Geometris *Rectilinea*) vel curvæ (*Curvilinea*:) si prior, comprehendit Triangulos, & quæ ex Triangulis fiunt, Quadrangula, & Multangula, Græcis *πτράγωνα, καὶ πολύγωνα*; Geometris Triangulata; si posterior, complectitur circulum, de quo paullò post. Quod si superficies (idem de corpore dicendum; nisi quod in hoc longæ & latæ dimensioni addatur tertia, quæ est profunda) sit gibba, tum vel est *Sphærica*, vel *Conica*, vel *Cylindracea*. Corpus autem tum *planum* dicitur, quando comprehenditur à superficiebus planis, quæ dicuntur *ἕδραι*, ut pyramis, prisma, &c. de quibus mox. *Figura.*

Partes cujusque *Figuræ* sunt quinque. 1. *Centrum*, quod est punctum, in Figura medium. 2. *perimeter*, seu comprehensio, aut ambitus Figuræ. 3. *radius*, linea recta à centro ad perimetrum protensa. 4. *diameter*, linea recta per centrum Figuræ ducta. 5. *altitudo*, seu linea perpendicularis à vertice Figuræ, ad basin erecta. *Partes Figuræ.*

Jam ad *Figurarum* descendendô *Species*. Triangulum, (vel Triangulus, aut Figura Triangula) est Figura tribus constans angulis, Latinis *Triquetrum*, (vel Triquetra, scilicet Figura) Græcis *τρίγωνον*; quæ vel laterum est trium æqualium, Græcis *ἰσόπλευρον*: vel crurum seu laterum duorum æqualium, Græcis *ἰσοσκελὴς*; vel varia, Græcis *σκαληνὸς*, tria scilicet habens latera inæqualia. Ratione verò angulorum, est *ὀρθόγωνος* vel *ὀρθογώνιος*, seu rectangula, *Variæ Figuræ.*

gula, unum ſaltem habens angulum rectum: aut ὀξυγώνιος, vel unum habens acutum; aut ἀμβλυγώνιος, unum habens obtuſum. Cum verò Græcis vocetur σχῆμα, quod Latinis Figura, ideò genere neutrô loquuntur Geometræ, dum dicunt, Triangulum eſt *regulare*, quod tribus comprehenditur lateribus; *irregulare*, quod pluribus; *æquilaterum*, quod tria habet æqualia latera; *æquicrurum*, quod duo tantùm habet æqualia crura; *varium*, quod tria habet inæqualia latera; rectangulum, obtuſangulum, acutangulum, &c. Porrò in omni triangulo, ſi unum latus feceris baſin, reliqua ſunt crura; in rectangulo tamen peculiariter latus angulo recto ſubtenſum, vocatur *hypotenúſa* ſive ſubtenſa; è reliquis alterum, quod in imo jacet, *baſis*; alterum *cáthetus*, ſive perpendicularis.

Ex Triangulis compoſitæ Figuræ. Ex Triangulis, ut monui, naſcuntur compoſita *quadrilatera* & *quadrangula*; inter quæ eminet *parallelogrammum*, lineis ſeu lateribus ex adverſo oppoſitis, æquè diſtantibus, Græcè παράλληλοι, ut eſt tabula aliqua oblonga; *quadratum* ſeu quadrum quatuor latera habet æqualia, cum angulis rectis; cui ſimiles ſunt *rhombus* & *rhomboides*, niſi quòd comprimantur in angulos acutos; reliqua omnia quadrangula, non parallela, *Euclides* nominat *trapezia* ſeu menſas aut menſulas. Denique multangula, πολύγωνα, ſunt longè plurima: v. g. pentagóna, ſeu quinquangula: hexagóna, ſexangula: heptagóna, ſeptangula: octogóna, octangula: enneagóna: decagóna: hendecagóna, hodegóna, &c. Angulata, anguloſa, & angularia dicuntur, quæ angulis ſunt prædita; dicimus & angellus, & angulatim.

Circulus. Hinc tranſeamus ad *circulum*, Figurarum capaciſſimam & ſimpliciſſimam; qui fit ex unica linea am-

ambiente, quam vocant Græci *peripheriam*; (vulgò *circumferentiam*) à cujus medio puncto ſeu centro, ductæ lineæ, ſunt inter ſe æquales. *Diameter* (tertiam peripheriæ partem adæquans) circulum bifariàm dividit, quam altera linea transverſim ſecans, efficit *radios*, ſeu ſinus aut *ſemidiametros*, ſcilicet à centro ad peripheriam ductas lineas. Peripheria diſſecatur in *quadrantes* quaternos, & quadrans quilibet in tres partes æquales; & harum quælibet in totidem; & iterum quævis in quinque diſtribuitur; ſic quadrans diſpeſcitur in 90 partes; ſemicirculus (ἡμίκυκλος) in 180 & circulus in 360. *Chorda* eſt linea recta, arcum quemcunque circulo ſubtendens; Mathematici circulos *parallelos* ſeu *concentricos* appellant, qui habent idem centrum; *excentricos*, qui non habent idem.

Videamus jam *Stereometriam*, & conſideremus corpus, quod eſt trinæ dimenſionis capax. Inter *corpora*, quæ *plana* vocantur Geometris, eſt *Pyramis* à baſi recta, triangulis faſtigiata; (ſi è quatuor trigonis aſſurgat, *tetraëdros* vocatur) ſeu eſt moles quadrata, è latiore baſi in acuminatum tendens faſtigium. Quod è pyramidibus compoſitum aut conſtructum, pyramidatum dicitur. Differt ab ea, *priſma*, quòd non ita ſe in apicem acuminet. Cujus Figuram referunt vitra trigona iridis colores repræſentantia; quibusdam priſma eſt triplum pyramidis, cujus baſis & altitudo inter ſe æquales ſunt; dicitur aliàs *ſerratile*, quaſi ſectum de pyramide; ſi quinque habeat latera, *pentaëdrum* vocatur. *Parallelipepedum* conſtat ſex ſuperficiebus planis quadratis, quarum quælibet, inter ſe oppoſitæ, ſunt parallelæ ſeu æquales, ut eſt trabs benè dedolata, æqualis craſſitiei, ſive oblonga ſit, ſive *cubica*, ut loquuntur. Eſt verò *cubus* Figura ſex *quadratis* æqualibus contenta,

Corpus planum.

tenta, unde *hexaëdrum* dicitur, quales sunt tesseræ lusoriæ sexlateræ (*Geom.*) & sexangulæ. *Octaëdrum* est Figura octo angulis æqualibus & æquilateris comprehensa; *Dodecaëdrum*, compositum est ex duodecim pentagónis æqualium angulorum & laterum. *Icosaëdrum* viginti constat triangulis æqualibus. Præter hæc sunt πολύεδρα, quæ *Geom.* dicuntur *irregularia*, seu inæqualium angulorum & laterum, ut est Figura sexangulæ basis, pluribus ἕδραις seu lateribus inæqualibus distincta.

Corpus gibbum. Inter *corpora gibba*, numeratur primò *Sphæra*, aliô nomine *Globus*, cujus interior pars concava, exterior convexa est; diameter illius est *axis*; hujus verò extremitates seu termini, dicuntur *poli*; tum sequitur *Conus*, qui nihil est aliud, quàm *rotunda* pyramis, seu turbo inversus; inde *Cylindrus*, teres & oblongus. Est autem *orbis* giratus, *globus* rotundus, *funis* convolutus, spiralis; *pepo* ovatus, *gemmæ* quædam lenticulares, seu oblongæ instar lenticulæ, *columnæ* cylindraceæ, *pomum* orbiculatum, *tribulus* triquetrus, *pirum* & quodvis conicum, est turbinatum; quædam pira sunt verticillata; *asser* & *laterculus* est quadratè oblongus, *meta* acuminata, *cuneus* & cuneolus supernè acutior, inferiùs latior ad findendum, &c.

Ut aliæ scientiæ; sic Geometræ præcipuè principia quædam habent communia, quæ ipsis axiomata & dignitates, *Ciceroni* effata & pronuntiata, appellantur; quibus positis & concessis, suas petitiones ac postulationes faciunt; & inde propositiones, problemata, elementa, demonstrationes ac theoremata confirmant, quasique ad oculum & clarum Solem demonstrant. Celebris inter eos con-

Quadratura circuli. tentio est de *quadratura circuli*, aliis eam asserentibus, & illud Archimedis εὕρηκα exclamantibus: aliis

aliis negantibus & pernegantibus, posse exactam dari proportionem curvi & recti, hoc est, inter peripheriam circuli & quadratum diametri. Insulsa est illa quadratura, mutantium ambitum circularem in lineam rectam, & hanc in quatuor æquales partes dividentium. *Desiderius.* Nos bona cum pace hisce litigantibus subtrahamur. *Mercurialis.* Modò ne alias in lites incidamus. Hîc subnotes, *E diametro opposita*; valdè dissentire. *Mors ultima linea rerum*; pax solida, constans. *In omnibus circulis*; seu hominum congressibus. *Cicero* vocat *judicem circulantem*; fastidiosè caput circumferentem. *Non quadrat*; non convenit. Quis *homo quadratus*, superiùs diximus. Nunc crassiore quædam filô metiamur.

Caput LXI.

Geodæsia, seu terræ partitio, ac divisio.

Habet & hæc nomen à dimensione terræ, (nam γαῖα vel γῆ terra, δαίω, divido) in hoc à Geometria differens, quòd *hæc* expendat magnitudinis principia, affectiones & species citra respectum aut considerationem materiæ; *Geodæsia* demonstret usum in materia subjecta; unde quibusdam Geometria Practica dicitur.

In genere mensurarum, celebratur *virga*, (quam dicunt *mensoriam*, & *mensuram famosam*) seu pertica, aut radius, aut linea partium, aut regula *pantometrica*; aut *scala proportionum*, continens pedes minutos & contractos; quæ, quando in denos distribuitur pedes, *decempeda* appellatur; scias verò, in numeris Geometricis notari etiam minuta; hinc si pertica aut virga decem v. g. pedibus distingui-

tur, vocantur Decem illæ partes, *Prima;* hæc dividuntur in *Secunda*; hæc in *Tertia;* Tertia in *Quarta;* & hæc in *Quinta,* &c. atque sic, in ejusmodi Decempedâ, *Secundum* erit pars centesima; signantur autem hoc modô: integra pertica notatur ciphrâ o. *Prima*, supernè virgulâ unâ (,) *Secunda* duabus (,,) & sic deinceps. e.g. 24305, exprimes ita: viginti quatuor *integra*, tria *Prima*, nulla *Secunda,* quinque *Tertia*; sed hæc Arithmeticis relinquamus.

Virga Arithmetica seu Canonica.

Per aliam virgam *Arithmeticam,* seu *Stereometricam* aut *Canonicam*, doliorum v.g. capacitas mechanicè ita deprehenditur. Mensuratur *(vet. Lex.)* vasis latitudo ad basin exteriorem; deinde ad medietatem (utamur hoc verbô, quod usurpare, *Cicero* negat ausum se fuisse) sub obturamentô (orificium vocant;) deniq; æquata diametros circinô capitur, & multiplicatur in altitudinem; ita si vasis altitudo sit decem partium, & diameter æquatus incidat in 7. partes; capacitas erit 70. partium. *Desiderius.* Hæc cùm in foro fierent vinario, vidi, nec intellexi.

Instrumenta Geodætica.

Mercurialis. Vidisti etiam supellectilem (instrumenta) reliquam Geodætis usurpatam? *Desiderius.* Qualem? *Mercurialis.* *Abacum*, seu asserem, aut mensam Geodæticam; tum *radium* decussatum Geometricum, vulgò *Jacobi baculum*; Græcis *choróbaten*; præterea *Quadratum*, geminô latere, umbræ scilicet *rectæ* & *versæ* in certas partes descriptum? *Versa umbra* incidit in latus Quadrati penduli: *Recta* adhæret lateri pinnacidiorum. At in stabili quadrato, latus horizonti parallelum, est umbra *Recta*: alterum, *Versa* lateri pinnacidiorum adversum: *Et Quadrantem,* illum, (quartam circuli partem) qui ob frequentem ipsius in Astronomicis usum, solet *Astronomi-*

nomicus appellari? & *Astrolabium* rotundum, quatuor in margine quadrantibus distinctum? & *diopiras* seu regulas, & pinnacidia *Geom.* seu pinnulas pertusas, illis infixas, per quas prospectantium linea *Opticæ* seu *Fiduciæ* excurrit? Et quæ sunt alia eò pertinentia? *Desiderius.* Vidi, & non vidi; quia, quem in usum quidlibet esset, haud magis assecutus sum, quàm catellus contra tabulam pictam aspiciens. *Mercurialis.* Distantiæ per illa, longitudinum, latitudinum, altitudinum inveniuntur. *Desiderius.* Quonam modô? *Mercurialis.* Ex proportione trianguli minoris in instrumentum incidentis, ac comparatione trianguli majoris, quem in terra lineæ radiosæ efficiunt, rei visæ distantia deprehenditur. *Desiderius.* Haud satis capio, quæ dicis. *Mercurialis.* Id aliàs te docebo pluribus, cùm stare licebit aut sedere; nunc gradiendum est nobis. Hoc tamen velim, ut inter eundum committas menti. *Desiderius* Quid? *Mercurialis.* Geometræ explorant rectitudinem aut curvitatem *lineâ* vel *amussi* funiculi extensi; vel applicatâ inflexili *regulâ*, quæ *Canon* ipsis, Mechanicis *Lineale* dicitur; rectitudinem anguli metiuntur *normâ* seu *gnómone*, cujus figuram refert L majusculum Latinum, vel Γ Græcum; situm plani seu jacentis Horizontis, *libellâ*: *erecti* autem plani, *perpendiculô*; circuli exactionem, *circinô*; vasis capacitatem, *virgâ Stereometricâ*. *Desiderius.* Faciliùs hæc percipio. *Mercurialis.* De mensura hæc porrò accipe. Veteres Latini Orbem terrarum in Partes; Partes in Provincias; Provincias in Regiones: has in Loca, Tractus & Territoria (vulgò Districtus: Territoria in Agros; hos in Centurias; has in Jugera; hæc in Climata; Climata in actus, perticas, passus, gradus, cubitos, pedes, palmos, uncias & digitos diviserunt.

Nos

Minores mensuræ.

Nos per *varias mensuras* transituri, à minoribus ad minores paullò pressiùs procedemus. Quatuor *grana papaveris* faciunt unum *hordeaceum*; hordeacea totidem, *digitum* latum seu transversum; digitus cum triente *pollicem* (seu *unciam*, partem duodecimam pedis;) *sextans* duos pollices; digiti quatuor seu quadrans *palmum*, hoc est, tres pollices; *triens* 4. pollices; *quincunx* 5. semissis 6. seu dimidium pedem, bes 8. *dodrans* 9. *dextans* 10. *deunx* 11. Palmi tres *spithamam* seu dodrantem, aut digitos duodenos, pollices novem; quod est spatium seu interstitium inter pollicem & indicem digitum distentos; id *Græcis* lichas dicitur; quatuor palmi seu pollices duodeni constituunt *pedem*; semipes est digitorum 8. seu pollicum 6. Sex palmi constituunt *ulnam* seu *cubitum*, (qui est à flexu brachii ad extremum digiti, quem indicem vocamus;) aut sesquipedem, sive digitos viginti quatuor, aut spithamas duas. Pes est sexta pars altitudinis corporis humani, naturâ benè compositi; cubitus est quarta pars, palmus vigesima quarta. Duo pedes cum semisse, seu dimidio, faciunt *gradum* seu gressum, hoc est; passum minorem; quinque pedes faciunt *passum majorem*, seu *Geometricum*, qui est idem cum *orgya*, spatium scilicet, quod inter ambas manus extentas, & latitudinem pectoris interjicitur; decem pedes dant *perticam* seu *decempedam*; hodie communis pértica est pedum senûm, quandóque etiam duodenûm & sedenûm; *calamus* efficit sex cubitos; *funiculus* incertæ longitudinis mensura est. Ulna quibusdam idem, quod orgya, aliis est cubitum. Vulgò accipitur pro regula sive cubitali, qualis usitata Suevis; sive pro sesquicubitali, qualis est Bavarica, ad quatuor communes accedens spithamas. Adjectiva mensuram significantia sunt: polli-

pollicaris v.g. latitudo, digitalis crassities, aut sescuncialis, vel trientalis, vel sesquipollex,&c. dodrantalis 9 pollicum. quadrantalis 4 digitorum seu trium pollicum, pedalis aut pedanea scrobs: aut semipedalis, sesquipedalis, sesquipedanea, septempedalis; quaternaria 4 pedum; bicubitalis, tricubitalis,&c.

Jam *majores mensuræ* ita se habent. Centum viginti quinq; passus Geometrici, (seu quod idem, pedes circiter sexcenti) dant *stadium*, cui nomen est à statione; nam Hercules in curriculo Olympico, eô spatiô confectô, & unô quidem spiritu, constiterat. Unum stadium habet sex plethra: unum *plethrum* centum pedes. Octo stadia seu mille passus (intellige minores) conficiunt *milliare Italicum*, seu *stadium Hippicum*, sive *iter Sabbathi Judaici*, seu *milliare antiquum, Romanum*; quorum milliarium singula lapide signabantur, sive cippô seu columnâ; unde ad primum, secundum, tertium, quarum lapidem, hoc est milliare Germanicum. Sedecim stadia, seu pedes mille quingenti, faciunt *leucam*, seu milliare Gallicum aut Belgicum: triginta duo stadia, seu passus quater mille, *milliare Germanicum*. *Dólichus* continet duodecim stadia: *parasanga* vel parasangis complectitur triginta stadia; aliàs dicitur *milliare Persicum*, respondet ferè milliario Germanico, quantùm scilicet unâ horâ confici potest equitandô. *Majores mensuræ.*

In *agris* verò *centuria* complectitur centum jugera; posteriore ætate apud Romanos extendebat se ad ducenta; *jugerum* (quod juncti boves unâ die perarare possunt) in longitudine pedes habet ducentos quadraginta; in latitudine centum viginti; tota *area* est pedum vicies octies millenûm, octingentorum. *Actus* quoquoversus *quadratus*, centum est & viginti pedum; *Actus minimus* pedes habet quatuor *Agrariæ mensuræ.*

tuor in latitudine, ducentos vicenos in longitudine; *versus quadratus* centenûm est pedum: *clima*, spatium quoquoversum, sexaginta pedum; jugera herbidis tumulis seu pulvillis disterminantur. Mensor agrorum dicitur etiam *finitor* & *decempedator*; castrorum *metator*, aquarum *librator*.

Desiderius. Enimverò non tam ambulatores, quàm cursores sumus, qui tantas & tam varias distantiarum & longinquitatum mensuras celeriter permetimur. *Mercurialis.* Quid enim hoc mirum? Hoc liberiore pede, quò liberiore aurâ provecti sumus; nunc contrahendus spiritus, & in *profundas* capacitates immigrandum.

Mensura profunditatum.

In liquidis.

In *liquidis* quidem mensuris minima apud Romanos (hos enim in hoc itinere Latino ob oculos habemus) fuit *ligula* seu *cochlear*, quorum quatuor faciunt *cyathum*; *concha* semicyathum; *acetabulum*, sive ὀξύβαφον, sesquicyathum; quatuor cyathi *quartarium*, seu quartam partem sextarii, hoc est, octavam partem *mensuræ* (ut vulgò loquuntur) *Augustanæ*; quartarii duo seu sex cyathi explent *heminam*; heminæ duæ *sextarium*, (dimidiam *mensuram Augustanam*) sive *cótylam* aut cotylen, ponderantem viginti uncias aquæ. *Quincunx* est poculum quinque cyathorum; *triens* quaternûm; *quadrans* trium, nempe quarta pars sextarii. Seni sextarii faciunt *congium*, (unde bicongii & tricongii, qui unô ductu duos aut tres exhauriunt congios) seu cantharum *congiarium*. (Fuit etiam *congiarium*, munus Imperatorum, quô olim donabatur populus; sicut donativô milites.) Quatuor congii faciunt *urnam*, seu 12 mensuras nostrates, quantum scilicet vir ferre potest. Bavarica tamen urna longè major est, quæ continet sexaginta & ampliùs mensuras vulgares, hoc est, centum viginti sextarios,

rios, seu congios viginti. Alicubi urna nostratem duplô, triplô, quadruplô excedit. Duæ urnæ (Romanæ) constituunt *amphoram*, hoc est, sextarios octo & quadraginta, nostrates *mensuras* viginti quatuor, quantum duo commodè bajulant; eadem (amphora) Romanis dicta est *quadrantal*, quòd in omnem dimensionem pedem habeat; Græcis à geminis ansis appellata est. Eadem, *metréta*, seu *cadus* est. Hydriæ Galilææ singulæ capiebant metrétas vel binas, hoc est, *sextarios*, seu scyphos satis magnos nonaginta sex; vel ternas, hoc est, sextarios, seu scyphos centum quadraginta quatuor. Viginti amphoræ explent *culleum* vel culeum, quantum plaustrô vehi potest, unde vehes vini dicitur.

Atque hæc, quæ de liquidis differuimus, cum satis liqueant apud viros doctos; mira quanta dissensio est in *aridis*, ut adeò vestigia, à veteribus trita, videantur à posteritate vel extrita, vel non mediocriter confusa. Nam quis Hebræas, Græcas, Romanas mensuras inter se componat? Quis tot aliarum nationum varias metiendi rationes & supputationes in concordiam redigat? cùm in eadem provincia & regione non mensuræ duntaxat, sed ipsa quoque discrepent earum nomina. Consilium est, ire non sensu nostrô, sed periti viri cujusdam ductu, *Cornelii* inquam *à Lapide*, cujus eruditioni quis non assurgit! *Mensura aridorum.*

Omnes imprimis mensuræ, quæ vasis continentur, æstimandæ sunt secundùm *capacitatem*, non metallorum, quæ in se recipere possunt; sed vel *liquidorum* ejusdem ponderis, ut aquæ, vini, aceti; vel *aridorum* ejusdem generis; quis enim nescit, frumentum ponderosius esse farinâ, & triticum hordeô? Sit ergo. Minima in aridis mensura est, ligula;

gula; tum cyathus; tum acetabulum; deindè hemína, (quasi semisextarius seu cotyla;) cujus octava pars est, quod dixi, acetabulum: duodecima, cyathus. Sextarius Romanus continet uncias viginti frumenti nostratis; *chœnix* sextarios quatuór, seu modii partem quartam, amphoræ duodecimam, erátq; diurnus hominis cibus. *Modius* dictus est à Romanis, quasi modus, quô frumenta dispensabantur, éstq; tertia pars amphoræ, continens sextarios sedecim, hemínas triginta duas, libras frumenti viginti. *Semodius* est dimidia pars modii; *modiolus* pars quarta: *semimodiolus* octava; *trimodium* seu trimodia, æ, tres modii; hinc calix modalis. *Amphora* Romana (quam excessit Attica, parte tertiâ) continebat libras frumenti nostratis sexaginta (vini aut aquæ octoginta, sextarios quadraginta octo;) duæ amphoræ faciebant *medimnum*, constantem modiis sex, seu libris frumenti centum viginti. Hebræorum *corus* seu *homer* continebat modios Romanos triginta; medimnos Atticos quinque. Dimidia pars cori Hebræis est *Lethec*, tantum onus, quantum vegetus adolescens asino potest imponere. *Batus, ephi, metrēta* æqualia sunt inter se, (respondent amphoræ Romanæ, trium scilicet modiorum) quorum decima pars, *gomor* sive *assarion*, libras ponderat octo: *Satum* tertia pars est ephi, seu modius Romanus; *cabus* duodecima pars ephi, *sati* verò quarta. *Log* est sextarius Hebræus, unciarum tredecim. Plura non addo; abeundum est. *Desiderius.* Sed quid de nostris medimnis, quos *scaphas* appellamus? *Mercurialis.* Nec modii sunt æquales, nec medimna; verba habes, mensuras illis adapta; nam quid morentur nos illæ, quòd alicubi Germani nostri sesquimodium vocent liguâ patriâ ein Står: Alibi modium, ein Såster: alibi modios qua-

quatuor ein Malter sive Mut. Nos Latinorum vestigia legimus: & iter nostrum prosequimur; præstolatur adventum *Statica*, *Desiderius*. Nisi hoc addidisses, plura de mensuris exegissem. *Mercurialis*. Quis olim vocatus *Bicongius*? *Desiderius*. Ciceronis filius; qui duos congios unô impetu exhausit. *Mercurialis*. Expeditè. Novellus quidam ob eandem causam *tricongius* dictus. Doctus indoctos multis parasangis præcurrit. *Tuô te metire pede; non alios*. Hinc ad pondera:

Caput LXII.

Statica, sive ars ponderandi.

Appellationem trahit à ponderando; & librando, sive à ponderibus & libris. *Libræ* partes sunt; primum, *librile*, seu scapus, aut jugum; (periphrasticè, vectis transversus, in medio suspensus, æquali utrinque magnitudine & pondere, à cujus extremis binæ pendent lances æquales;) deinde in centro librilis, *axiculus*; super quem fit libratio; tertiò *ansa*; à qua scapus pendet; & ansæ apertura seu *agina*; per hanc transit *examen*, lingua scilicet infixa scapo. Est autem duplex ratio libræ, seu pensitationis, aut pensationis. Prior habet centrum in medio scapi; unde fit, ut æquilibria neutrò inclinent: graviora verò præponderent, deorsúmque vergant; leviora se attollant; tantò magis, quantò altera lanx magis prægravatur; sive id fiat in bilance majore, quam vocant *trutinam*; sive in minore & minima, quâ pensiculantur numeri aurei, quam *momentariam* vel *monetariam* vocant libellam; illud verò, quod lanci sive trutinæ appensum est, *sacoma* dicitur. Altera libræ forma spectatur in *statera*, seu *trutina Campana*, quæ

Libræ partes.

Trutina.

Statera.

quæ habet centrum librationis, extra medium ſcapi ſeu vectis oblongi, cujus rei conſequens eſt, ut radius ſeu bacillus protenſior faciat inter librandum majores aſcenſiones, quàm radius minor, ideóque ſit idem commenſus(commenſio & proportio)ponderum inter ſe, qui arcuum.

Uſus libræ. Uſus horum eſt talis. *Libripens* (librator, penſator, penſitator, ponderator) imponit rem librandam alteri lanci; alteram gravat ponderibus, donec videat *æquilibrium*, (ſeu æquipondium, æquamentum, libramentum) quod oſtendit *examen* lancis, *aginam* æquans & in medio conſiſtens, momentô æquô. *Aginator*, quô penſiculatiùs examinat libram, hoc ſordidiùs agit in mercibus, parvóque movetur lucellô aut quæſticulô; liberalior adjicit *ſuperpondium*, ſive additamentum. In ſtatéra res libranda ſuſpenditur ab *unco*, (qui in altero vectis extremo pendet; in altero appenſum eſt *ponduculum* ſeu *appendiculum*, quod promovetur cum ponderis auctario,) per *ſcapum*, dimenſum inciſuris, ſeu ſignatum & diſtinctum punctis, librarum partes & diſcrimina notantibus. *Æquilibritas* in ſublevatione ſcapi, non in depreſſione conficitur; contrà, quàm in libra accidit; quod propiùs centum admovetur, ponderat minus; quod longiùs à centro, ponderoſius eſt.

Partes Aſſis. His ita expeditis, antequam ad partes libræ & varia nos pondera conferamus, ſciendum eſt, quamlibet rerum menſuram per aſſem ſignificári. Sumitur enim *As*, vel *Aſſis*, pro quovis integro; v. g. ſuræ, hereditatis, cœli, temporis, pedis Geometrici, jugeri, pecuniæ, poculorum, &c. ſolétque dividi in partes duodecim, quas Latini dicunt *uncias*, Græci *μοῖρας*. Nos, tametſi jam ſemel & iterum de his mentionem fecimus, hoc tamen locô, ex inſtituto de iis agemus.

Unciæ

Uncia appellatur ab uno; *sextans* quasi sexta pars assis, unciæ duæ; *quadrans*, quarta pars assis, unciæ tres: *Triens*, tertia pars assis, unciæ quatuor; *quincunx*, quinque unciæ; *semissis*, semis seu dimidium assis, unciæ sex. *Septunx*, unciæ septem, *bes* seu *bessis*, (quasi bis triens) unciæ octo: *Dodrans*, (dictus, quod ei ad assem desit quadrans) unciæ decem. *Deunx* (quòd una sit ex asse dempta uncia) undecim unciæ; *sescunx* aut sescuncia denotat unciam cum dimidia. Ab asse fit *tressis* (tres asses) *quadrassis* (quatuor asses) *quinquessis*, *sexussis*, *sextussis*, *octussis*, *nonussis*, *decussis*, *centussis*.

Jam ad libram seu pondo veniendô, *levissimum pondus*, dans libellæ momentum, est *granum* (quanquam gemmariis *minutulum* est pars 36 grani Romani;) quatuor grana faciunt *siliquam* (Græcis κεράτιον;) quinque vel sex grana dant *scrupulum* vel *scripulum*; tres scrupuli dant *drachmam*, quatuor drachmæ, *semunciam*, seu dimidiam unciam (vuldò *lotum*;) octo dant *unciam* (vulgò *quintulam*;) *sextula* (sexta pars unciæ) facit scrupulos quatuor, semisextula duo; *sicilicus*, (dictus à sicilire seu secare) quarta pars unciæ; *duella*, pars tertia; *scrupulus* vel *scrupulum*; vigesima quarta; *obolus*, quadragesima octava; *semiobolus*, nonagesima sexta; *siliqua*. CXLIV. Unciæ duodecim, faciunt *libram*; duæ libræ, *dupondium*; tres, *tripondium*; centum, *centumpondium*; vel pondus centenarium. Germanorum *tonna* diversi & ponderis & numeri est; nam mille v. g. haléces constituunt tonnam; quam etiam faciunt nonaginta sex mensuræ mellis; eandem efficiunt centum millia florenorum. *Sexagena* est orca, v. g. passerum marinorum sexagenûm; quibusdam tonna continet libras 781. duodecim tonnæ faciunt *pondus onerarium* navis majoris, cujus partes dicuntur *pintæ* (*Prompt. Germanico-Latin.*) Partitio ponderum.

Distinctio librarum. At tu, errare si nolis, *distingue libras*; nam ali mercatorum (quam *Mercalem*, & *Publicam* vocant XVI. unciarum. XXXII. semunciarum; alia Pharmacopœorum (quæ dicitur *Romana*) XII. unciarum; alia *nummularia*, scilicet monetariorum & aurificum, unciarum VIII, quam Germani *marcam* appellant, habentem drachmas 64; cùm libra communis habeat drachmas 96. *Libra Attica* quatuor drachmis major fuit, quam Romana; *libella* verò & pro statera, & librali pondere, & pro asse accipitur, cujus dimidium est *sembella*. A libra fit *selibra* ½ ℔. Adjectiva sunt libralis, bilibris, trilibris, quadrilibris, quinquelibris, &c. *Desiderius.* Graviores in re libraria dubitationes ponderibus tuis levâsti; jam expeditior ambulo. *Mercurialis.* Ad nummos nempe properas. Tecum accipe hæc. *Ad libellam examinare rem*, accuratè. *Justius trutinâ.*

Caput LXIII.

Res Monetaria, sive Nummaria.

HÆc quoniam pro temporum & locorum variatione, si quidquam aliud, mutationi obnoxia est, tam accuratè definiri non potest, ut ab omnibus æquè intelligatur & probetur: tamen operam dabimus, ut quàm fieri potest clarissimè, & monetam antiquam explicemus, & ad nostram Imperialem accommodemus. In qua re prius, quam progrediamur longiùs, præmittendum est ex communi Eruditorum sententia, idem esse *assem* sive libram, aut libellam, aut pondò æris, aut æs, absolutè, nam asses erant ærei; unde *Martial. l. 1. Æra sed à cunctis ulteriora petis.* (Sestertii fuere argentei) strictius *Assis valor.* sup-

ſupputandô, non valere omnino crucigerum noſtratem; cùm in ſe contineat quatuor quadrantes; quorum decem efficiunt duos aſſes, & dimidium, ſeu ſemiſſem; qui conſtituunt *ſeſtertium*, ſeu aſſem ſesquitertium, nummulum ſcilicet, qui duos crucigeros noſtrates æquat, quos & cruciatos & cruciarios vocamus; ſignum ſeſtertii eſt IIS vel HS, quæ priores lineolæ ſignificant geminos aſſes, ſeu ſemiſſem; quæ res in cauſa eſt, cur in computatione partium aſſis pecuniarii nonnihil varietur; ſed tu minutias has ne moreris, valoremque monetarium ſeu nummarium non ſcrupulosè concipe.

Et variorum nummorum.

Atque à minimis inchoandô, nummulos illos, quorum ſedecim faciunt ſeſtertium, voca *æreolos* (vulgò *obolos*; at illos, qui olim erant *ſcutellati*, ſeu repandi, aut convavi, *octulas* appelles licet, nam octo explent ſeſtertium; quos eosdem *quadrantes* quoque, aut *teruncios* (à tribus unciis) dixeris, quippe quartam aſſis partem; cujus tertiam *trientes* nomina, non niſi per nummulos monetæ nigræ, quorum ſeptem conficiunt ſeſtertium, noſtrate more exputandos; *ſemiſſi* hodie, nomen binarii eſt inditum. Hinc perge ad aſſem integrum ſeu crucigerum, horum nummulorum duo (rotundiùs putandô) faciunt ſeſtertium; terni, *treſſem*, (quem quidam *duodenarium* à nummulis XII. aut etiam *ſolidum* nominant, vulgô *groſſum*;) quadraſſis (vel quinqueſſis loquendô ſtrictiùs) *victoriatum* valet, Germanis *bacium* ſeu *bacum*; duo victoriati, ſeu quatuor ſeſtertii, efficiunt *denarium*, ſeu *drachmam*; cui computatores, denos aſſignant aſſes, crucigeros noſtrates octonos. Hinc gradum promove ad *didrachmum*, nobis ſeſtertios octo, cruciferos ſedecim; cujus inſigne apud Athenienſes erat bos, hinc *bovem in lingua geſtat*, qui pecuniâ corruptus ſilet.

Tetrachmum dat quatuor drachmas, sive *siclum* Hebræum, aut *statérem* aut absolutè *argenteum*, intellige, nummum.

Et quia inter sestertios ambulamus; cave, ne incidas in foveam, multorum casu infamem; quam ut evites, sic progredere, & cogita, *sestertios* & *sestertia* esse longè diversa; nam singula *sestertia* millenis nummis sestertiis (gen. masc.) æstimatur, adeò, ut decem sestertia sint decem millia sestertiorum, aut sestertiûm, seu decies mille sestertii, qui intelliguntur, quando vel numeratio per adverbia effertur; v. g. decies nummûm vel decies sestertiûm, seu decies HS. vel si nominibus numeralibus adjungatur litera M; aut integrè scribatur; v. g. millia viginti HS. ubi intelliges, esse vicies millies sestertios; at decies HS. expones decies centena millia sestertiorum; ita vicies HS. effer, vicies centena millia; & sic deinceps, cùm per adverbia fit numeratio. Observes & hoc, sestertium neutrius gen. in numero singulari haud facilè reperiri; item, Romanos per adverbia loqui solitos, cùm numerus suprà mille sestertia, hoc est, millies millenos sestertios excurrit. *Desiderius.* Magnam mihi his in tenebris lucem affundis. *Mercurialis.* Clariùs te illustravero, si ad facem respexeris. *Desiderius.* Adverto oculos. *Mercurialis.* Non negligenter? ac memento, me tibi per *Philippéos* seu *Philippicos* locuturum, eô quidem pretiô, quod patrum nostrorum memoriâ viguit, octoginta scilicet crucigerorum seu quadraginta sestertiorum, (postea Philippici illi, seu, si mavis, Fernandici, aut thaleri Imperiales, ascenderunt ad quadraginta quinque sestertios;) per *florenos* autem, (quibusdam *aureoli* dicuntur) quos vocamus Rhenanos, cruciferos admodum sexaginta seu triginta sestertios putamus. Faciunt igitur (ut ad tabulam te doceam:) 100 se-

	Philipp.	Floreni	Crucig.
100 sestertii - - -	2½	3	20
300 HS - - - -	7½	10	
600 HS - - - -	15	20	
1000 HS - - - -	25	33	20
10000 HS, seu x sestertia - - - -	250	333	20
20000 HS, seu xx sestertia - - - -	500	666	40
30000 HS, seu xxx sestertia - - - -	750	1000	
40000 HS, seu xL sestertia - - - -	1000	1333	20
100000 HS, seu centum sestertia - -	2500	3333	20
200000 HS, seu cc sestertia - - - -	5000	6666	40
1000000, seu millies milleni HS, id est, M sestertia - - - - -	25000	33333	20

Computatio per sestertios.

Jam per adverbia hoc modò:

	Philipp.	Floren.	Cruc.
Decies HS, seu decies centena millia HS - - - - -	25000	33333	20
Vicies HS - - -	50000	66666	40
Tricies HS - - -	75000	100000	—
Quadragies HS - - -	100000	133333	20
Quinquagies HS - -	125000	166666	40
Sexagies HS - - -	150000	200000	—
Centies HS - - -	250000	333333	20
Millies HS - - -	2500000	3333333	20
Sexcenties HS - -	1500000	2000000	

Hæc de sestertiorum computatione; circa talenta jubeo te minùs sollicitum esse, quorum tibi valorem consigno paucis. *Hebraicum* talentum duplò majus est *Atticò*; Talentum Atticum duplex est: *Majus*, quod libras seu minas aut mnas, aut libras Romanas pendit octoginta. Valet *mna*, seu *libra* Rom. Philippicos decem, sive HS. 400. aut denarios seu drachmas 100. uncia drachmas, ut diximus, octo. *Talentum Atticum Minus*, libras Rom., seu minas continet sexaginta, drachmas sexcentas: & hoc maximè celebratur ab Historicis; de illo priori pauci meminerunt: *Euboicum* quadringentis æquivalebat Philippéis. Jam si secundùm exactam computationem talentum, *Minus* (sunt qui talentum Majus unquam extitisse negent) facit Philippicos sexcentos, florenos octingentos,

Talentorum valor.

	Philip.	Floren.
igitur 5 talenta pendent - - -	3000.	4000.
10 talenta - - - - - -	6000.	8000.
100 talenta - - - - - -	60000.	80000.
1000 talenta - - - - - -	600000.	800000.

Ab hisce facilè ad majorem summam progressionem facies.

Desiderius. Luculenter me illustrâsti. *Mercurialis*. Videre te putas antiqua & remota? quid si cœcutias ad præsentia? *Desiderius*. Quid ita? *Mercurialis*. Non moneta tantùm, sed prisca quoque fides immutata est oppidò Non pretia magis incerta sunt, quam pondera, &, quod quæruntur nummularii, metalli probitas. *Desiderius*. Id quidem per me licet, qui si veteris Romæ nummarium valorem cum Germanico nostro componere queam, nihil est, quod laborem de peregrinis. *Mercurialis*, Pari pactô, dum nationes aliæ de nostrate nummo nihil labo-

laborant, fit, ut nec ipsas intelligamus de moneta loquentes, nec ipsæ nos. *Desiderius.* Pecuniarias cur rationes non explicant per sestertios, ut ubique intelligi queant? *Mercurialis.* Cur? Quia, gentis humanæ vitiô, suæ quisque patriæ Solem putat calentiorem quàm alienæ. Ità Galli per *libras* & *solidos* Turonenses, perque florenos & *coronatos* Francicos supputant omnia; Belgæ per *stuferos* suos & florenos Brabanticos; Poloni per Polonicos; Itali per *quadrinos, baiocos, Julios, testones, scutatos*; Hispani per *regales* & *duplones*; Angli per *sterlinos* & *rosatos*; Ungari per suos *Ungaricos*,&c. unde non magis implicantur historiæ, quàm rerum pretia, ad forum Civile & Sacrum attinentia. *Desiderius.* Rectè monuisti; cæcutiens mihi de visu plaudebam. *Mercurialis.* Adverte lumina; vel in tenebris videbis. *Baiocus* Italis valet *quadrinos* quatuor, seu cruciferum nostratem unum. *Stuferus* Belgicus, *solidus* Turonensis, *sterlinus* Anglicus, (Latinè sturnus, qui signum est regni & nummi) singuli æquivalent sestertiô, viginti sestertii seu solidi Turonenses constituunt *libram Turonensem.* *Julius* Italicus & *regalis* Hispanicus æquiparantur drachmæ seu denario, id est, quatuor sestertiis. *Testonem* (ita nominant) faciunt tres Julii. *Polonicus* florenus quindecim sestertiis æstimatur; *Brabanticus* sedecim seu siclô, ut diximus, Hebræô (intellige argenteô.) *Florenus Gallicus* seu Francus habet in Gallia 18 aut 20 sestertiorum pretium: minùs in Lotharingia. *Libra Turonensis*, ut paullò antè diximus, ad medium Philippicum ascendit; *coronatus* Francicus & *scutatus Italicus* sunt idem, séque hodie ferè ad duos florenos extendunt, minùs denariô. *Libra sterlinorum* (quam Angli per minorés & majores

Diversorum populorum nummi, & precium.

res nummos computant) quinque aut ampliùs Philippicos continet.

Desiderius. Et talpa me lyncem reddidisti. *Mercurialis.* Ne quid præproperè. Námque turbari potes, si audieris, Julios hodie & regales contra quintos sestertios æstimari; est enim pecuniæ valor in ascensu, ut Sol post solstitium hiemale; nulla non dies aliquid addit. Ita ad Philippicos, quinque accesserunt sestertii: ad scutatos, quindecim; (olim enim cum Philippéo consentiebant) ad coronatos, viceni; (qui & ipsi quondam Philippico respondebant) Imperialis nummus, vulgò *talerus* quadraginta quinque sestertiis hodie æstimatur; hunc superat parte quartâ nummus, quem, cum addito, aureum florenum vocamus; *numisma Genuense* ad duos florenos Rhenanos adjicit sestertios senos; Hungarus seu *Ungaricus* (nummus) tres illorum comprehendit. *Pistoletus* (ut loquuntur) Gallicus & *Duplo* Hispanicus, supra florenos Rhenanos quatuor, includit sestertios quindecim. Nummus Anglicus *Rosatus* (à rosa impressa dictus,) sex florenos Rhenanos valet. *Desiderius.* Ire nunc licet longiùs; nihil etenim restat, quod super his interrogem ampliùs. *Mercurialis.* At mihi supersunt, quæ dicam. *Drachma* apud veteres sex habebat óbolos; nobis octo crucigeros; semidrachma tres, unde trioboli & triobolaris homo. *Centussis* dat centum asses, seu æra, seu quadraginta sestertios, aut absolutè nummos, sive Philippicum. Centum *quadrantes* valent viginti quinque assibus, (quatuor enim quadrantes aut teruntii unô æstimantur asse) hoc est, decem sestertiis; qui olim, à Magnatibus & Patronis Romanis, suis dabantur asseclis, salutatoribus, & clientibus in quotidianam sportulam. *Desiderius.* Absolvisti? *Mercurialis.* Necdum.

dum. *Aureus Romanus* viginti quinque æstimabatur denariis (id est, florenis nostratibus tribus, & sestertiis denis;) unde Bilbilitanus Poëta cupit mori, sed non antè, *Aureus, quid, & aurea moneta.*

Quàm vitæ tribus aureis peractis. *lib. 10. epig. 23.*

hoc est, annis septuaginta quinque; tot enim denarii in tribus continentur aureis. *Solidus* apud eosdem per omnia cùm aureo convénit; totidem enim sestertios, hoc est, centum: denarios verò seu drachmas continet quinque supra viginti. Idem, *stater est aureus. Desiderius.* An tandem nummorum est satis? *Mercurialis.* Argenteorum. Nam quid concipis animô, dum audis nominari aureos, vel absolutè, vel cum adjecto; e. g. sicli, talenti, millionis auri? *Desiderius.* Non habeo, quod respondeam. *Mercurialis.* At ego habeo. Nummus dicitur aureus vel à materia, quòd scilicet ex auro conflatus sit; vel ab æstimatione valoris ac pretii, quod cum auro comparatur. Si ex materia, tum vel est æqualis ponderis cum argenteo; vel inæqualis; si æqualis: pretium utiq; inæquale æquali inest ponderi; est enim auri valor decuplus, aut duodecuplus ad argentum: si ex comparatione; tum æquale pretium, ex longè inæquali ducendum est pondere. Jam, quia siclus, e. g. olim erat æreus, argenteus, aureus; scito, siclum, aureum valere quatuor Philippicos seu florenos duodecim Brabanticos; cùm siclus argenteus unum tantùm Brabantiæ florenum pendat. Idem de drachma, idem de auri talento cogita; nam (exemplis te ducam) talentum argenti Hebræum tria millia continebat siclorum, hoc est, mille ducentos Philippéos, seu coronatos Francicos (antiquiore, ut suprà memini, valore;) aureum verò Hebræorum talentum, duodecim complectitur Philippéorum millia. Satin' clarè? *Desiderius.* Nisi captus sum oculis. *Mercurialis.*

Sed

Sed age; si centum ego tibi promittam aureos, quantum à me speras pecuniæ? *Desiderius.* Veteris ævi, an nostri? *Mercurialis.* Nostri; de prisco suprà memini. *Desiderius.* Germanos, an Italicos? *Mercurialis.* Germanicos. *Desiderius.* Ajo, centum abs te mihi promissos esse florenos Rhenanos; nam videris, per aureos, intellexisse aureolos; juxta catachresin vernaculæ, aurum pro argento nominantis. Sin' Italicos; dico, totidem scutatos nummos in promissum venisse, quorum singuli hodie (ut innui) valent decem Juliis, seu florenô nostrate, & viginti quinque sestertiis; vulgò coronatum argentem vocamus. Quòd si Hungaricos pollicitus es, tum ducentos Imperiales (taleros sive Fernandicos) abs te exspecto. *Mercurialis.* Rectè. Quid si tonnam auri pollicitatus si tibi? Quid si millionem auri? *Desiderius.* Si tonnam, seu centum auri millia; possem vel decuplum, hoc est, decies centena mihi sperare florenorum millia; vel centies mille nummos Hungaricos; vel denique centies mille florenos Romanos. Idem de millione, cum proportione, assero. Quid dares horum? *Mercurialis.* Quod videretur Judici. Lis pendeat interea. *Desiderius.* Per me quidem licet, vel ad centum annos, ut olim apud Areopagitas. *Mercurialis.* Longiùs etiam seculô. Restat, ut aliquid hisce addam, quod, nescio, an omnes credituri sint; mihi dudum fidem fecit auctoritas virorum omni exceptione majorum. *Desiderius.* Edissere, ut & ego assentiar. *Mercurialis.* *Siclus* Hebræus (juvat de hoc mentionem propter reverentiam Sacræ Paginæ repetere) idem omnino erat, sive *communis*; sive, ut Divina loquitur Scriptura, *juxta pondus Sanctuarii*; adeóque nec alter major, nec alter minor, sed unus & idem; dictus est Sanctuarii, quod servaretur

retur inibi justissimi siclus ponderis, ad quem appendi possent & examinari reliqui, ne fraudi (puta decurtationi aut diminutioni) pateret locus. Sic apud Romanos publica *pedis* & *amphoræ* mensura servabatur in Capitolio. Testem, quem suprà, laudo *Cornelium à Lapide*. *Desiderius*. Magnum hujus apud me quoque pondus est. *Mercurialis*. Hoc quoque ex eodem; Josephum olim à fratribus venditum viginti *argenteis*, seu siclis, hoc est, viginti florenis Brabanticis, seu octo Philippicis; Christum verò triginta *argenteis*, sive siclis, hoc est, duodecim Philippéis, seu florenis nostratibus sedecim; *Salianus* paullò liberaliùs per suos Francos pretium Christi venditi computat, & ad coronatos seu Philippicos octodecim, & quinos insuper sestertios extendit; florenos nostrates viginti quatuor. Excurrendi hîc locus esset, nisi fatigatum te cernerem, & ab hujus consilio peregrinationis abluderet, in rerum memorabilium & mirabilium, sacræ profanæque historiæ pretia; nunc satis erit adjecisse; quòd dicantur *nummularii* (mensarii, trapezitæ, argentarii) aurum & argentum exercere, collybóque mutare; *ærusćatores* pecuniam fallaciis colligere; *fœneratores* dare ad fœnus seu usuram, sivè locare fœnori ac fœnerari, unde pecunia fœnebris & usuraria; pro fœnore quandóque redit fœnusculum. Olim rudis massa æris (quod *raudusculum* appellabant, quasi rudusculum) appendebatur, & dependebatur ad pondus certum, locô pretii & pecuniæ; unde verbum, *pendere* nummos. *Præfecti* & *probatores monetarii* curant, ut pecunia sit proba, non ærosa, non adulterina, non arrosa, accísa, quod fit à nummorum adulteratoribus. Satis pavisti oculos aurei argentíque fulgore? *Desiderius*. Plus satis. *Mercurialis*. Retorqueamus eos ad ipsam videndi artem.

Desi-

Desiderius. Hæret mihi ſcrupulus, non in calceis; ſed in pondo nummariis. *Mercurialis.* Qualis? *Desiderius.* *Livius* decade primâ, neſcio, quô librô, narrat, Romanos, captâ urbe, ſe à Gallis redemiſſe mille *pondo* auri. Quænam hæc ſumma? *Mercurialis.* Juxta æſtimationem *Georgii Agricolæ,* rem metallicam accuratiſſimè perſequentis, libra Romana, ſeu pondo argenti puri, valuit denarios 84, ſeu aureos Ungaricos octo & paullò ampliùs; adeóque libra, noſtrate monetâ, extendebat ſe ad 24 florenos Rhenanos; milléque libræ ſeu pondo cum minutiis reſiduis implebant 15000. fl. quæ quia fuerunt aurei, debent augeri decuplô aut duodecuplô, faciéntque ſecundùm *Jani Gruteri* calculum 112000 coronatos. Meminit idem *Livius bigatorum* & *quadrigatorum*, (nummorum à nota bigæ & quadrigæ, impreſsâ dictorum) qui reſpondent ferè denario Romano. *Æs* apud *eundem, aliósque Scriptores,* non rarò pro omni genere aureorum, argenteorum, æreorum nummorum accipitur. Æs *grave* illis dicitur, quô haud numeratô, ſed appensô, debita exolvi ſolebant. Antiquitus ex aurea materia fuerat aureus Romanus ſeu ſolidus, de quo antè. *Daricus* ſeu *Bos* quoque duas drachmas Atticas aureas pendens, ſeu viginti argenteas, quæ quid valeant, audiiſti. Et *Philippicus* ſeu *Philippéus Macedonicus*, qui *Grutero* libripende, tribus Gallicis coronatis æquivalet. Argentei erant, drachma, ſemidrachma, didrachmum, tetradrachmum. De quibus actum. *Ciſtophorus*, Aſiatica pecunia, ferè dimidius denarius. *Obolus*, uti intellexiſti, ſexta drachmæ pars; *dióbolus*, duo óboli; apud priſcos Romanos ſtipendium diurnum gregarii militis, qui denos nummulos noſtrates argenteos vix ſuperabant; certè ad tres cruciatos non aſcendunt. Menſtruum (ut hoc obiter)

obiter) erant denarii Romanii deni. De quibus supra. Apud Romanos ex argento erant conflati Denarius, Quinarius seu Victoriatus, à signo victoriæ nuncupatus; sestertius seu libella, sembella, (denarii pars vicesima) teruntius. Ex ære dipondius, seu dupondius, duos asses appendens; as, semissis, triens, quadrans, sextula. An eximi scrupulum è lance monetaria? *Desiderius.* Nihil restat, quod vel addi cupiam, vel demi. *Mercurialis.* Scis, quid sint *flavissæ?* *Desiderius.* Hactenus putavi esse apes, à flavo colore sic dictas. *Mercurialis.* O lepidum nomenclatorem! Flavissæ apud veteres Latinos habent nomen à flando, súntque flata signatáque pecunia in thesauris reposita, non rude æs, argentúmve. *Desiderius.* Quàm multa nescio? Hoc scio, (ut pensum Proverbii solvam) me in ære esse tuo, nec inde liberandum. *Mercurialis.* Bonum nomen, quod patiar apud me inveterascere. Exactionem memorati pensi utrínque remittimus, cùm hæc sermonis sive diverticula, sive vehicula viæ, quæ restat, fallendæ aut mitigandæ, non sint necessaria. Quòd si ultrò lepus aliquis, aut lepos, nobis intercurrat, pauculis eum verbis transmittemus, ne rebus in seriis, & insita dignitate eruditam voluptatem præstantibus, videamur verborum papiliones venari. *Desiderius.* Hoc tuæ perspicaciæ est. *Mercurialis.* Erit & tuæ, ubi visum tibi Scientia, ad quam nos admoveamus, acuerit.

CAPUT

Caput LXIV.

Optica.

Optice nominatur ab ὀπτομαι, video; & est Scientia; quâ rectè dijudicatur visibile, (*Plin.*) ejusque veritas à fallacia discernitur; cujus rei tota consistit ratio in *visu*; seu sensu videndi; & *visione*, seu actu cernendi; *luce, colore, & umbra*; eorumque *figuratione*, & varia radiorum super diversas figuras *projectione*; dum explicat, quid caussæ; quod recta curvis; curva rectis, quadrata rotundis, solida planis, tumida depressis, convexa cavis, directa flexis, integra & continua fractis, ficta & falsa colorum, veris assimilentur.

Visio in quò consistat. Est autem *visio*, receptio speciei seu simulacri aspectabilis in oculum, quod fit per radium vel *Simplicem*, seu Rectum; vel *Reflexum*; vel *Refractum*; aut *Mixtum*, ex recto & obliquo: *Lux* est splendor seu fulgor, qui corpori lucido seu luminoso inhæret; *Lumen* est, quod ab eo, tanquam imago lucis, producitur & diffunditur, redditque illuminatum id, in quod incidit. *Color* est qualitas orta, ex perspicui cum opaco commixtione. Quatuor primarii colores videntur in Elementis; *albus* in sicco, cujus subjectum est terra; *viridis* in humido crasso; cujus matrix est aqua; *cæruleus* in humido tenui, qui fit in aëre; *flavus* in calido, qui sequitur ignem condensatum; *perspicuum* (pellucidum seu diáphanum) est, quod lumini colorique transitum permittit; contrà, *opácum*. Est autem *Radius*, (quem *Visorium* vocant) linea lucida vel colorata, è centro rei visæ in videntem oculum protensa; *Radiatio*, multorum est radiorum collectio. *Medium* (quod oportet esse tralucens, ut est æther, ignis,

aër,

aër, aqua, vitrum, cryſtallum, ſuccinum) dicitur id, per quod radii tranſeunt; qui, antequam ab objecto ad oculum pertingant, vel ex uno medio incidunt in aliud, diverſæ denſitatis; & tunc *refringi* dicuntur, ac *Refracti*. Sic videmus baculum rectum, in undis apparere curvum; quod fit propter refractionem radiorum, per aërem & aquam penetrantium. Vel illabitur à corpore *diaphano* (tralucente) in opácum & politum; & ab eodem repercuſſus ac reverberatus, redit & reſilit in idem corpus pellucidum; ut cernitur in ſpeculis, unde radius hic *Catoptricus* appellatur, *à κατόπτρῳ*, ſpeculo; ſecùs contingit in *Refracto*, qui factô angulô, in eo, ubi inciderat, puncto; ab ea, quâ ingreſſus erat viâ ad alterutram, dextram aut ſiniſtram partem deflectit, & velut in poplitis flexuram coit, vocatúrque *Dioptricus*; vel denique *radius* unô eodemque fluxu per medium, ſeu intervallum, æquabile ad ipſum oculum defertur, & *Directus* ideo dicitur, quia ſine ullo angulo per lineam breviſſimam ab objecto ad oculum exporrigitur, ita, ut in medio nec intercipiatur, nec flectatur, aut frangatur; qualis eſt, quem Sol per liberum & uniformem aërem jaculatur; hic Opticis vocatur radius *Incidentiæ*, quia ad angulos æquales incidit in aciem, quippe perpendicularis; ſecùs radius *Obliquus*, quia facit angulos inæquales, unde *Obliquationis* dicitur. Angulum quoque *Incidentiæ* nominant Optici, qui in punctum refractionis aut reflexionis incidit. *Figura* viſionis eſt conus ſive pyramis, cujus apex in pupilla, baſis in re viſa.

Diverſi radii.

Ut autem aliquid poſſit aſpectui ſubjici, requiritur conveniens magnitudo rei aſpectabilis, ejusque mora ante oculos; ſitus item, & diſtantia, rectáque ſenſûs diſpoſitio; quæ niſi adſunt, contingunt

Hallucinationes in visu. *fallacia & hallucinationes* visûs non tantùm in reflexionibus & refractionibus, sed etiam in directa radiatione; hinc fit, ut res sub aqua major appareat, quàm suô locô, ut tantò cernatur minor, quantò est remotior; ut linea curva eminus videatur recta; ut columnæ parallelæ in longum procedentes putentur coire in angustias; ut figuræ in alto supra verticem videantur extentæ, cùm sint contractæ, &c.

Objecta visûs. *Objectá visûs* communiter numerantur, lucidum, coloratum, remotum, magnum, situm, figutatum, continuum, divisum, numerabile, mobile, quietum, asperum, læve, transpárens, spissum sive dentum, opácum, umbrosum, obscurum seu tenebricosum, pulchrum, deforme, simile, diversum. Et quia *Lux.* *lux* primariò transmittit imagines ad oculos, inter ceteras laudes, has habet, quod commonstret rerum distinctionem ac varietatem; quod ex cœlestibus corporibus in inferiora beneficum influxum deducat; quòd se incredibili celeritate in totam sphæram suam explicet; quòd vigorem animantium corpó-*Umbra.* ribus addat, &c. Cui opponitur *umbra*, quæ projicitur in partem luci adversam, retinet figuram sui opaci, eámque sequitur; est sub ortum & occasum Solis longissima; meridie brevissima; (secùs tempore hiemali) in oppido Syéne (ut hoc obiter) die solstitii medio, omnino est nulla, id quod deprehensum in puteo undique illuminato; unde Ænigma Virgilianum; *Dic, quibus in terris, &c.* Docet magnitudinem Solis & Lunæ, monstrat terram esse sphæricam, esse punctum; distinguit locorum intervalla & universi incolas; quibus & nomina dedit, ut *Amphiscii*, *Heteroscii*, *Periscii* vocentur, de quibus cap. 65. assignat terræ zonas, climata, & parallelos incolas.

Partes

Partes Opticæ (quam vulgò Perſpectivam appellant) ſunt tres. Ipſa *Optica* (nomen partis obtinens & generis) verſatur circa Radios Rectos; *Catoptrica* circa Reflexos: (vulgò Specularia;) *Dioptrica* circa Refractos. Quibus accedit *Gnomonica*; quæ docet conficere Horologia Solaria ſeu Sciotherica; Et *Scenographice*, explicans picturæ requiſita; & fundamenta, ſecundùm figurationem lucis & umbræ. *Partes Opticæ.*

Ex Optices intelligentiâ queunt imagines, efformari, quæ, unô ſpectatæ locô, conformes ſunt prototypo ſuo; ex alio, difformes maximè. Illa, quæ concipi debent remotiora ab oculis; ſtringuntur magis à pictoribus; qui & altiora deorſum, depreſſiora ſurſum ducunt; in *ſpeculis* planis objecta, quò magis diſtant à ſpeculo, hoc magis retrò ſpeculum videntur abducta; in iiſdem dextra apparent ſiniſtra, ac contrà: quæ ſi ſternantur in plano, repræſentant altitudines inverſas. In ſpeculis polygónis res multiplicatur: in convexis contrahitur & apparet minor: in concavis ampliatur; in his excepti ſolares radii excitare poſſunt ignem, præſertim, ſi cavitas ſit ſectio coni *parabolica*; ſeu conicè oblonga In ebriis propter ſpiritus craſſiores & perturbatiores fluctuat axis pyramidis Opticæ, ideóque geminis conſurgit menſa lucernis. Stellæ videntur ſcintillare, dum exhalationes & vapores per inferiorem aëris regionem ſparſi, ſive ſurſum, circulariter agitantur. *Specula.*

Sciothericorum duo maximè vulgaria ſunt genera; alterum vocant *Horizontale*, quod ſolo impoſitum (ut in hortis quibusdam fieri amat) per ſtilum erectum horas diei oſtendit, jacítque umbram rectam. Alterum eſt *verticale*, ſeu *murale*, cujus gnomon ſi ad angulos rectos parieti inſeratur, projicit umbram verſam. *Viatorium* ſeu *mobile* dici- *Horologia ſciotherica.*

dicitur, quod exprimitur cylindris, annulis, quadrantibus, &c. Debet verò planum Horologii Moralis respicere vel Austrum vel Boream; si facit id obliquè, declinare dicitur.

Desiderius. Pol! hæc Optica sua dissertatiuncula confessionem mihi exprimit, apertis adhuc oculis parùm me perspexisse. Ex talpa in lyncem transiisse videor. *Mercurialis.* Habeo, quod gratuler mihi tibíque. Adjungo pauca de *Iride*; seu arcu cœlesti, in quo admirabilis reflexionis & refractionis mistura est; de quo Poëta: *Iris.*

Mille trahit varios adversô Solo colores.

Apparet enim in eo aliquid flammei, aliquid lutei seu flavi, atque cœrulei, punicei, herbacei, viridis, purpurei, crocei, mirâ naturæ varietate, quam impingunt solares radii nubi roridæ & opácæ immissi; indéque, repulsâ acie, in Solem repercussi. Ex ejus coloribus præcipui sunt, puniceus, viridis, purpureus. Primus efficitur per radium lucis cum exigua opacitate conjunctum; alter cum mediocri; tertius cum majore. Iris in conspectum nostrum haud potest cadere; nisi simus inter nubem, ex qua splendet, & Solem constituti. Plura si cupis de hoc versicolore naturæ miraculo scire, illos adi, qui inter hujusmodi cœli spectra oculis suspensi inambulant; nos tutiùs in terra incedimus: quare ad eam nos convertimus.

Caput LXV.

Geographia.

Est terræ universæ, quatenus nobis cognita, descriptio; differt à *Cosmographia*, quòd hæc mundum etiam ætherium comprehendat. *Chorographia* verò regionem seu insigniorem aliquam terræ

terræ portionem in pictura exhibet; *Topographia* seu *Topóthesis* minutiùs locum aliquem explicat. Partimur autem terram, vel etiam dimetiendô in longum aut latum; vel disterminandô in plagas habitabiles & inhabitabiles; vel consignandô historicè, quid memoriâ dignum hîc, illic obveniat; ídque partim per globum terrestrem, partim per tabulas geographicas: partim per enarrationes rerum memorabilium.

Tota igitur Geographia continetur circumscriptione *globi* terreni, in quo, præter ambitum, diametrum, aream seu superficiem, soliditatem sive crassitiem, observandi circuli nominatiores, Zonæ, Climata, plagæ, habitatores, tabulæ (vulgò *mappæ*) geographicæ, hydrographicæ, maria, freta, lacus sive stagna, fluvii, insulæ, peninsulæ, isthmi, promontoria, regiones præcipuæ, urbes, montes, silvæ, &c. De quibus omnibus præter ea, de quibus alibi actum, sparsim te quædam docebo; tu modò videas, ut alacriter mecum spatia tam vastè perambules, & quidem, ut peregrinus, immorandô nuspiam. *Desiderius.* Obsequentem me habes. *Globus geographicus.*

Mercurialis. Terram esse *globosam*, patet; quia ab Oriente in Occidentem undique versùm, ambitur sideribus; & circumnavigatur maribus, transversim vero euntibus, poli mundo elevantur & deprimuntur; unde & terreni globi magnitudo pernoscitur; nempe, qui tendenti ab Austro in Boream (aut retrò) singulis quindecim milliaribus Germanicis, attollitur Arcticus Polus, & devergit Antarcticus gradu unô, evincitur totum terræ ambitum (qui est graduum 360.) habere in circuitu milliaria 5400; diametrum verò 1718. semidiametrum, à superficie scilicet terræ ad centrum, 860 De hoc centro terræ, seu cavitate, quam tartarum, orcum, vulgò *Terra est globosa.*

infernum appellamus, mirè loquuntur Viri docti. Plurimi cum *Cornelio à Lapide* extendunt illum carcerem ad quinquaginta aut ſexaginta milliaria Germ. putántque ſufficere ad damnatos includendos, etſi decem millibus annorum perduraret mundus: & ſingulis annis centum milliones eò deturbarentur, daretúrque cuilibet reprobo ſpacium cubicum decem pedum. *Deſiderius.* O antrum horrendum! Stant comæ: vox faucibus hæret. *Mercurialis.* Nos ita vivemus, ut ne moriamur æternùm.

Porrò diſtantiarum dimenſiones ut intelligas, ne rudis ſis illorum, quos dixi, in globo terreſtri circulorum; in quo axes ſeu vertices aut cardines appellantur poli, circa quos mundi machina circumvolvitur; quorum alter *Arcticus*, id eſt, Urſinus ab Urſa vicino ſidere dicitur; alter *Antarcticus*, quia Arctico è diametro oppoſitus. Antarcticus (qui & Auſtralis, & Auſtrinus & Meridionalis) in noſtro hemiſphærio ſeu globo dimidio haud conſpicitur, ſed ſub Horizonte latet.

circuli, globi geographici. Majores circuli idem cum globo obtinent centrum, ipſúmque ſecant in duas partes æquales. Sunt autem, *Æquinoctialis* ſive *Æquator*, *Zodiacus*, *Horizon*, *Meridianus.* Minores dicuntur, qui diverſum habent centrum à globi centro, eúmque dividunt in duas partes inæquales; ſúntque *Tropici* duo, totidémque *Polares*. Rurſus ex univerſis circulis, quinque dicuntur Recti ſive Paralleli, id eſt, æqualiter inter ſe diſtantes, quia eosdem cum Univerſo polos habent; & æquô in latitudinem ſpatiô à ſe disjunguntur, ſúntque Æquator, Tropici, Polares. Majores diſtinguuntur in *Fixos* & *Mobiles*; *Fixi* ſive immutabiles ſunt Æquator & Zodiacus; *Mobiles*, pro varia regionum ac locorum mutatione, ſunt Horizon & Meridianus.

Horizon Latinè Terminator, Finítor, & Finiens, conſpectam ſeu conſpicuam mundi partem à non conſpicua ſeu aſpecta dirimit, terrámque in duo *hemiſphæria* ſeu globos dimidiatos diſſecat, & in margine exhibet triginta duos ventos, ac proinde totidem plagas. *Rectus* Æquatorem ad angulos rectos interſecat; *Obliquus* ad obliquos. Is, quem ſenſu percipimus, oculô noſtrô terminatur, quo usque ferri poteſt conſpectus, id eſt, ad milliaria Germ. ferè quinque. Ejus alter polus, Vertici noſtro perpendiculariter incumbens, Arabicè dicitur *Zenith*; alter ei oppoſitus, antipodum cervicibus imminens, vocatur *Nadir*, *Horizon.*

Æquator globum in duas partes æquales, Septentrionalem & Meridionalem, diducit, æquali ſpatiô ab utroque mundi polo recedens; quem cum Sol attingit, æquale totô orbe diei ac noctis efficit ſpatium; unde & ei nomen quæſitum. Ab hoc numeratur latitudo locorum, quæ eſt diſtantia à medio terræ versùs Septentrionem vel Meridiem, eadémque eſt cum *elevatione* poli. *Zodiacus* oſtendit, ſub quo ſigno cœleſti locus quilibet ſit poſitus. *Meridianus* ſuper verticem cujuslibet hominis fictitiè ductus indicat longitudinem loci ab Ortu in Occaſum, ita, ut ſi tantillùm Orientem versùs aut Occidentem progrediaris, alius continuò ſit Meridianus. *Tropici* & *Polares* globum terreſtrem in quinque zonas diſtinguunt. *Æquator.* *Zodiacus.* *Meridianus.* *Tropici, Polares.*

Itaq; latitudo terræ æſtimatur ab Æquatore polos versùs utrinque per 90 gradus; Longitudo ab Occaſu in Ortum per integrum circuitum graduum 360. Initiô ſumptô à Meridiano, quem conſtituunt ad fines Europæ in Inſulis Canariis. Philoſophi à polo ad polum menſurant longitudinem; ab Oriente verò & Occidente latitudinem.

Quinque Zonæ. Ex latitudine terræ prodeunt *quinque Zonæ*; Media, interjacens circulis Tropicis, vocatur *Torrida*; extremæ duæ, intra polares circulos comprehensæ, sunt *Frigidæ*; totidémque *Temperatæ* inter has Frigidas & illam Torridam alterutrinque sitæ.

In *æstuosa* Zona propter perpetuam Solis, supra verticem hominum inambulantis, viam vehementissimi sunt ardores, continuumque æquinoctium, ideóque Veteribus inhabitabilis putabatur. E contrario in *gelidis* plagis, quæ ab orbita Solis longissimè ad latus sepositæ sunt, acerrima urunt frigora, éstque sub ipso polo sex mensium dies, ac totidem nox. In *Temperatis* tractibus alternatio tempestatis est grata, cum succedentibus in vicem incrementis ac decrementis dierum ac noctium.

Climata. Unde oriuntur *Climata*, spatia scil. terræ inter parallelos Æquatori circulos comprehensa, per interstitium, seu intercapedinem unius semihorii, variantis longitudinem diei. Numerant autem Geographi RR. Climata viginti quatuor, (veteres duntaxat septem distinguebant) initium eorum ducentes ab Æquatore. Sub Climate primo Dies longissimus seu Solstitialis est horarum XII cum dimidia. Qui subinde per alia & alia terrarum spatia ita crescit, ut in Climate vigesimo quarto sese ad horas XXIV. extendat. *Desiderius.* Hîc, quæso te, longiusculè cum die sermonem extrahe, & celebriora mihi loca nomina, per quæ, Climatum diversitas, longitudinem dierum notabiliùs variat. Est enim hæc cognitio non minùs uti is, quàm jucunda. *Mercurialis.* Etsi vereor, ne justô prolixior sim in isto argumento, hoc ipsum tamen precibus dabo tuis; præsertim cùm peragremus orbem, & intersit nostri itineri, nosse dierum & noctium intervalla, ne alicubi seriùs sequamur Solem, alibi opprimamur tenebris. Igitur nominatiora

tiora Climatum ac dierum diſcrimina hæc accipe. Sub Climate *primo* ſunt Inſulæ Ceila, Mindanaum, Panama in America, Beninum in Africa, &c.

Sub Climate 2 dies longiſſima producitur ad horas XIII, ut Goæ in India, Inſulis Heſperidibus &c.

Sub Climate 3. diei maxima longitudo eſt horarum XIII, ac dimidiæ, uti in Sinu Mexicano, Hiſpania nova, Mechæ in Arabia, Macai in China, Cambajæ in India, &c.

Sub Climate 4. dies extenſiſſima horas complectitur XIV, uti Marocci in Africa, Alexandriæ, Cairo, Jeroſolymis; in Inſulis Canariis ſeu Fortunatis, magna parte Chinæ, & nova Biſcajia, &c.

Sub Climate 5. Sol lucem præbet horis XIV. & ½. ut in nova Granada, Gadibus in Hiſpania, Syracuſis in Sicilia, Meaci in Japonia, Niſibi in Aſſyria, Nicoſiæ in Cypro, Aleppi in Syria, Argis in Peleponeſo, in Inſula Rhodo &c.

Sub Climate 6. continet dies ſolſtitialis horas XV. ut Pequin in China, Salamancæ in Caſtilia, Romæ in Italia, ad montem Atho in Græcia, Theſſalonicæ, &c.

Sub Climate 7. dies creſcit ad horas XV & ½. ut in nova Francia, in Mari Hyrcano, Ponto Euxino, Lugduni & Lemovici in Gallia, Rupellæ in Pictavia. Venetiis, Mediolani, Belgradi in Hungaria &c.

Sub Climate 8. Sol diem exporrigit ad horas XVI, ut Spiræ, Metis, Rhemis, Lutetiæ, & hîc Landishuti, cæteráque in Bavaria, &c.

Sub Climate 9. dies horas numerat XVI & ½. ut in Tartaria Orientali. Leuceſtriæ in Anglia. Dublini in Hibernia. Amſterodami in Hollandia. Luneburgi, Brunſchwigæ, in Zutphania in Belgio, Warſoviæ in Polonia.

Sub Climate 10. Sol lucet horis XVII. ut Dantiſci,

Königsbergæ in Pruſſia, Vilnæ in Lithuania. Smolenski in Moſcovia Stralſundæ, Lubeci, Lancaſtriæ in Anglia, &c.

Sub Climate 11. longiſſima dies horarum XVII & ½. ut Rigæ in Livonia, &c.

Sub Climatæ 12. longitudo diei ſumma horarum XVIII. ut Jeroslaviæ in Moſcovia, &c.

Sub Climate 13. Phœbus diem efficit horarum XVIII & ½. ut Stokholmiæ in Suecia.

Sub Climate 14 dies horas continet XIX.

Sub Climate 15. horas XIX. & ½.

Sub Climate 16. horas XX.

Sub Climate 17. horas XX. & ½.

Sub Climate 18. horas XXI. His climatibus ſubjacent, Cathaja, regnum ultra Sinas, Tartaria orientalis, Suecia & Norwegia.

Sub Climate 19. dies longiſſima horarum XXI. & ½. ut in urbe S. Michaëlis Archang. in Ruſſia.

Sub Climate 20. 21. 22. 23. 24. dies creſcit usque ad horas XXIV.

At in nova Zembla, & vicinis Inſulis dies in tres, quatuorve menſes continuatur.

Quæ ſub ipſo Æquatore conſiſtunt, perpetuò diem nocti æqualem XII. horarum habent. Quantò autem aliqua regio latiùs ab Æquatore versùs alterutrum polum declinaverit; tantò plus æſtate diei longiſſimæ, vel viciſſim hieme noctis quarti ſpatium augetur.

Cœterùm, quæ ratio Climatum eſt ab Æquinoctiali ad Arcticum versùs, eadem eſt ab eodem Æquinoctiali versùs Antarcticum, & par numerus.

Deſiderius Ex his dierum incrementis diſco diverſiſſima mortalium quieſcendi ac laborandi: rebúsque divinis & profanis vacandi tempora. Faciléque præcipuis ex locis, quæ Climatibus discreviſti, proximas regiones metior.

Mer-

Mercurialis. Clariùs iſta Globus te Geographicus docebit. Pergamus. *Deſiderius.* Rogo, parumper gradum reprime, & quoniam in diſcriminibus dierum ac noctium verſamur, paucis explica, quæ ſint diei creſcentis & decreſcentis, Solis orientis & occidentis in hiſce regionibus variationes; nam ex horum ignoratione non raræ horologiorum discrepantiæ & aberrationes exiſtunt. *Mercurialis.* Ad hoc quæſitum, ego linguæ, tu parces auribus; gero mecum Tabellam Horariam, quæ quod interrogas, oculis tuis repræſentabit. Inſpice. *Deſiderius.* Facio

Dies creſcens.	Solis ortus	Solis occaſus	Dies decreſcens.
22 Junii	Hora 4.	Hora 8.	22 Junii.
28 Maji	1 poſt 4vam	1 ante 8vam	17 Julii.
15 Maji	2 poſt 4	2 ante 8	30 Julii.
4 Maji	3 poſt 4	3 ante 8	10 Auguſti.
26 Aprilis	Hora 5.	Hora 7.	19 Auguſti.
17 Aprilis	1 poſt 5	1 ante 7	28 Auguſti.
8 Aprilis	2 poſt 5	2 ante 7	6 Septembr.
30 Martii	3 poſt 5	3 ante 7	15 Septembr.
21 Martii	Hora 6.	Hora 6.	23 Septembr.
13 Martii	1 poſt 6	1 ante 6	3 Octobr.
5 Martii	2 poſt 6	2 ante 6	10 Octobr.
24 Februarii	3 poſt 6	3 ante 6	19 Octobr.
14 Febr.	Hora 7	Hora 5.	29 Octobr.
5 Febr.	1 poſt 7	1 ante 5	7 Novembr.
27 Januar.	2 poſt 7	2 ante 5	16 Novembr.
15 Januar.	3 poſt 7	3 ante 5	8 Decembr.
22 Decemb.	Hora 8.	Hora 4.	22 Decembr.

Mercurial

Mercurialis. Hanc tabellam facilè accommodabis ad locorum in aliis Climatibus Ortum & Occasum Solis, pro varietate Solstitiorum. Si enim locus numeret pauciora Climata, tot quadrantibus horariis in Solstitio æstivo tardiùs habebit ortum Solis, & citiùs ejusdem occasum, quot Climatibus differunt. In Solstitio verò hiemali tot quadrantibus habebit citiùs ortum Solis, & tardiùs ejusdem occasum. Quod si locus plura contineat Climata, citius tot quadrantibus in Solstitio æstivo Sol orietur, & tardiùs occidet; contrariè in Solstitio hiemali. Cepisti? *Desiderius.* Vidi in tabella, quod volui, sæpiúsque revidebo; Cœtera relinquo speculationi Mathematicæ. Quò porrò nos pedes? *Mercurialis* En aliam tabulam, variis terrarum plagis, & incolis inscriptam. In hac exspatiandum nobis longiùs, & gigantei passus faciendi. *Desiderius.* Brevis est charta; citò percurritur. *Mercurialis.* Oculis quidem, non mente; quæ terrarum ac marium disjunctissimis ac distinctissimis imaginibus implenda.

Jam enim ad habitatores seu *incolas* orbis terrarum quod attinet; desumitur discrimen vel ex comparatione diversi Sitûs populorum ad invicem, quorum alii sunt *Antœci*, qui scilicet easdem Zonas inhabitant, sed diversa hemisphæria; *Periœci*, qui eandem Zonam, & idem planè Clima obtinent, sed distant spatiô 180. graduum.

Diversi terræ incolæ.

Synœci, qui in eadem regione modicô latitudinis intervallô discriminantur. *Antipodes* seu *Antichtones* habent obversa inter se vestigia, ut duæ muscæ, quarum altera supra, altera infra globum repit. Vel discernuntur ex umbrarum diversitate, ut *Ascii*, qui nullam habent umbram meridianam. *Amphiscii*, apud quos utrinque jacitur umbra meridiana; di-

ver-

versis scilicet anni temporibus, quippe intra Tropicos habitantes; *Heteroscii,* quibus umbra meridiei in unam duntaxat projicitur partem, qui nimirum intra Zonas temperatas colunt; *Periscii,* quibus umbra meridiana circulatur, seu in orbem curvatur, quod accidit habitantibus sub Polis.

Porrò *continentes*, maribus inter se disjunctæ, (sunt terræ solidæ, aquis interjectæ, quas & insulas magnas dicere possimus, Oceanô circumfluô divisas) recensentur præcipuè quatuor. 1. *Europa*, cui ab Ortu est Tanais fluvius, palus mæotis, Pontus Euxinus, mare Ægeum; ab Occasu Oceanus Atlanticus; à Septentrione terra Subborealis, seù Oceanus Hyperboreus; à Meridie Mare Mediterraneum. 2. *Asia* limites habet ab Oriente, mare Eoum, seu Oceanum Chinensem; ab Occidente Tanain, Paludem Mæotidem, Pontum Euxinum, Mare Ægeum, &, ut quidam volunt, sinum Arabicum; ab Austro Mare Indicum sive Rubrum; à Borea Oceanum Scythicum sive Tartaricum. 3. *Africa* (cujus pleráque inculta & deserta sunt) terminatur ad Ortum Mari Rubrô seu Sinu Arabicô: ad Occasum Oceanô Atlanticô: ad Septentrionem Mari Mediterraneô: ad Meridiem Oceanô Æthiopicô. Quibus accedit 4. *America*, nomen habens ab Americo Vesputio Florentino, qui Emanuelis, Portugalliæ Regis, auspiciis eam, circa annum D. 1497, invenit; quanquam prior illô Christophorus Columbus Genuensis, auspiciis Ferdinandi, Regis Castellæ, anno Christi 1492, quasdam ejus Insulas adierit; quibusdam hæc pars Orbis, *India Orientalis*, indigitatur; porrigitur versùs exortum Solis ad Oceanum Atlanticum & Æthiopicum; versùs occiduas partes ad mare Pacificum; versùs Australes

Quatuor partes Orbis.

les ad fretum Magellanicum : versùs Arctum, littus habet Europæis incognitum,

Hæc ex quatuor Orbis partibus est longè maxima; quare & novus Orbis dicitur; deinde magnitudine præstat Asia; Lunæ referens speciem; tum Africa, formam habens peninsulæ. Minima est Europa, sed nobilissima, virgini sedenti assimilata, cujus *caput* sit Hispania : *collum* & *pectus* Gallia : *brachia* Italia & Britannia : (vel, ut alii volunt, Dania;) *venter* Germania : *umbilicus* Bohemia ; reliquæ regiones ad vestem diffusam & fluentem referuntur.

Europa. Regiones Europæ *Orientales*, sunt Tartaria seu Tartaria minor, (Præcopensium scilicet) & Chersonésus Taurica, Sarmatia, Hungaria, seu Pannonia, Transilvania, Dacia, in qua Dardania, hodie Servia,) Mœsia (seu Bulgaria, hodie Walachia.) *Occidentales*; sunt Hispania & Gallia. *Meridionales*, Illyricum, (in quo Sclavonia, Albania, & Dalmatia) & Italia. *Septentrionales*, Hibernia, Scotia, Britannia, seu Anglia, Insulæ; Scandia peninsula, sub qua Lappia, Finlandia, Suecia, Norwegia, & Chersonésus Cymbrica seu Dania, peninsula; continentes vero sunt, Germania Superior & Inferior.

Asia. *Asia* hodie in quinque potissimùm partes distribuitur, quarum prima Tartaria seu Scythia Asiatica. 2. China seu Sina, quæ continet urbes celebres CCXL. fossis murisque probè munitas. Regiam alii dicunt esse Pequinum, alii Xanthum, alii Quinsai, alii Nanquinum. 3 Indiæ, Vetus & Nova, ab Indo flumine dictæ, & olim divisæ Gange flumine, versùs Ortum & Occasum; posterius in novem partes sectæ, quarum nomina, Cambaja, Narsinga, (hujus urbs præcipua Meliápor à D. Thomæ sepulcro

cro clara; & nominatu frequens Comarinum promontorium) Málabar, (cujus præcipuæ urbes Calecùtum, Cochinum, Travancor, &c.) Orixa, Bengala, Pegu, Sian, (in qua Sinan & Malacca urbes celeberrimæ) Camboja. Indiæ Septentrionalis Rex Mogor tenet partem. Japan Insula, Sinarum regno ab Ortu objacet, uti & Corea; illius, urbs caput, Meacum est. 4. Persarum, sive Sophorum imperium; sub quo comprehenditur Armuziæ regnum peculiare. 5. Turcicum Imperium.

Divisa fuit olim Asia universa in majorem & minorem; Regiones majoris, Sarmatia Asiatica, Scythia Asiatica, Serica, Sinæ, Indiæ intra & extra Gangem, eóque spectantes. In continente sunt Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Sogdiana, Parapamisis, Bactriana, Hyrcania, Margiana, Parthia, Persis, Susiana, Media, Albania, Iberia, Colchis, Armenia, Mesopotamia, Assyria, Babylonia, Arabia, (Petræa & Deserta) Syria, Palæstina, (in qua Idumæa, Judæa, Samaria, Galilæa) Phœnice, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Pontus, Bithynia, Pamphylia, Lycia, (proximè quatuor Provinciæ nunc appellantur Natolia) & Insula Cyprus. Minoris sunt, Phrygia duplex, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Jonia, Doris & Insula Rhodus.

Africæ regiones (veterum Geographorum divisione) sunt Ægyptus, Cyrenaica, Asia minor, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya interior, Arabia, Troglodytica (Troglódytæ) & Æthiopia. Nunc partitur, in partes septem, scilicet Ægyptum. Mauritaniam, vulgò *Barbariam*, (in qua regnum Tunetarum) Numidiam (vulgò *Biledulgerid*) Sarram, (*desertum*) Nigritas, Æthiopiam interiorem sive superiorem, (quod Abissinorum *Africa.*

norum

infernum appellamus, mirè loquuntur Viri docti. Plurimi cum *Cornelio à Lapide* extendunt illum carcerem ad quinquaginta aut sexaginta milliaria Germ. putántque sufficere ad damnatos includendos, etsi decem millibus annorum perduraret mundus: & singulis annis centum milliones eò deturbarentur, daretúrque cuilibet reprobo spacium cubicum decem pedum. *Desiderius.* O antrum horrendum! Stant comæ: vox faucibus hæret. *Mercurialis.* Nos ita vivemus, ut ne moriamur æternùm.

Porrò distantiarum dimensiones ut intelligas, ne rudis sis illorum, quos dixi, in globo terrestri circulorum; in quo axes seu vertices aut cardines appellantur poli, circa quos mundi machina circumvolvitur; quorum alter *Arcticus*, id est, Ursinus ab Ursa vicino sidere dicitur; alter *Antarcticus*, quia Arctico è diametro oppositus. Antarcticus (qui & Australis, & Austrinus & Meridionalis) in nostro hemisphærio seu globo dimidio haud conspicitur, sed sub Horizonte latet.

circuli, globi geographici. Majores circuli idem cum globo obtinent centrum, ipsúmque secant in duas partes æquales. Sunt autem, *Æquinoctialis* sive *Æquator*, *Zodiacus*, *Horizon*, *Meridianus.* Minores dicuntur, qui diversum habent centrum à globi centro, eúmque dividunt in duas partes inæquales; súntque *Tropici* duo, totidémque *Polares*, Rursus ex universis circulis, quinque dicuntur Recti sive Paralleli, id est, æqualiter inter se distantes, quia eosdem cum Universo polos habent; & æquô in latitudinem spatiô à se disjunguntur, súntque Æquator, Tropici, Polares. Majores distinguuntur in *Fixos* & *Mobiles*; *Fixi* sive immutabiles sunt Æquator & Zodiacus; *Mobiles*, pro varia regionum ac locorum mutatione, sunt Horizon & Meridianus.

Hori-

Horizon Latinè Terminator, Finítor, & Finiens, *Horizon.* conſpectam ſeu conſpicuam mundi partem à non conſpicua ſeu aſpecta dirimit, terrámque in duo *hemiſphæria* ſeu globos dimidiatos disſecat, & in margine exhibet triginta duos ventos, ac proinde totidem plagas. *Rectus* Æquatorem ad angulos rectos interſecat; *Obliquus* ad obliquos. Is, quem ſenſu percipimus, oculô noſtrô terminatur, quo usque ferri poteſt conſpectus, id eſt, ad milliaria Germ. ferè quinque. Ejus alter polus, Vertici noſtro perpendiculariter incumbens, Arabicè dicitur *Zenith*; alter ei oppoſitus, antipodum cervicibus imminens, vocatur *Nadir*,

Æquator globum in duas partes æquales, Septentrionalem & Meridionalem, diducit, æquali ſpatiô ab utroque mundi polo recedens; quem cum Sol attingit, æquale totô orbe diei ac noctis efficit ſpatium; unde & ei nomen quæſitum. Ab hoc numeratur latitudo locorum, quæ eſt diſtantia à medio terræ versùs Septentrionem vel Meridiem, eadémque eſt cum *elevatione* poli. *Æquator.* *Zodiacus* oſtendit, ſub quo ſigno cœleſti locus quilibet ſit poſitus. *Zodiacus.* *Meridianus* ſuper verticem cujuslibet hominis fictitiè ductus indicat longitudinem loci ab Ortu in Occaſum, ita, ut ſi tantillùm Orientem versùs aut Occidentem progrediaris, alius continuò ſit Meridianus. *Meridianus.* *Tropici* & *Polares* globum terreſtrem in quinque zonas diſtinguunt, *Tropici, Polares.*

Itaq; latitudo terræ æſtimatur ab Æquatore polos versùs utrinque per 90 gradus; Longitudo ab Occaſu in Ortum per integrum circuitum graduum 360. Initiô ſumptô à Meridiano, quem conſtituunt ad fines Europæ in Inſulis Canariis. Philoſophi à polo ad polum menſurant longitudinem; ab Oriente verò & Occidente latitudinem.

Quinque Zonæ. Ex latitudine terræ prodeunt *quinque Zonæ*; Media, interjacens circulis Tropicis, vocatur *Torrida*; extremæ duæ, intra polares circulos comprehensæ, sunt *Frigidæ*; totidémque *Temperatæ* inter has Frigidas & illam Torridam alterutrinque sitæ.

In *æstuosa* Zona propter perpetuam Solis, supra verticem hominum inambulantis, viam vehementissimi sunt ardores, continuumque æquinoctium, ideóque Veteribus inhabitabilis putabatur. E contrario in *gelidis* plagis, quæ ab orbita Solis longissimè ad latus sepositæ sunt, acerrima urunt frigora, éstque sub ipso polo sex mensium dies, ac totidem nox. In *Temperatis* tractibus alternatio tempestatis est grata, cum succedentibus in vicem incrementis ac decrementis dierum ac noctium.

Climata. Unde oriuntur *Climata*, spatia scil. terræ inter parallelos Æquatori circulos comprehensa, per interstitium, seu intercapedinem unius semihorii, variantis longitudinem diei. Numerant autem Geographi RR. Climata viginti quatuor, (veteres duntaxat septem distinguebant) initium eorum ducentes ab Æquatore. Sub Climate primo Dies longissimus seu Solstitialis est horarum XII cum dimidia. Qui subinde per alia & alia terrarum spatia ita crescit, ut in Climate vigesimo quarto sese ad horas XXIV. extendat. *Desiderius* Hîc, quæso te, longiusculè cum die sermonem extrahe, & celebriora mihi loca nomina, per quæ, Climatum diversitas, longitudinem dierum notabiliùs variat. Est enim hæc cognitio non minùs utilis, quàm jucunda. *Mercurialis.* Etsi vereor, ne justô prolixior sim in isto argumento, hoc ipsum tamen precibus dabo tuis; præsertim cùm peragremus orbem, & intersit nostri itineri, nosse dierum & noctium intervalla, ne alicubi seriùs sequamur Solem, alibi opprimamur tenebris. Igitur nominatiora

tiora Climatum ac dierum discrimina hæc accipe. Sub Climate *primo* sunt Insulæ Ceila, Mindanaum, Panama in America, Beninum in Africa, &c.

Sub Climate 2 dies longissima producitur ad horas XIII, ut Goæ in India, Insulis Hesperidibus &c.

Sub Climate 3. diei maxima longitudo est horarum XIII. ac dimidiæ, uti in Sinu Mexicano, Hispania nova, Mechæ in Arabia, Macai in China, Cambajæ in India, &c.

Sub Climate 4. dies extensissima horas complectitur XIV, uti Marocci in Africa, Alexandriæ, Cairo, Jerosolymis; in Insulis Canariis seu Fortunatis, magna parte Chinæ, & nova Biscajia, &c.

Sub Climate 5. Sol lucem præbet horis XIV. & ½. ut in nova Granada, Gadibus in Hispania, Syracusis in Sicilia, Meaci in Japonia, Nisibi in Assyria, Nicosiæ in Cypro, Aleppi in Syria, Argis in Pelepone-so, in Insula Rhodo &c.

Sub Climate 6. continet dies solstitialis horas XV. ut Pequin in China, Salamancæ in Castilia, Romæ in Italia, ad montem Atho in Græcia, Thessalonicæ, &c.

Sub Climate 7. dies crescit ad horas XV & ½. ut in nova Francia, in Mari Hyrcano, Ponto Euxino. Lugduni & Lemovici in Gallia, Rupellæ in Pictavia. Venetiis, Mediolani, Belgradi in Hungaria &c.

Sub Climate 8. Sol diem exporrigit ad horas XVI. ut Spiræ, Metis, Rhemis, Lutetiæ, & hîc Landishuti, cæteráque in Bavaria, &c.

Sub Climate 9. dies horas numerat XVI & ½. ut in Tartaria Orientali. Leucestriæ in Anglia. Dublini in Hibernia. Amsterodami in Hollandia. Luneburgi, Brunschwigæ, in Zutphania in Belgio, Warsoviæ in Polonia.

Sub Climate 10 Sol lucet horis XVII. ut Dantisci,

Königsbergæ in Prussia. Vilnæ in Lithuania. Smolenski in Moscovia Stralsundæ, Lubeci, Lancastriæ. in Anglia, &c.

Sub Climate 11. longissima dies horarum XVII & ½. ut Rigæ in Livonia, &c.

Sub Climatæ 12. longitudo diei summa horarum XVIII. ut Jeroslaviæ in Moscovia, &c.

Sub Climate 13. Phœbus diem efficit horarum XVIII & ½. ut Stokholmiæ in Suecia.

Sub Climate 14 dies horas continet XIX.

Sub Climate 15. horas XIX. & ½.

Sub Climate 16. horas XX.

Sub Climate 17. horas XX. & ½.

Sub Climate 18. horas XXI. His climatibus subjacent, Cathaja, regnum ultra Sinas. Tartaria orientalis, Suecia & Norwegia.

Sub Climate 19. dies longissima horarum XXI. & ½. ut in urbe S. Michaëlis Archang. in Russia.

Sub Climate 20. 21. 22. 23. 24. dies crescit usque ad horas XXIV.

At in nova Zembla, & vicinis Insulis dies in tres, quatuorve menses continuatur.

Quæ sub ipso Æquatore consistunt, perpetuò diem nocti æqualem XII. horarum habent. Quantò autem aliqua regio latiùs ab Æquatore versùs alterutrum polum declinaverit; tantò plus æstate diei longissimæ, vel vicissim hieme noctis quarti spatium augetur.

Cœterùm, quæ ratio Climatum est ab Æquinoctiali ad Arcticum versùs, eadem est ab eodem Æquinoctiali versùs Antarcticum, & par numerus.

Desiderium Ex his dierum incrementis disco diversissima mortalium quiescendi ac laborandi: rebúsque divinis & profanis vacandi tempora. Faciléque præcipuis ex locis, quæ Climatibus discrevisti, proximas regiones metior.

Mercurialis. Clarius ista Globus te Geographicus docebit. Pergamus. *Desiderius.* Rogo, parumper gradum reprime, & quoniam in discriminibus dierum ac noctium versamur, paucis explica, quæ sint diei crescentis & decrescentis, Solis orientis & occidentis in hisce regionibus variationes; nam ex horum ignoratione non raræ horologiorum discrepantiæ & aberrationes existunt. *Mercurialis.* Ad hoc quæsitum, ego linguæ, tu parces auribus; gero mecum Tabellam Horariam, quæ quod interrogas, oculis tuis repræsentabit. Inspice. *Desiderius.* Facio

Dies crescens.	Solis ortus	Solis occasus	Dies decrescens.
22 Junii	Hora 4.	Hora 8.	22 Junii.
28 Maji	1 post 4vam	1 ante 8vam	17 Julii.
15 Maji	2 post 4	2 ante 8	30 Julii.
4 Maji	3 post 4	3 ante 8	10 Augusti.
26 Aprilis	Hora 5.	Hora 7.	19 Augusti.
17 Aprilis	1 post 5	1 ante 7	28 Augusti.
8 Aprilis	2 post 5	2 ante 7	6 Septembr.
30 Martii	3 post 5	3 ante 7	15 Septembr.
21 Martii	Hora 6.	Hora 6.	23 Septembr.
13 Martii	1 post 6	1 ante 6	3 Octobr.
5 Martii	2 post 6	2 ante 6	10 Octobr.
24 Februarii	3 post 6	3 ante 6	19 Octobr.
14 Febr.	Hora 7	Hora 5.	29 Octobr.
5 Febr.	1 post 7	1 ante 5	7 Novembr.
27 Januar.	2 post 7	2 ante 5	16 Novembr.
15 Januar.	3 post 7	3 ante 5	8 Decembr.
22 Decemb.	Hora 8.	Hora 4.	22 Decembr.

Mercurialis.

Mercurialis. Hanc tabellam facilè accommodabis ad locorum in aliis Climatibus Ortum & Occasum Solis, pro varietate Solstitiorum. Si enim locus numeret pauciora Climata, tot quadrantibus horariis in Solstitio æstivo tardiùs habebit ortum Solis, & citiùs ejusdem occasum, quot Climatibus differunt. In Solstitio verò hiemali tot quadrantibus habebit citiùs ortum Solis, & tardiùs ejusdem occasum. Quod si locus plura contineat Climata, citius tot quadrantibus in Solstitio æstivo Sol orietur, & tardiùs occidet; contrariè in Solstitio hiemali. Cepisti? *Desiderius.* Vidi in tabella, quod volui, sæpiúsque revidebo; Cœtera relinquo speculationi Mathematicæ. Quò porrò nos pedes? *Mercurialis* En aliam tabulam, variis terrarum plagis, & incolis inscriptam. In hac exspatiandum nobis longiùs, & gigantei passus faciendi. *Desiderius.* Brevis est charta; citò percurritur. *Mercurialis.* Oculis quidem, non mente; quæ terrarum ac marium disjunctissimis ac distinctissimis imaginibus implenda.

Jam enim ad habitatores seu *incolas* orbis terrarum quod attinet; desumitur discrimen vel ex comparatione diversi Sitûs populorum ad invicem, quorum alii sunt *Antœci*, qui scilicet easdem Zonas inhabitant, sed diversa hemisphæria; *Periœci*, qui eandem Zonam, & idem planè Clima obtinent, sed distant spatiô 180. graduum.

Diversi terræ incolæ.

Synœci, qui in eadem regione modicô latitudinis intervallô discriminantur. *Antipodes* seu *Antichtones* habent obversa inter se vestigia, ut duæ muscæ, quarum altera supra, altera infra globum repit. Vel discernuntur ex umbrarum diversitate, ut *Ascii*, qui nullam habent umbram meridianam. *Amphiscii*, apud quos utrinque jacitur umbra meridiana, di-

ver-

versis scilicet anni temporibus, quippe intra Tropicos habitantes; *Heteroscii*, quibus umbra meridiei in unam duntaxat projicitur partem, qui nimirum intra Zonas temperatas colunt; *Periscii*, quibus umbra meridiana circulatur, seu in orbem curvatur, quod accidit habitantibus sub Polis.

Quatuor partes Orbis.

Porrò *continentes*, maribus inter se disjunctæ, (sunt terræ solidæ, aquis interjectæ, quas & insulas magnas dicere possimus, Oceanô circumfluô divisas) recensentur præcipuè quatuor. 1. *Europa*, cui ab Ortu est Tanais fluvius, palus mæotis, Pontus Euxinus, mare Ægeum; ab Occasu Oceanus Atlanticus; à Septentrione terra Subborealis, seu Oceanus Hyperboreus; à Meridie Mare Mediterraneum. 2. *Asia* limites habet ab Oriente, mare Eoum, seu Oceanum Chinensem; ab Occidente Tanain, Paludem Mæotidem, Pontum Euxinum, Mare Ægeum, &, ut quidam volunt, sinum Arabicum; ab Austro Mare Indicum sive Rubrum; à Borea Oceanum Scythicum sive Tartaricum. 3. *Africa* (cujus pleráque inculta & deserta sunt) terminatur ad Ortum Mari Rubrô seu Sinu Arabicô: ad Occasum Oceanô Atlanticô: ad Septentrionem Mari Mediterraneô: ad Meridiem Oceanô Æthiopicô. Quibus accedit 4. *America*, nomen habens ab Americo Vesputio Florentino, qui Emanuelis, Portugalliæ Regis, auspiciis eam, circa annum D. 1497, invenit; quanquam prior illô Christophorus Columbus Genuensis, auspiciis Ferdinandi, Regis Castellæ, anno Christi 1492, quasdam ejus Insulas adierit; quibusdam hæc pars Orbis, *India Orientalis*, indigitatur; porrigitur versùs exortum Solis ad Oceanum Atlanticum & Æthiopicum; versùs occiduas partes ad mare Pacificum; versùs Australes

cro clara; & nominatu frequens Comarinum promontorium) Málabar, (cujus præcipuæ urbes Calecùtum, Cochinum, Travancor, &c.) Orixa, Bengala, Pegu, Sian, (in qua Sinan & Malacca urbes celeberrimæ) Camboja. Indiæ Septentrionalis Rex Mogor tenet partem. Japan Insula, Sinarum regnó ab Ortu objacet, uti & Corea; illius, urbs caput, Meacum est. 4. Persarum, sive Sophorum imperium; sub quo comprehenditur Armuziæ regnum peculiare. 5. Turcicum Imperium.

Divisa fuit olim Asia universa in majorem & minorem; Regiones majoris, Sarmatia Asiatica, Scythia Asiatica, Serica, Sinæ, Indiæ intra & extra Gangem, eóque spectantes. In continente sunt Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Sogdiana, Parapamisis, Bactriana, Hyrcania, Margiana, Parthia, Persis, Susiana, Media, Albania, Iberia, Colchis, Armenia, Mesopotamia, Assyria, Babylonia, Arabia, (Petræa & Deserta) Syria, Palæstina, (in qua Idumæa, Judæa, Samaria, Galilæa) Phœnice, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Pontus, Bithynia, Pamphylia, Lycia, (proximè quatuor Provinciæ nunc appellantur Natolia) & Insula Cyprus. Minoris sunt, Phrygia duplex, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Jonia, Doris & Insula Rhodus.

Africæ regiones (veterum Geographorum divisione) sunt Ægyptus, Cyrenaica, Asia minor, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya interior, Arabia, Troglodytica (Troglódytæ) & Æthiopia. Nunc partitur, in partes septem, scilicet Ægyptum. Mauritaniam, vulgò *Barbariam*, (in qua regnum Tunetarum) Numidiam (vulgò *Biledulgerid*) Sarram, (*desertum*) Nigritas, Æthiopiam interiorem sive superiorem, (quod Abissinorum *Africa.*

norum imperium) & exteriorem ſive inferiorem, in qua regiones Congi, Monomótapa, Zangibar, &c.

America. *America* dividitur in *Septentrionalem* (quæ & Mexicana) & *Meridionalem* (quæ Peruviana) exiguô iſthmô alteram ab altera diſcernente. In Mexicana ſunt Canada, nova Francia, Virginia, Florida, nova Granata, nova Hiſpania, California, Quivira, &c. In Peruviana, Caſtella aurea, Peruvia ſeu Peru; Chili, Chica, Braſilia.

Terra Magellanica. *Terra Magellanica* (vulgò auſtralis & incognita) à navarcho Ferdinando Magellano Luſitano primùm conſpecta, circa annum D.1520, ſolis in littoribus explorata, ſicut aliæ ſubboreales & ſubauſtrales (ut loquuntur) terræ. *Nova Zembla*, eſt nova via in Orientalem Aſiam plagam (Catajam & Chinam) affectantium iter.

Verùm ut ad ſingularia quædam (nam peregrinationem profitemur, ſed nou more Philoſophicô à rebus & oculis abductam) accedamus. *Hiſpania.* *Hiſpania* olim diſcreta fuit in Provinciam Bæticam, Luſitaniam, Tarraconenſem. Hodie ſub *Luſitania*, eſt regnum Portugalliæ, pars Caſtiliæ veteris, párſque novæ; ſub *Bætica*, Granata & Andaluſia, & Eſtremadura; ſub *Taraconenſi*, Murcia, Valentia, Catalonia, Arragonia, Navarra, Biſcaja, Aſturia, Cantabria, Gallæcia, Legio, Caſtilia vetus & nova, (ſeu regnum Toletanum) & Baleares Inſulæ, vulgò *Majorica* & *Minorica* dictæ. Romani olim duas in Provincias diſtinxerunt Hiſpaniam, (unde Hiſpanicæ vocantur) quibus citerior Hiſpania eadem, quæ Tarraconenſis; ulterior Bæticam & Luſitaniam complectebatur; dictæ ſunt citerior ulteriórque, reſpectu urbis Romæ, (quanquam etiam reſpectu fluminis Ibéri, utrámque alluentis, eam par-

partitionem obtinent,ut si citerior,quæ versùs Galliam,ulterior, quæ versùs Africam) sicuti & Galliæ duæ ; nunc clara manent tria regna, Castilia, Arragonia, Portugallia.

Gallia olim distributa (ut diximus) in *Cisalpinam*, quæ & Italica, Togata, Circumpadana, eadémque citerior (hodie Lombardia :) & *Transalpinam* seu ulteriorem ; (Plinius *Comatam* vocat, á longis illius populi comis) hanc Cæsar divisit in Aquitaniam, Celticam, (quæ postea Lugdunensis) & Belgicam. At Narbonensem Provinciam, quæ interno mari alluitur, (quæ dicta olim Braccata, à braccis, femorum tegumento) Galliæ à se vincendæ non accensuit, quòd jam tum Romanis parebat. *Gallia vetus.*

Hodie Gallia *divisa* est in partes quatuor. 1. *Aquitania*, cujus regiones Biscaja, Bearnia, Bigornia, Guienna seu Cascónia, Borbonia, Píctones, Sántones, Lemóvices, Petrocorii, Cadurci, Arverni, Bitúriges, Váscones, &c. 2. *Galliæ Narbonensis* regiones, Provincia (divisa in ditionem Pontificis & Regis) Languedocia, Delphinatus superior & inferior, Sabaudia seu Allóbroges. 3. *Galliæ Lugdunensis regiones*, Britannia minor seu Gallica, superior & inferior, Normannia, Ducatus Andegavensis, Belsia, Nivernia, Francia, (speciatim dicta, in qua metropolis Lutetia Parisiorum) Campania, Burgundia superior & inferior, (illa est Comitatus, hæc Ducatus) & territorium Lugdunense. 4. *Galliæ Belgicæ regiones*, Picardia, Veromandui, Cambrense territorium, Bononiæ Comitatus, vulgò Bolougne, &c. *Recensio Galliæ divisio.*

In *Italia* continentes sunt. 1. *Liguria*, nunc ora Genuensis. 2. *Hetrúria* seu Thuscia, nunc Ducatus Florentinus. 3. *Umbria*, nunc Ducatus Spoletanus. 4. *Latium*, nunc Campania Romana. 5. *Campania* *Italiæ.*

 felix,

felix, sive terra laboris. 6. *Lucania*, nunc Basilicata. 7. *Brutii*, nunc inferior Calabria. 8. *Magna Græcia*, nunc Calabria superior. 9. *Salentini*, nunc terra Hydruntina. 10. *Apulia*, (Peucetia, Japygia) nunc terra Bariana. 11. *Apulia Daunia*, nunc Plana. 12. *Samnites*, nunc Abbrucium & Ducatus Beneventanus. 13. *Picenum*, nunc Marchia Anconitana. 14. *Flaminia*, nunc Romandiola. 15. *Æmilia*, nunc Lombardia Cispadana. 16. *Gallia Transpadana*, nunc Lombardia Transpadana. 17. *Venetia*, vulgò Marchia Tarvisina. 18. *Forum Julii*, nunc Friaul. 19. Istria. Adjacent Insulæ tres, Corsica, Sardinia, Sicilia sive Trinacria. *Regnum Neapolitanum* complectitur Lucaniam, Campaniam felicem, Calabriam, Salentinos, Apuliam utrámque, & Samnites.

Græcia olim dirimebatur in Macedoniam (seu Æmoniam, vel Æmathiam, in qua Epirus & Thessalia;) & Achajam, sub qua Græcia, seu Hellas propriè dicta, Peloponésus, & Insulæ adjacentes; in Hellade, Ætolia, Doris, Locris, Phocis, Mégaris, Attica, Bœotia. In Peloponeso, Corinthia, Laconia, Elis, Arcadia.

Sarmatia Europaa. *Sarmatia Europæ*, continet septem regiones, quarum prima Polonia, (dicta à Pole seu Planitie) & hæc duplex, major & minor. 2. Russia Nigra, seu Roxolania aut Ruthenia; (alba Russia ad Asiam pertinet.) 3. Prussia seu Borussia Regalis; nam Ducalis maximam partem Electori Brandeburgico paret. 4. Lithuania. 5. Livonia. 6. Podolia, habens versus meridiem Moldaviam. 7. Moscovia, cujus potior pars Asiæ subjacet.

Germania. *Germania* in meditullio Europæ sita est. In superiore sunt Helvetia, Alsatia, Suevia, Bavaria, Franconia seu Francia Orientalis, Palatinatus uterque, Bohe-

Bohemia, Moravia, Auſtria, Stiria, Carinthia, Croatia, Carniola, Tirolis. In inferiore, Leodienſis Epiſcopatus, Lotharingia, Juliacenſis Ducatus, Archiepiſcopatus Colonienſis, Trevirenſis, Moguntinus: Item Ducatus Clivenſis & Montanus, Weſtphalia, Haſſia, Wetteravia, Thuringia, Saxonia, Miſnia, Luſatia, Sileſia, Marchia Brandeburgenſis, Mechelburgia, Holſatia, Principatus Brunſvicenſis & Luneburgenſis; Archiepiſcopatus Bremenſis. In eadem eſt *Belgium*, cujus Provinciæ ſunt ſeptendecim; Brabantia, Limburgum, Luceburgum, pars Geldriæ, Flandria, Arteſia, Hannonia, Namurcum, Marchionatus Imperii, & Mechlinia, quæ parent Hiſpano. Fœderatis ſubſunt, Hollandia, Zelandia, Trajectus, Tranſiſalania, Gröninga, Friſia, Zutphania.

Daniæ regnum complectitur Norwegiam, Finnorum Marchiam ſeu Finnomarchiam, Islandiam, Grönlandiam, Frieslandiam, Scetlandiam. **Dania.**

Suecia verò Botniam, Lappiam, Finniam, &c. Hæ aliæque memoratæ regiones in alios atque alios limites & dominia partim Geographicè, partim Politicè dividuntur. **Suecia.**

Jam etiam celebriores quosdam *montes* tibi commemorabo. Præcipui in tribus mundi partibus ſunt: in *Aſia*, Taurus, quam mediam ſcindit, cujus aliqua pars Caucaſus, Indiam dirimens à Scythia; in *Africa*, Atlas; in *Europa*, Alpes, reliquorum parentes; quæ diverſa ſortiuntur nomina, unde Alpes Rhæticæ ſeu Lepontiæ, Cottiæ, Grajæ, Juliæ, *Summæ*, ſeu S. Gotthardi, Adulæ, &c. Eminent inter montes, *Jura*, ſeu Vógeſus, (quibusdam Adula) Sequanos ab Helvetiis dividens; Pyrenéus *Hiſpanis* à Gallis ſeparans, Apenninus *Italiam* ſecans, in cujus jugo antrum Sibyllæ; Veſuvius (ſeu **Montes celebriores.**

Veſévus) in *Campania*, aliàs Summanus, ignes vomit, ſicut Ætna in *Sicilia*; ubi & Acragas & Cyclopum ſcopuli. Gargánus in *Apulia*, apparitione S. Michaëlis inſignis. In agro *Patavino* celebrantur Euganei colles: in *Germania* Brúcterus, Melibócus, Cócharus, Cocius, Arnoba, vel Abnoba, Mons Jovis, Pileatus, Brennerus, aliæque Alpium particulæ; in Hungaria Carpatus ſeu Cárpathus, & Cæcius vel Cæclus; in *Thracia* Rhodope, Hæmus, Ismarus; in *Macedonia* & *Theſſalia* Olympus, Pelion, Oſſa, Pindus, Athos, Tempe volúptaria Othrys & Oeta; in *Bœotia* (regione Phocide) Helicon vel Parnaſſus; in *Laconia* Taygeta, orum; in *Epiro* montes Ceraunii (Acroceraunii ſeu Cháones;) in *Arcadia* Cylléne, Lycæus, Mænalus vel plur. Mænala; in *Africa* montes Lunæ aſperrimi, & famoſum Promontorium Bonæ Spei: in *Phrygia* mons Ida ſeu Gárgara, & Díndymus; in *Aſia* portæ Caſpiæ ſeu montes Caſpii; in *Cilicia* mons Amánus; in *Scythia* montes Riphæi ſeu Hyperborei, perpetuâ nive rigentes; in *Galilæa* Thabor Sacris Paginis clarus; ut in *Arabia* Petræa mons Sinai & Horeb; ac Jeroſolymis Sion, Acra, Moria; & mons Oliveti; in *Syria* Líbanus & Hermon, &c. Tres urbes *Septicolles* ſunt: Conſtantinopolis, Roma, Hieroſolyma.

Silvæ memorabiles.

Silvæ memorabiles in Belgio & Gallia Ardunna: in Germania, Hercynia, cujus partes Silva nigra, & Martiana ſeu Hartiana: Ottonica, Bohemica; Speshartica & Turingica, &c.

Urbes nominatiores.

Urbes nominatiores & memorabiliores ſunt; in Italia, Roma, Venetiæ, Neapolis, Mediolanum; in Hiſpania, Hiſpalis, ſive Sevilia, & Granata; in Gallia, Pariſii, & Pictavia; in Luſitania, Olyſſipona; in Anglia, Londinum; in Thracia, Bizantium

tium ſeu Conſtantinopolis : in Germania, Praga, Colonia, Gandávum, Amſterodamum ; in Sarmatia, Moſcovia ; in Africa, Marocum, Algíra, Tunetum ; in Ægypto, Cairum ſeu Alcairum, olim Memphis ; in China, Pequinum, ſeu Cambalu, Nanquinum ſeu Quinſai, Cantan : in India Orientali, Calecutum, Malaca, Goa, clavis Indiæ ; in Arabia felice, Mecha ; in America, Mexica, Cuſca, Lima ; in Japonia, Meacum, Jedo, Nangaſachum, Chriſtianorum martyriô celebre. Olim celebrabantur, Hieroſolyma in orbis umbilico poſita ; Samaria, Babylon, Suſa, Ninive, Tyrus, Tigranocerta, Perſepolis, Carthago, Nicomedia, Synnada, Alexandria, Troja, ſeu Ilium, Cyzicum, Thyátyra, Sardes, Philadelphia, Laodicea, Antiochia, Corinthus, Athenæ, Lacenæ ſeu Sparta, Teſſalonica, Dyrrachium, Chalcédon, Lampſacus, Mytilénæ, Halicarnaſſus, Rhodus, Creta, Thebæ, Peluſium, Heracléa, Elis, Olympia, & infinitiæ aliæ.

Porrò, quod ad *Hydrographiam* attinet, *Oceanus* dividitur in *Vaſtum*, *Sinuoſum*, & *Fretum*. Vaſtus inſtar cinguli totum terrarum orbem ambit ; qui ſi medius inter terras intercurrat, dicitur Mare *Interius* ſeu *Mediterraneum*, variámque ſortitur nomenclationem à plagis, quas alluit ; nam primò à *Provinciis* appellatur Ibericum, Aſiaticum, &c. 2. ab *Inſulis* Creticum, Siculum, &c. 3. à *Gentibus*, Germanicum, Gallicum, Auſonium, Dalmaticum, Liguſticum, Caſpium, &c. 4. ab *Urbibus*, Argolicum, Corinthium, Adriaticum, &c. 5. à *Cœli poſitione*, ſuperum (idem quod Adriacum) & inferum, aliàs Tyrrhenum ſeu Thuſcum. 6. à *Regum memoria*; Ionium, Ægéum, Erythræum, &c. 7. ab *Hominum caſibus*, Helleſpondiacum, Myrtóum, Icarium. 8. ab

Hydrographia.

Maria.

ordine, ut Propontis, (æquor ex primis anguſtiis maris ſe coarctantis, quod Helleſpontum vocant, exſpatians) qui ubi iterum ſtringitur, Boſphorus Thracius appellatur; & ubi iterum effunditur, Pontus Euxinus nuncupatur; hic verò oſtio Mæotidis paludis committitur, idque oſtium vocatur Boſphorus Cimmerius.

Sinus. Oceanus ſinuoſus efficit *Sinus*, ſcilicet Perſicum, Arabicum, Mexicanum, Adriaticum, Ionicum, Ambracium, Corinthiacum. Freta ſunt Siculum, Hetruſcum, Calydonium, Helleſpontiacum, Thracium, & Cimmerium, Godanum, Balthicum, Germanicum, Cimbricum.

Inſulæ. *Inſulæ* Europæ præcipuæ ſunt Scotia, Hibernia, Britannia, (à cujus tergo ſunt Orcades, Romanis ultima Thule,) Islandia; Baleārides *Hiſpaniæ*, Ebuſus, Gades. *Italicæ* Corſica, ut memini ſuprà) Sardinia, Sicilia, & his adjacens Mélita. *Græcæ* Creta, (nunc Candia) Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, Ithaca. In *mari Ægeo* Eubœa, Scyrus, Lemnus, Chius, Samos Cous, & notæ Turcarum clade Echínades, ſeu Stróphades. *Aſiæ* attribuuntur Lesbos, Mityléne, Ægina, Sálamis; & quæ in orbem circumjacent Cyclades; in quibus notiores Andrus, Delus, (Apollinis quondam oraculo clara) Paros, (unde marmor Parium) Icaria, Pathmos, (D. Joannis Evangeliſtæ exiliô nominabilis) Mícone, Samos. Gyarus vel Gyaræ (quò Romani exules mittebant) una ex Sporadibus. Cyprum, Rhodum & Cretam Turca ademit Chriſtianis. In *Africa* celebres ſunt Inſulæ Canariæ ſeu Fortunatæ in medio mari Atlantico; in mari *Indico* ſeu Eoo ſunt Sumatra, Borneo, Java, Moluccæ, Philippinæ, (nova Guinéa non eſt Inſula, ſed terra procurrens) Ceilon ſeu Taprobána; in *America*, Hiſpaniola, Cuba, Ja-

maica, &c. Coréa & Japonia, nobilissimæ Insulæ, Chinarum regno ad Ortum, ut diximus, objacent.

Lacus magis principales & noti sunt, Lemanus, Acronius seu Podamicus, Tigurinus, Lucerinus, Benacus, Larius seu Comensis, Trasyménus, Verbanus, Albanus seu Fúcinus, Velinus, Fundanus, Lucrínus, Avernus, Nursínus; lacus Genesareth seu mare Tiberiadis; lacus Asphaltites, nuncupatus à bitumine, aliô nomine mare salsum aut mortuum. *Paludes*, Mæotis, Mareotis, Lerna, Stymphális, &c. *Lacus principales.*

Flumina nobiliora sunt, in *Hibernia* Banna & Sineus: in *Anglia* Támesis; in *Hispania* Turias, Iberus, Minius, Durius, Tagus, (aurifer) Bætis; in *Gallia* Garumna, Ligeris, Sequana, Rhódanus, Mátrona, Araris, &c. in *Germania* Danubius, Rhenus, Mœnus, seu Mógonus, Neccarus, Lycus, Oenus, Athesis, Amásis, Visurgis, Albis, Viádrus sive Odera, Mosella, Mosa, Sala; in *Italia* Arnus, Tiberis, Padus, seu Erídanus, Mincius, Anienis, Vulturnus, Sílarus, Aúfidus, Metaurus, &c. in *Polonia* Vistula & Borysthenes; in *Hungaria* Savus, Dravus, Tibiscus; in *Bohemia* Albis & Móldavus; in *Moravia* Móravus; in *Transylvania* Morossus & Samus; in *Epiro* Acheron; in *Arcanania* Achelóus; in *Peloponéso* Alphéus, Eurotas, Inachus; in *Bœotia* Cephisus, Asópus, Isménus; in *Messalia* Peneus & Sperchíus; in *Macedonia* Strymon; in *Thracia* Hebrus; in *Cilicia* Cydnus; in *Scythia* Tanais; in *Colchide* Phasis; in *Cappadocia* Thermodoon; in *Phrygia* majore Mæander & Marsias, qui in Caria Lycus dicitur; in *minore* Scamandrus; in *Mysia minore* Cranícus; in *Lycia* Xanthus; in *Lydia* Pactólus aurifer; in *Ægypto* Nilus; in *Flumina nobiliora.*

Armenia majore Tigris, Araxes, Euphrates; in *Palæstina* Jordanis; in *Africa* Nilus, & Niger; in *India* Indus, Hydaſpes, Hypanis, (qui & in Scythia;) præcipuè *Ganges* gemmifer, Indiam bifariam ſecans; hinc India versùs Occaſum dicitur, intra Gangem; versùs Ortum (qualis eſt Sinarum regnum) extra Gangem; & hic eſt unum è quatuor fluminibus è Paradiſo exeuntibus; Sacræ Scripturæ *Phiſon* dicitur; alter fluvius *Geon* ſeu *Nilus*; tertius *Tigris*; quartus *Euphrates*. Diórix ſeu *διώρυξ*, rivus ſeu fluentum per alveum manufactum decurrens. Satísne terrarum & aquarum? *Deſiderius*. Ubi ſim, ignora: *Mercurialis*. Animô te fidenti eſſe jubeo, portum aut ſtationem ſi non repeRiamus in terra, dabit eam cœlum, quò jam jam tendimus; has tamen priùs minutias obſerva; in Tabulis Geographicis per ſimplices orbiculos exprimi pagos; Munitiones, extante uncô: Cœnobia, circulô cruciatô: Urbes nobiliores, binis vel ternis turribus: Academias, ſtellulâ: Territoria, certorum punctorum ductu diſcriminari: Chriſtianorum regna diſtingui cruce; Mahometanorum, dimidiatâ Lunâ, aut furcâ: Idololatrarum, ſagittâ. *Deſiderius*. Grates, quas poſſum, habeo maximas; jam mihi conſidere & obdormire allubeſcit. *Mercurialis*. Nihil impedio, quieſce. Ego interea ſidera cum Aſtronomis permeabo, dum tu pondus ignobile premis humum. *Deſiderius*. Abſit hoc, abſit; & me juvat aſtra tueri.

CAPUT

Caput LXVI.

Astronomia.

SIve *Astrologia*, (quamvis aliqui hanc ab illa, tanquam filiam à matre, distinguant, quibusdam etiam Uranometria, & Uranoscopia) est scientia sideralis seu siderum; eáque duplex: *Theoria* sive Contemplatrix, & *Practica*, sive Operans & Agens; versaturque circa universam mundi machinam, investigans corporum cœlestium numerum, ordinem, positum seu positionem, magnitudinem, motum, stellarum ac planetarus ortus & obitus, constellationum & signorum formas, imagines, progressus, status seu stationes, regressus, conjunctiones, oppositiones, eclipses; eorúmque vim, actiones, qualitates, efficientiam, influxus, &c. Nos facilioris methodi causâ hanc disciplinam *quadripartitam* faciemus; acturi *primò* de motu & mensura corporum cœlestium; *deinde* de stellis & Planetis, illorúmque numero, orbibus, motionibus, & affectionibus, quam *Theoriam Planetarum* vocant; *tertiò* de effectibus & vi operatrice siderum, quam speciatim *Astrologiam* nominant; *demum* de Computatione fastorum seu temporum, quam vulgò *Computum* appellant; quæ omnia sic lustrabimus, ut non tam per ea transiisse, quàm pervolâsse videamur. *Astronomia quadripartita.*

Astronomi contemplaturi astra, describunt firmamentum in certas regiones, per quas observent transitiones siderum: nempe imaginarios circulos; ad quorum notitiam expeditiùs habendam, inventa est *Sphæra pertusa*, (quam *materialem* vocant, quâ mundi idea & revolutionum cœlestium varietas per similitudinem exprimitur) distincta in cir- *Sphæra, & Globus cœlestis.*

cusos æneos aut ligneos, inter se instar armillarum inflexos, (unde *armillaris* Astrologis dicitur. (At *Globus cœlestis* est corpus solidum & convexum, in cujus superficie non lineæ tantùm circulares, sed stellæ quoque & asterismi sunt inscripti; quæ si in plano exhibentur, id fit per *Astrolabium* seu *Planisphærium*, ut loquuntur. Tametsi verò de circulis Globi terrestris egerimus, juverit tamen eosdem hîc in Sphæra, quanquam paullò aliter, repetere, ut altiùs insideat animo.

Stellas ire circulatim, indicat quotidiana reditio ad loca eadem: ergo cœlum est volubilis Sphæra vel Globus: ergo habet *axem*, circa quem revolvatur, ergo & duas extremitates axis sui, seu duos immobiles *Polos*, sive vertices, *Septentrionalem* (seu quod idem, Arcticum, Borealem, Aquilonarem,) & *Meridionalem* (seu Antarcticum vel Australem.

Circuli in Sphæra Tropici. Inter Polos finge in medio Sphæræ maximum *circulum*; hic erit *Æquator*; & huic parallelos duos (seu æqualiter ab eo distantes) scilicet *Tropicos*, sic dictos, à reditu & conversione Solis ad Æquatorem, quorum alter nobis propinquior, Tropicus *Cancri* seu æstivus; alter in Austrum vergens, Tropicus *Capricorni*, hibernus seu brumalis; utérque *Solstitialis*, quòd in illis fiant Solstitia, (non equidem, quòd Sol ibi subsistat, sed quòd per aliquot dies neque umbræ gnómonum, neque longitudo dierum ac noctium ad sensum mutari videantur:) illum Sol describit altissimus æstate; hunc autem humillimus hieme; in illo nobis efficit diem longissimum; in isto brevissimum. Dirimit *Æquator* Sphæram in duo Hemisphæria, quem Sol attingens cursu suô, cùm æquale efficiat diei ac noctis spatium, Æquinoctialis quoque vocatur; sunt verò *Æquinoctia* bis per annum, alterum in principio Arie-

Solstitia.

Æquinoctia.

Æquator.

Arietis, scilicet Vernum: alterum in principio Libræ, Autumnale.

Hunc duobus locis intersecat *Zodiacus* (ab animalium inscriptorum figuris sic vocatus) seu Signifer, inter mundi Polos obliquè locatus, indeque duodecim partes, Græcis Dodecatemoria, seu signa distributus; quæ *Zodiacus.*

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓
Libra, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Quorum sex priora, *Septentrionalia*; posteriora, *Australia* dicuntur; singulis tribuuntur 30 gradus, qui computati faciunt 360, in quos distribuitur totus Orbis; cœlestis & terrestris. Clariùs, *Zodiacum* dixeris esse cingulum latum & obliquum, in quo fit orbita & via Planetarum, præcipuè Solis, ab uno Tropico ad alterum annuè (quotidie conficiendô gradum ferè unum) transeuntis; cujus orbitæ media linea vocatur *ecliptica*, quia sub ea directè conjuncta duo luminaria (Sol & Luna) efficiunt *Eclipsin*, seu obscurationem, *Solis*; vel, si in eadem sint per diametrum opposita, *Eclipsin Lunæ*, ab illa via, Planetæ plùs minùs exorbitant, excurrúntque Boream versùs & Austrum. Dicitur verò Sol esse in aliquo signo Zodiaci, cùm est infra illud signum secundum lineam rectam, quæ ex centro terræ cogitatur duci per illud. *Ecliptica.* *Eclipsis.*

Coluri dicti sunt, quòd manci seu mutili sint; nam hi circuli habitantib⁹ in Sphæra obliqua, imperfectè, nec integrè apparent. Sphæra est *Recta* comparatione illorum, quibus utérque Polus jacet in Horizonte, quales sunt, qui sub *Æquinoctiali* habitant; *Obliqua*, quibus una pars supra Horizontem elevatur, altera infrà deprimitur. Et quamvis 180. Co- *Coluri.*

lúros

ſuros per utrúmq; Mundi Polum decurrentes liceat numerare, præcipuè tamen duo memorantur, non tantùm per Mundi Polos, ſed etiam per quatuor cardinalia Zodiaci puncta (ſcilicet duo Æquinoctialia & duo Solſtitia alia) Æquatorem & Zodiacum ſecandò, ducti; quò ſerviunt vulgati verſiculi:

Hæc duo Solſtitium faciunt Cancer, Capricornus,
Sed noctes æquant Aries & Libra diebus.

Circuli Polares. Extimos autem & Polis vicinos circulos nuncupant *Polares*, omnium minimos, & quotidianâ volutatione circa Mundi Polos verſabiles, cúmque Tropicis deſcribentes quinque *Zonas* cœleſtes.

Habes circulos cùm cœleſti machina per imaginationem revolubiles; jam diſce cuilibet loco *proprios*, & *immobiles*, quales ſunt *Horizon* & *Meridianus*; de quibus ſuprà quædam. **Meridianus.** *Meridianus* ſeu *Meridionalis* dicitur à meridie, quem Sol efficit ad hunc orbem delatus. Veteres Meridianorum initium in Inſulis Canariis ſeu Fortunatis conſtituerunt, eóſque per Zenith & Nadir, (de quibus ſuprà) Mundíque Polos duxerunt. Capitur à Meridiano, menſura elevationis Poli ſuprà Horizontem. Eſt autem duplex **Horizon.** *Horizon*, *Rationalis* & *Senſibilis*. Rationalis cœlum præcisè dividit in duo Hemiſphæria. Senſibilis eſt finitor, ſeu terminator viſûs, ibi, ubi ſtas, & unde proſpectans, cœli terræque confinia vides; quibus ſuperius *Hemiſphærium* ab inferiore diſcernitur. Et hæc de Aſtronomia, prout eſt Species.

Jam ad *Theoriam Planetarum*, & quarumvis ſtellarum elibremur; ubi notes obiter *aſtérem* & *ſtellam* idem eſſe apud Grammaticos; *Aſtrum* verò & *Sidus* collectionem eſſe ſtellarum, vel ſignum è ſtellis coactum, ut Leo, Libra, &c. quandóque tamen pro eodem ſumi. *Planetæ* quidem nomen habent ab erran-

rando, unde & errores & erratica Sidera dicuntur, qui, præter motum Primi Mobilis ab Ortu in Occasum, peculiarem quandam & contrariam habent conversionem. Stellæ *Fixæ*, etsi & ipsæ moventur, quoad situm tamen & distantiam à se invicem, & comparatione terræ, variantur nunquam.

Stellæ ab Astronomis solô oculorum usu (alius est Telescopii, seu Tubi Optici) deprehensæ, sunt 1022, juxta Veteres, (Recentiorum enim numerant alii 1225. in 50. Constellationes divisas. Alii cum Keplero 1392. in 62. Asteriscos distinctas. Alii 1709 in 60. figuras discriminatas. Diversitatis ratio sumitur ex diversis Climatibus. 2. quia Antiquis non cognita pars Australis. 3. hieme, serenis noctibus plures apparent, quam æstate. 4. ob majus, minúsve oculorum acumẽ) quoties nimirum ille Bauhusii nostri versus, in laudem Virginis Matris concinnatus, iisdem verbis & metrô mutari potest;

Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sidera cælo.

Stellæ distributæ sunt in *Constellationes* seu *Asteriscos* aut constellatas imagines 48, situ suô certam figuram referentes. Ex his præcipuæ sunt signa Zodiaci, de quibus paullò antè. Cætera extra Zodiacum sparsæ Constellationes sunt partim Boreales, quæ scilicet in Septentrionem; partim Australes, quæ à Signiferi fascia in Meridiem recedunt. *Boreales* sunt XXI, nempe Ursa, seu Arctos minor, seu plaustrum minus, in cujus cauda stella polaris seu cynosúra. 2. Ursa major (Párrhasis, Septentrio, Hélice, Arctúrus.) 3. Draco (Hesperidum custos.) 4. Cepheus. 5. Boótes (Arctóphylax, custos Erimanthidos Ursæ, Arctúrus minor.) 6. Corona Borea (Gnosia, Ariadne.) 7. Hercules seu Ixion. 8. Lyra (Apollinis, Aríonis, Orphei, testudo mari-

Numerus stellarum.

Constellationes Boreales.

marina.) 9. Cygnus (Ledæus Olor.) 10. Cassiopéa. 11. Perseus. 12. Auriga (Erichtonius, Heniochus, Bellérophon) 13. Serpentarius, (Ophiúchus, Anguitenens.) 14. Serpens (Æsculapii vel Laocoontis. 15. Sagitta Herculis. 16. Aquila (Jovis satelles, raptrix Ganymédis.) 17. Delphínus. 18. Equuleus vel Equiculus. 19. Pégasus (alatus equus, Gorgoneus, Meduséus. 20. Andrómeda. 21. Triangulum (tricuspis deltóton.)

Constellationes Australes. *Australes* à Veteribus observatæ sunt XV. 1. Cetus. 2. Erídanus. 3. Oríon. 4. Lepus. 5. Canis major (Sirius) 6 Canis minor (canicula, Procyon,) 7. Navis (*Jasónis*, Argus.) 8. Hydra. 9. Crater (poculum Herculis vel Apollinis.) 10. Corvus. 11. Centaurus, (Chiron) 12. Lupus (bestia Centauri.) 13. Ara, (thuribulum.) 14. Corona Australis. 15. Piscis Notius seu Austrinus.

Constellationes recentius observatæ. His ex *Recentiorum* Astronomorum & Nautarum observationibus adjungendæ XIV. aliæ Australium stellarum *imagines*. 1. Columba Noë. 2. Dorado (Xiphias, vel piscis aureus seu aurata.) 3. Hirundo marina (piscis volans.) 4. Chamæleon. 5. Musca vel Apis Indica. 6. Crux. 7. Triangulum Australe. 8. Avis Paradisi. 9. Hydrus polaris. 10. Pavo. 11. Indus (homo Indianus, sagittifer.) 12. Pica Brassilica. 13. Phœnicópterus (quibusdam grus) 14. Phœnix. Adeóque sunt universim censtellationes LXII adnumerandô *signa Zódiaci*.

Signa Zodiaci. E quibus *Aries* (portitor Helles, Phryxi vector, continens stellas 19.) 2. *Taurus*, habens stellas 44. inter quas Plejades, (alio nomine Io sive Isis. 3. *Gemini*, (stellas 31. Castor & Pollux, Tyndaridæ) 4. *Cancer*, habens stellas 28. (ástacus, cámmarus.) 5. *Leo*, (stellarum 39. Cleonæus, nemeæus.) 6. *Virgo*, (stellarum 40. Astræa, Erígone, Themis.) 7. *Libra*,

bra, (ſtell. 15.) 8. *Scorpio*, (ſeu Scorpius, ſtell. 27.) 9. *Sagittarius*, (ſtell. 32. Arcitenens, Chiron, Philirides.) 10. *Capricornus*, (ſtell. 27. Neptunia proles, æquoris hircus) 11. *Aquarius*. (ſtell. 33. Amphora, Hydrochous, Pincerna Jovis, Ganymédes) 12. *Pisces*, (ſtell. 35.)

Mensurantur multipliciter. 1. *Opticè* per tubos, dioptras, radios. 2. *Geometricè* per lineas, angulos, figuras. 3. *Arithmeticè* per calculationes, logismos, & logarithmos. 4. *Mechanicè* per diverſi generis inſtrumenta, & machinas, videlicet *Quadrantes*, *Sextantes*, *Armillas*, *regulas Ptolemaicas*, *Astrolabia*, *Sphæras* &c. *Menſuratio ſtellarum.*

Ratione *magnitudinis*, dicuntur eſſe *Primæ*, quæ terram centies & ampliùs excedunt. *Secundæ* magnitudinis, quæ octogeſies ſepties. *Tertiæ*, quæ ſeptuageſies bis. *Quartæ*, quæ quinquagies quater. *Quintæ*, quæ trecies ſemel. *Sextæ*, quæ decies octies. Tycho Brahe, novis uſus inſtrumentis, ait, à ſtellis *primi Ordinis* terram exſuperari centies circiter. *Secundi*, vigeſies octies. *Tertii*, undecies. *Quarti*, ſexies. *Quinti*, paullò plus, quàm ſemel. *Sexti*, ter minores eſſe terrâ. *Nebuloſæ* & obſcuræ appellantur ſtellulæ minutæ, & cumulatim per cœlum ſparſæ, nobis vix aſpectabiles. *Stellarum magnitudines.*

Moventur motu quadruplici. 1. Motu *raptûs*, quô intra 24. horas cum *primo mobili*, provolvuntur in modum ſpiræ ab Ortu in Occaſum. 2. *Librationis*, à Septentrione in Auſtrum & viciſſim annorum 3431. 3. *Librationis* ab Ortu in Occaſum, & vice versâ annorum 1715. 4. *Motu propriò*, quem ſtellæ fixæ ab Occaſu in Ortum tenent, annis 25798. Quibus aliqui annum *Platonicum* circumſcribunt; alii paullo parciùs calculum ſubducunt. Probatio diverſitatis motuum deſumitur ex eo, quòd Pla- *Motus ſtellarum.*

netæ

netæ non eundem situm positúmque servent ad stellas fixas; deinde non eodem semper locô oriantur & occidant; præterea, modò ad Austrum, modò ad Boream declinent.

Ortus & occasus stellarum. *Oriuntur* autem Stellæ, *occidúntque* tripliciter; Absolutè, Poëticè, Astronomicè. *Absolutè* quidem, cùm supra Horizontem emergunt, demergúntque. *Poëticè* tripliciter; vel enim primò *Cosmicè*, quando unà cum Sole supra Horizontem ascendunt, vel descendunt infra eundem, dum Sol in opposito exoritur. 2. *Chronicè* vel *achronicè*, (aut acronicè) cum aut surgunt obeunte Sole, aut unà cum Sole occiduo deprimuntur. 3. *Heliacè*, quando è radiis Solis emergunt in conspectum; non enim possunt stellæ simul & Sol conspici (excipe Venerem, Jovem; & Lunam;) *occidunt*, cùm ad Solis splendorem ex oculis eripiuntur. Denique *Astronomicus* stellarum exortus & occasus, est signorum Zodiaci ascensus vel descensus cum Æquatore collatus ratione arcûs seu portionis in illo supra Horizontem elevatæ.

Ordo Planetarum his versibus continetur:

Saturnus Prior est, hinc Jupiter: inde Gradivus,
Post sequitur Phœbus: Cypria quinta Venus.
Mercurius sextus; verùm infima & ultima Luna est.

Brevius istô:

♄ ♂ ☽ ♀ ☉ ♃ ☿
Saturnus, Mars, Luna, Venus, Sol, Jupiter, Hermes.

Græcè:

Ξεῦς, ἄρης, παφίη, μήνη, κρόνος, ἥλιος, ἑρμῆς.

Observationes Planetarum aliarúmque stellarum dicuntur *parallaxes* seu diversi secundùm situm aspectus; & *phænomena*; seu vera, seu apparentia.

Sicut

Sicut *Stellæ Fixæ*; & cum his *Sol* & *Luna* girationem suam absolvunt circa *terram*, tanquam suum centrum; & Sol quidem 365 diebus, horis 5, minutis 49: Luna verò diebus 27, horis 8: Ita reliqui quinque *Planetæ*, variis giris & circulis (nimirum *Concentricis* & *Excentricis*, de quibus in Geometria) & *Epicyclis* (qui sunt orbiculi alteri cuidam Orbi inserti, & ab eo circumlati) *circumvolvuntur* circa *Solem*, quem ambit Orbe minimô *Mercurius*, diebus 59. rotationem suam percurrens: *Venus*; ferè duplô majore circulô; sed annuô itidem spatio: *Mars*, ampliore adhuc ambitu; singulis ferè biennis permetitur spatium suum. *Jupiter*, cum quatuor suis comitibus seu satellitibus; Solem comitatur, cursúmque duodecim annis absolvit: *Saturnus*, supremam, inter Planetas Solem circumeuntes, suo cum satellitio provinciam nactus, novem & viginti annis circumvolutionem peragit; qui omnes vel sunt *Apogæi*: (quando in revolutione sua altissimi eminent supra verticem nostrum; Arabibus *Aux* dicitur, Latinis *summa absis*:) vel *Perigæi*: (quando minimam à terra sortiuntur distantiam; aliàs Oppositum *Augis*, seu *absis ima*:) *Stationarii* vocantur, quando è superiore *Cycli* parte per convexam ejus superficiem descendunt: *Retrógradi*, cùm contra signorum seriem moveri videntur, quod fit in inferiore parte epicycli: *Directi*; quando secundùm signorum seriem procedunt Sed hæc subtiliori speculationi relinquamus.

Stellarum Fixarum, itemq; Solis & Lunæ circa terram circumvolutio.

Planetarum giratio circa Solem.

Apogæi Planetæ.

Perigæi.

Stationarii.

Retrógradi.

Calculandô motus Planetarum, conficiuntur *Ephemerides* in futurum: id est, consignationes ad horam meridianam singulorum dierum anni, ubi quisque Planeta futurus sit; & quô aspectu ad invicem: Qui est quintuplex. Est enim inter *Planetas* alii *Conjunctio* in eodem signo & gradu Zodiaci, ejusque nota

Planetarum diversæ conjunctiones.

nota est ☌; aut *Sextilis* sive Sexangularis aspectus, seu distantia per duo signa sive 60 gradus Zodiaci, ⚹ aut *Quadratus* seu Quadrangularis, seu Quadratura □, per tria signa Zodiaci, seu quartam ejus partem, sive 90 gradus. Aut *Trigónus* △ seu Triangularis, per quatuor signa, seu gradus 120, aut tertiam Zodiaci partem. Aut est Oppositio ☍, per *sex Signa* (sive 180 gradus) inter se disjuncta. Vulgaris signorum Zodiaci in Fastis expressio, significat numerum graduum, quem Luna in illo signo attigit; idque circa horam meridianam, juxta RR. Astronomorum calculationem.

Eclipsi Solaris. Imprimis verò consignantur Ephemeridibus (vulgò *Calendariis*) eclipses luminarium: Solis quidem, cùm inter illum & nos Luna intercurrit directè, illúmque obnúbit opáco suô corpore, simúlque nos obumbrat: quæ interpositio, cùm per diametrum inter utrúmque obtingat, non contingit nisi in novilunio, quia tunc Luna est infra Solem posita. *Lunaris.* Luna verò deficit in Plenilunio, quando opposita Soli obnubilatur, incurrens in umbram terræ: quod ut ne accidat quot mensibus, facit exspatiatio Lunæ extra viam Solis. Ubi nota, in eclipsi sua Lunam privari lumine, sed non Solem, cùm hic sit fons lucis, quam derivat in Lunam & omnes stellas; neque putes eidem Lunæ, propter variationes menstruas, *lumen* suum vel *accrescere* vel *decrescere*, cùm illius Hemisphærium seu dimidius Globus semper à Sole illuminetur. *Lunæ nihil acrescit vel decrescit luminis.* Mutatur verò in singulas horas propter assiduam circa terram motionem, ita ut lumen illud mutuatitium semper per Globum obambulet, nobis tamen non perinde semper appareat & conspiciatur, propterea quòd terram versùs illa pars Globi non vergat. Sic in *Novilunio* dimidius Lunæ orbis illustratus, Soli obvertitur; in *Plenilunio* dimidiam

orbis

orbis sui partem terræ ostendit, qui tamen plenus, ratione obtutûs nostri videtur.

Cæterùm apparet *Sidus Lunare* crescere & senescere; modo curvari in cornua: modò æquâ proportione dividi: modò orbe plenô lucere, prout variô ad Solem aspectu variè illustratur; videlicet ubi congressum cum Sole iniit, quartâ post die, (vulgus *primam quadram* vocat) figuram refert corniculatam seu falcatam, tum ad septimum usque diem augescens, mediô orbe secta conspicitur (vulgò *quadra secunda*;) deinde paullatim circa undecimum diem fit oppositioni vicinior, & in rotundum circinatur (vulgo *tertia quadra*;) ac decimô quartô die, cùm ex diametro, seu è regione adversa, Soli opposita est, receptô quoquoversùm splendore, *plena* fit; inde senescens *decrementum* init, ac tandem ad easdem vices redit; in *Synodo* sua seu *Conjunctione* cum Sole, directè subjecta est centro Solari, ideóque non apparet nobis, vocatúrque *novilunium*, seu Luna *silens*, Græcè *νεομηνία*; denique in oppositu Solis est *plenilunium* (vulgò *quarta quadra*;) item Luna *pernox*; id est, totâ nocte supra terram, totâ die infra eam lucens, ita ut Sol tunc in Occasu, Luna in Ortu cernatur, tempus ab una conjunctione ad alteram, dierum est ferè 30. *Variationes Lunæ.*

Sol est Planetarum medius, maximus & primarius, lucis & caloris origo; quô nihil in hoc aspectabili mundo, vel ad speciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundius: vitalem ac salutarem vim stirpibus & animantibus communicans: vices temporum, annúmque novô semper flore redeuntem, ex usu naturæ temperans, ejúsque partes ita dividens, ut inter se non secùs atque in choro nectantur: cujus efficacia & potestas motus reliquorum luminum constitutâ dimensione *Solis effectus.*

 mo-

moderatur: qui longè latéque diffusô ſplendore ſupera omnia & infera colluſtrat; cujus influxus in abditiſſimos usque receſſus penetrat, terræ viſcera irrórat, & aurum ac gemmas progignit, &c. Habet is tamen in ſe maculas; quæ an flammulæ ſint albicantes, ab eo ebullientes, an corpora quædam opáca, inter aſpectum noſtrum & ſolarem diſcum intercurrentia, quis explicet ſatis?

Lunæ effectus. Sed nunc ad Aſtrologiam ſeu explicationem virium ſideralium Luminum. *Luna*, Solis æmula, noctis decus, impulſu ſuô æſtus marinos ultro citróque recíprocat: acceſſu corpora implet, receſſu inánit: ſanguinem animalium (præſertim hominis) auget, & minuit: frondes, pabula, ſtirpes variat: oſtreæ, conchilia ſeu conchæ cum ea pariter incrementa, pariter decrementa accipiunt: formicæ, nonâ ab ejus coitu die, è latebris non exeunt, interluniô quieſcunt, pleniluniô etiam de nocte in opus incumbunt. Eſt ipſa quoque maculata, non à corporum inter nos & ipſam interpoſitione: non à montibus, ſilvis, aut vallibus è Luna ceu ſpeculis, ad nos reflexis: non à terreno humore (ut vult *Plin. lib. 2. Nat. Hiſt. c. 6.*) ab ipſa attracto: minimè verò à collibus, montibus, & vallibus Lunæ ipſi inſitis, (ut ſomniârunt Anaxagoras, Democritus, & alii, etiam hodie) ſed à partibus illius rarioribus, minúsque lumini inhibendo & retinendo aptis; aut certè à partibus quibusdam eminentioribus, & quibusdam depreſſioribus in ea.

Planetarum vires. Aſtrologis, *Planetarum* aliqui appellantur *Benefici*, quòd temperatè agant calefaciendô aut humectandô, ut Jupiter, Venus, Luna; alii *Malefici*, quòd immoderatè exiccent, aut frigeſaciant; ut Saturnus & Mars: quidam *Medii*, nunc benigni, nunc maligni, prout ſe aliis adjungunt, cum bonis boni,

bŏni, cum malis mali. Marti est aspectus igneus, & flavam concitat bilem : Saturno candidus, & melancholiam ciet : Lunæ blandus, & pituitæ incremento est : Soli, cùm oritur, ardens, postea radians ; & Jovi clarus ; dominantur sanguini. Infantiæ præest Luna & argento : Pueritiæ Mercurius & argento vivo : Adolescentiæ Venus, & æri : Juventuti Sol & auro : Ætati viridi Mars, & ferro ac chalybi : Senili Jupiter, & stanno ac electro : decrepitæ Saturnus, & plumbo.

Planetarum Domus.

Planetarum Domus vocantur XII. signa Zodiaci, in quibus quilibet Planeta existens, virtutem suam in hæc inferiora exercet ; v. g. Saturni Domus est Capricornus & Aquarius : Jovis Sagittarius & Pisces : Martis Aries & Scorpius : Solis Leo : Veneris Taurus & Libra : Mercurii Gemini & Virgo : Lunæ Cancer. Opposita per diametrum signa, sunt *exilia* Planetarum ; *Exaltationes* verò, cùm in eo sunt loco, ubi efficacius vim suam exerunt. Harum Domorum & Mansionum alia quoque secundum *Horoscopum* explicatio est, relinquenda Astrophilis meliùs feriatis, qui multa pronuntiant de effectibus signorum Zodiaci in regiones iis subjectas; variósque constituunt ex Planetis præsides, in naturam & negotia hominum.

Cœli num liquidi, an solidi.

Inter Astronomos dudum acerrima fervet disputatio de constitutione cœlorum : an illi sint corpora *solida* & dura : quibus infixæ stellæ, sicut capitati in lacunari clavi, circumvertantur : an *fluida* & liquida, ita ut in illis moveantur sidera, veluti pisces in mari. An Sphæræ & Circuli, quos diximus, vocari Concentricos, Excentricos, Epícyclos, Planetam quíque suum deferentes, sint reipsâ compacti è materia cœlesti : an imaginarii tantùm & mente picti. Rursum an tantùm *tres* sint cœli, (seu

Cœlorum orbes.

(seu *orbes cœlestes*,) quorum primum sit *aërium*, quod interjicitur inter ultimam superficiem terræ, & concavitatem Lunæ; alterum, sidereum, Planetas continens, & stellas omnes fixas; tertium, *empyrium*, Beatorum domicilium; an verò sint *duodecim*, hoc modô; ut in medio sit *globus* ex aqua & terra compositus; deinde triplex *aëris regio*; postmodum *ignis* sub cóncavo Lunæ; postea *cæli* Planetarum *septem* cum suis Excentricis & Epícyclis; inde *Sphæra octava* sive firmamentum, stellis fixis insignitum; exinde *nona*, quæ inæquali librationis motu ab Ortu in Occasum tendat, & vicissim; postea *decima*, quæ à Septentrione in Austrum, & è contrario ferat sidera. Demum *undecima*, seu *Primum Mobile*, quo cum motu *rapidus*, omnes inferiores orbes 24 horarum spatio ab Ortu in Occasum rapiantur; denique cœlum empyrium. Alii alia systemata, hypotheses, & coordinationes orbium inter se cœlestium statuunt, phœnomenorum & parallaxium diversitate inducti; inter quas est observatus circuitus Veneris & Mercurii circa Solem: motus epicyclares satellitum Jovialium circa Jovem, Saturnalium circa Saturnum; Stellarum Solarium & Cometarum circa Solem, aliáque complura, quibuscum vix antiqua illa, cœlorum soliditas sine penetratione & perruptione subsistere potest: ideò recentiores Astronomi rem liquidissimè se explicare putant, si, paucioribus contenti cœlis, siderum volutiones & revolutiones (strictiores) per fluida illa & tenuia ætheris spatia expediant; nec desunt plurimi, qui cœlestes Firmamento aquas circumfundant.

Desiderius. Superi! quò me ducis, quò rapis? Videor inter astra ambulare. *Mercurialis*. Miraberis amplius, si audieris sideralium orbium & luminum incredibiles distantias, magnitudines, cursus.

Terra,

Terra, quæ comparatione cœli *punctum* æstimatur, continet in se secundùm Mathematicos milliaria Germanica, quorum quodlibet duas requirit horas, 5400, hoc est, quinquies mille, quadringenta. Quod colligunt Cosmographi ex eo, quia gradus unus cœlestis facit in terra milliar. Germ. XV. ergo 360 gradus constituent milliar. 5400. Diameter terræ milliarium est 1718, hoc est, mille, septingentorum, octodecim. *Luna*, stellarum omnium, quæ terram integrô circulô ambiunt, tardissima, *quotidie* cursu suô peragit milliar. Germ. 313543. nempe, trecenta millia, & insuper tredecim millia, quingenta, quadraginta tria: quia spatiô 24 horarum in sua Sphæra perambulat gradus 348. *Uná horá* emetitur mill. Germ. 13064, hoc est, decies ter mille, sexaginta quatuor. *Sol* verò inter suos cœlivagos concursores, nec tardissimus, nec velocissimus, *uná die* percurrit mill. Germ. 6199303, id est, sexies millies mille & centies mille, nonaginta novem millia, trecenta tria; quia 24 horis emetitur circuli sui gradus 369. *Uná horá* permeat mill. Germ. 258304, ducenta millia, quinquaginta octo millia, trecenta quatuor. Et hæc juxta calculum P. Petri Udri, p. m. Professoris mei, in Thesibus typô impressis 1630. de Stellarum Theoria. At juxta Cornelium à Lapide in cap. 1. Gen. Sol *uná horá* percurrit unum millionem, & centum, quadraginta millia leucarum, quæ sunt milliaria horaria. Juxta Henric. Engelgrave, ex computatione Tychonis Brahe, percurrit *uná horá* milliaria Belgica, seu horaria, quingenta octo millia, & octingenta milliaria, id est, 508800. ídque circa æquinoctium, quô tempore, juxta eundem, distat à terræ centro 1396100, hoc est, unô millione, trecentis, nonaginta sex millibus & centum leucis

Terræ magnitudo.

Solis celeritas.

Belg. *Unius minuti spatiô* conficit milliaria Belg 8480. Tom.I. Conc.Dom. infra Nativit. Ratio hujus supputationis ducitur ex prædicta Solis à centro mundi distantia, quæ tempore æquinoctiorum est mediocris, continétque semidiametros terræ, juxta Tychonem, 1180. quare si diameter terræ continet milliaria horaria minimùm 1214, consequitur inde, quod de distantia & cursu positum est. Sol ergo cùm decem lineis seu horis recessit in horologio Achaz, confecit recedendô quinque milliones, octingenta octo millia Belgicorum milliarium. Ibidem.

Stellarum Fixarum rapiditas. Jam Stella aliqua *Fixa* sub Æquatore decurrit mill. Germ. 4504761, videlicet quater millies mille, quingenta millia, quatuor millia, septingenta, sexaginta, unum. *Unô quadrante* horæ mill. German. 1126190, millies mille, centena, & viginti sex millia, centum, nonaginta. *Unô minutô quadrantis* (hoc est, tantillô spatiô, quô recitari potest salutatio Angelica) peragrat mill. Germ. 18770, decies octies mille, septingenta, septuaginta. Momento denique (quô quis vel unicum pronunciare verbulum queat) absolvit mill. Germ. 625, sexcenta, viginti quinque.

Magnitudines siderum. *Sol* major est totâ terrâ, centies, sexagies. *Saturnus* juxta *Clavium* in Sphæra, nonagies semel; juxta *Tychonem Brahe*, vicies bis. *Jupiter* terram magnitudine superat, juxta eundem, decies quater. Secundùm Clavium & alios nonagies quinquies. *Mars* terram magnitudine excedit semel. Contrà, *Luna* tricies novies minor est, quàm terra. *Venus* à terrestri Globo superatur, juxta Tychon. sexies: juxta Clavium septuagies ter. Et *Mercurius* ducenties; decies novies. At juxta Calculationem Brahe, novis instrumentis utentis ad parallaxes exquisitiùs indagandas, excedi-

ceditur à terra tantùm decies novies. Hinc æstimes siderei domicilii amplitudinem & vastitatem, cùm, juxta memoratum Christoph. Clavium, in sola Firmamenti superficie concava collocari possint primi ordinis stellæ, 71209600, septuagies semel millies mille, ducenties, novies mille, sexcentæ.

Jam quod ad distantiam attinet, teste eodem Claviô, in Sphæram Joannis de Sacrobosco c. 1. *A terra* ad *Lunam* sunt milliaria Germ. 55183. quinquaginta quinque millia, centum, octoginta tria. A terra ad *Solem* 964361, nongenta millia, sexaginta quatuor millia, trecenta, sexaginta unum. A terra ad *Firmamentum* mill. 38893500, tricies octies millena millia, octingenta, nonaginta tria millia, quingenta milliaria. Juxta Henric. Engelgrav. distantia illa conplectitur milliaria horaria seu Belgica 17360986, id est, 17 milliones, trecenta sexaginta millia, nongenta, octoginta sex. Tom. 1. Dom. Septuages. *Diameter* Solis continet mill. Germ. 9702, novem millia, septingenta duo. *Perimeter* seu ambitus mill. 30743, triginta millia, septingenta, quadraginta tria. Cùm *Apogæus*, hoc est, in æstate, à nobis remotissimus est, distat à terra mill. Germ. 1017322, centies, decies septies millenis trecentis, viginti duobus. Cum verò in hieme *Perigæus* seu propinquissimus est, distat mill. Germ. 946917, nongentis, quadraginta sex millibus, nongentis, septendecim. Adeóque tempore brumali nobis est propinquior quàm æstivô, mill. Germ. 70405, septuaginta millibus, quadringentis, quinque, ex supputatione P. Udri.

Distantia siderum à terra.

Desiderius In vertiginem me cum hac corporum cœlestium vastitate, distantia, circumvolutio-

ne circumagis. *Mercurialis.* Mirum, ni balsamum affricem naribus; confide, mox devolabimus ex alto, ubi hoc per modum parergi addidero. *Lapis* si molaris inciperet cadere à convexo firmamenti, terram versùs, opus haberet annis nonaginta, humum ut attingeret, etsi singulis horis descenderet ad 200 milliaria. Unde Vulcanus *Iliad.* 1. valdè aberrat, unâ dum die se de cœlo decidisse concionatur, quanquam non desunt Recentiores, qui hoc ipsum fieri potuisse contendunt. Nos hinc ad Computationem Fastorum properamus. Pro clausula hujus capitis observa, quæ sint *horarum* per universum Orbem *discrimina.* *Desiderius.* Qualia? Quæso te. *Mercurialis.* Nobis Germanis manè circa horam v. g. quintam surgentibus, eodem tempore cubitum eunt Mexicani: altùm verò dormiunt universim Americani meridionales circa idem tempus: At prandent Indi Orientales: sed Æthiopes, Ægyptii, Arabes, Persæ, Medi, Moscovitæ, Tartari tum laborant ante prandium: Japones verò, & Orientales Chinenses, & qui in Insulis Philippinis, opus exercent post prandium. Nec est ulla hora totius diei naturalis, (de quo cap. seq.) quâ non in aliqua Orbis parte Sacerdotes Societatis JESU, (ut de aliis nihil dicam) operentur ad aram. *Desiderius.* O circulum æternitate dignum!

Horarum per universum Orbem discrimina.

CAPUT

CAPUT LXVII.

Computatio Fastorum & Prognostica.

ULtima pars Astronomiæ, est *Computatio temporum*, vulgò *Computus*, sive Descriptio aut Ordinatio *Anni Politici*, potissimum *Ecclesiastici*. Calendarium verò, (ut vocat Ulpianus) sive Fasti, sunt Digestio mensium, & dierum tam *Astronomicorum*, quàm *Civilium*. De qua re compendiò hoc accipe.

Minutum est pars sexagesima horæ; *hora* est pars diei certô minutorum numerô definita; horæ quarta pars est, *quadrans*. Hora *æqualis*, spatium est temporis, quô pars vigesima quarta Æquatoris supra Horizontem attollitur, respondetque diei naturali. *Inæqualis*, quô plures paucioresve partes ejusdem Æquatoris supra *Finitorem* oriuntur, & convenit diei *Artificiali*; sumunt enim ejusmodi horæ incrementum & decrementum cum ipsis diebus æstivis aut hibernis; *Dies* est tempus certô horarum numerô circumscriptum; qui vel est *Naturalis* scilicet 24 horarum, quô spatiô fit integra Æquinoctialis circuli & Primi Mobilis conversio seu circumvolutio; vel est *Artificialis* seu *Civilis*, tempus ab ortu Solis ad occasum numeratum; & hic dividitur in meridiem & vesperum; cui opponitur nox, quæ est spatium inter occasum Solis & noctis, seu temporis, quô Sol infra Horizontem movetur. *Hora: Dies.*

Dies Naturalis Latinè sic distinguitur. Primò, medium est noctis, unde Romani olim incipiebant & finiebant diem. 2. tempus huic proximum de nocte media. 3. gallicinium. 4. conticinium (scilicet gallorum gallinaceorum conticentium.) 5 tempus antelucanum, sive diluculum. 6. manè, cùm dies *Dies Naturalis.*

dies clarescit. 7. tempus antemeridianum. 8. ipse meridies. 9. tempus pomeridianum. 10. tempestas suprema. 11. vesper sive vespera, 12. crepusculum. 13. fax prima. 14. concubitum noctis. 15. nox intempesta.

Dies Artificialis. *Dies Artificialis* diversa apud alias & alias nationes habet principia. Chaldæi enim & Persæ, hodiéque Græci, ab ortu Solis eum inchoant; Ægyptii & Astronomi à meridie; Romani veteres, & nos Germani, aliíque complures Europæ populi, à media nocte. Itali ab occasu ordiuntur, & terminant per 25 horas. Judæi in duodecim horas tribuebant, utique inæquales; nam prima diei erat, cùm illucesceret; duodecima seu ultima, cùm Sol occumberet; hinc illis hora sexta, quæ nobis duodecima, quos imitati sunt Romani posteriores, quibus dies etiam hiberna in XII. horas distribuebatur, equidem multò breviores quàm æstivæ iis fuerant.

Feriæ. *Statæ* seu *Stativæ* feriæ dicebantur Romanis, quæ certis statísque diebus revertebantur; ut Agonalia, Saturnalia, Lupercalia, Quirinalia, Terminalia, Floralia, &c. Deinde *Conceptivæ*, quæ quotannis á Sacerdotibus concipi solebant in dies commodos: ut feriæ Latinæ, Sementínæ, Paganalia, Compitalia. 3. *Imperativæ*, quas indicebant Imperatores & Consules pro arbitrio. 4. *Nundinæ*, quæ erant nonus quísque dies, quô rustici conveniebant in urbem, rebus domesticis provisuri. *Dies Profesti.* Dies *Profesti* dicebantur, quibus vitæ humanæ utiles ac necessarias artes licebat exercere. Hi erant triplices. 1. *Fasti*, quibus Prætori licebat sine piaculo hæc verba fari: *Do, Dico, Addico*, hoc est, judicia exercere. 2. *Nefasti* quibus non licebat. 3. *Comitiales*, videlicet Comitiis dicati, in quibus cum populo agebatur pro

pro concione; *Intercisi*, erant communes deorum hominúmque, quorum quibusdam horis fas erat, quibusdam non erat, tria illa verba dicere.

Septimana ſpatium eſt temporis, ſeptem dies naturales complectens, Græcis *hebdomas*, nobis etiam hebdomada. Sunt verò etiam annorum hebdomades, ut Danielis, de quibus cap. ſeq. Hebræis dies ſeptimanæ ultimus erat *Sabbathum*, nobis eſt primus: qui & nominatur *feria prima*, unde dies Lunæ, *feria ſecunda* &c. Aſtronomi inſigniunt nominibus ſeptem Planetarum. *Septimana.*

Menſis Uſitatus ſeu *Civilis* eſt certus dierum numerus, quô unaquæque gens duodenas ferè anni partes ſuô quodam inſtitutô obſervat, complectens quatuor, plùs minùs, ſeptimanas. *Menſis Solaris* eſt tempus, quô Sol unam ex XII ſignis Zodiaci peragrat, quod fit triginta plerúmque diebus. *Menſis Lunaris* eſt tempus, quô Luna motu ſuô totum Zodiacum pervagatur; éſtque vel *Periodicus*, tempus ſcilicet, quô Luna redit ad idem Zodiaci punctum, unde digreſſa eſt, conſtátque diebus 27 & horis circiter octo; vel *Synodicus*, ſpatium inter duo novilunia intercedens, diebus nimirum 29, horis 12, minutis 44; vel *Apparationis* ſeu *Illuminationis*, quod eſt intervallum à primo conſpectu Lunæ naſcentis, usque ad terminum Lunæ evaneſcentis. Attici olim menſem Lunarem à Lunæ conjunctione cum Sole: Judæi à prima Lunæ apparitionis deſignabant: *Menſium nomina* ſunt Januarius, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, (olim Quintilis, cùm annum à Martio auſpicarentur Romani, quod poſtea per C. Julium Cæſarem correctum) Auguſtus, (olim Sextilis) September, October, November, December; ex his primus, tertius, ſeptimus, octavus, decimus, duodecimus *Menſis.* *Menſium nomina.*

mus 31 habet dies, reliqui 30, Februarius 28, & annô *bissextili*, 29; nam tum dies unus intercalatur.

Annus Naturalis.

Annus est spatium XII mensium, sic dictus à circuitu temporis. Varro magnos circulos, vocat annos; parvos, annulos; inde annus, quia in modum circuli recurrit. Est verò annus duplex, Naturalis & Civilis. *Naturalis* seu *Astronomicus* vel est Solaris, scilicet intervallum temporis, quô Sol duodecim signa Zodiaci percurrit, quod fit diebus, ut supra memini, 365 & sex ferè horis. Partes ipsius sunt quatuor quadrantes. *Ver* est anni pars prima ab Æquinoctio verno ad Solstitium æstivum, quô tempore Sol ascendit per *Arietem*, *Taurum*, & *Geminos*, signa vernalia. *Æstas*, pars secunda, à Solstitio æstivo ad Æquinoctium autumnale; quô Sol peragrat tria signa æstiva, & descendit per *Cancrum*, *Leonem*, *Virginem*. *Autumnus*, pars tertia, ab Æquinoctio autumnali ad Solstitium hiemale; quô tempore Sol descendit per tria signa autumnalia, *Libram*, *Scorpium* & *Sagittarium*. *Hiems* pars est quarta, à Solstitio brumali ad Æquinoctium vernum; quô tempore Sol ascendit per tria signa brumalia, *Capricornum*, *Aquarium*, *Pisces*. Dicitur etiam annus *Vertens* (Tropicus seu Temporalis, aut Alphonsinus ab Alphonsi Regis tabulis) quia Sol ab Æquinoctio verno vel Solstitio digressus, confectô Zodiacô, ad idem revertitur punctum. Dicitur & *Sidereus*, quando nimirum spatium peragrationis illius, à stella aliqua fixa desumitur. Porrò initium anni (quem *Vernum* vocant, quô Sol ad Æquinoctium vernum inæqualibus spatiis revertitur) duxerunt Romani posteriores à Bruma, (sicut & nos hodie) priores à Vere; Judæi à novilunio ante Æquinoctium vernum; Athenienses ab

ab Æquinoctio, quod sequebatur Solstitium æstivum: Ægyptii, sicut nunc Græci, ab Æquinoctio autumnali.

Annus *Civilis* seu *Politicus* (qui & *Julianus* dictus à Cajo Julio Cæsare, emendatore temporum) nunc *Gregorianus* audit, cùm sit per Gregorium XIII. Pont. ad meliorem rationem redactus, continet dies 365, cum quadrante diei, id est, horis 6, minùs decem *minutis* & 44 *secundis*; cùm ergo in Ecliptica Zodiaci quotannis à Sole emetiendi sint gradus 360, & Sol non conficiat in singulos dies gradum unum, sed tantùm 59 minuta, & secunda 8, & tertia 19, & quarta 37, fit, ut singulis quadrienniis sit annus unus *bissextilis*, constans unô die intercalari sive adjectitiô; ita habeat annus ille dies 366, cujus rei ratio est, quòd sex illæ redundantes horæ, quartô quoque annô diem conficiant *Naturalem*. Præterea cùm sex illas horas computemus tanquam integras, neglectis illis minutiis, seu *minutis*, quæ desunt horis, paullatim crescit error ille, & ex minutiis fiunt horæ, ex horis denique dies; atque ideo contingit, aliquot demum diebus tardiùs ut anni exitum, & consequenter festos dies celebremus. Quæ res cùm animadversa esset Gregorio XIII, Pontif. Max. dies ex Calendario decem exemit, anno Chr. 1582. statuítque, ad evitandum illum errorem, singulis deinceps ut quadringentis annis quartus quísque centesimus (non singulis centesimis ut olim) *bissextilis* esset. Unde perspicies, in quo correctio Calendarii Juliani consistat, per quam est factum, ut Æquinoctium vernum ad XII Cal. Apriles restitueretur.

Annus Civilis. *Calendarium Gregorianum.*

Quæres, quid sit *Intercalatio*, aut quid Intercalare? Respondeo, intercalationem (seu interjectionem aut interpositionem) esse temporis minoris in majus

Intercalatio.

Bisſextus annus. majus inſertionem, quæ vel eſt bisſextilis, cùm dies VI. Cal. Martias bis numeratur, unde & *intercalaris* (ſeu interjectitius & interpoſitius dicitur, quod dixi fieri quartô quoque annô, quô tempore & *Littera Dominicalis* eſt gemina; & annus *biſſextus* aut bisſextilis appellatur. *Epactæ.* Vel eſt intercalatio *Epactarum*, (quibus nomen à verbo ἐπάγω, inveho, importo, intercalo) quia inſeruntur dies undecim, ut annus Lunaris reſpondeat Solari; quem diximus eſſe dierum 365, cùm Lunaris ſit dierum 354. Sed quid eſt annus *Embolismalis* & *Embolismæus*? *Annus Embolismalis.* Idem, quod *inſititius*, nam deducitur nomen ab ἐμβάλλω, interſero, interpono) conſtans videlicet 384. diebus, ſeu menſibus Lunaribus, ſive *lunationibus* tredecim, per inſertionem unius *Embolismi*, ſeu 30 dierum; qui ad 354 dies anni Lunaris communis adduntur.

Cyclus. *Cyclus* generatim eſt quælibet periodus ſeu circumvolutio annorum velut in circulum rediens; ſpeciatim *Cyclus Lunaris* eſt intervallum 19 annorum; toties enim novilunia ad priſtinas ferè ſedes & ad eundem anni Solaris diem revertuntur, quô ratiociniô inducti Chriſtiani circa annum Chr. CCLXXXV. Cycli Lunaris numerum Calendario adſcripſerunt, quem, quia aurô notabatur, numerum appellârunt aureum. *Cyclus Solaris* abſolvitur 28 annorum ſpatiô, quot ſcilicet annis, feriæ ſive dies hebdomadum in priſtinum redeunt ordinem, ſeu, quô literæ Dominicalis (quæ eſt una ex ſeptem primis litteris Alphabeti, diem Dominicum oſtendens) mutatio orbem ſuum relegit.

Indictio. *Indictio* eſt intervallum trium luſtrorum, ſeu XV annorum, quâ revolutione peractâ, iterum reditur ad unitatem, initiúmque ſumit quilibet annus indi-

ctionis in Bullis Pontificiis à Calendis Januariis anni ſequentis; indictio Cæſarea à 24. Septemb. quam Tabularii ſeu Notarii obſervant. Ajunt inſtitutam eſſe ab Auguſto Cæſare poſt triumphum Alexandrinum, tempus ſolvendi tributi indicente; adeò quidem, ut contineret tria luſtra; *primô* luſtrô ſeu quinquenniô pendebatur aurum ad oſtendendam Populi Rom. majeſtatem; *alterô* argentum pro militum ſtipendiis; *tertiô* æs & ferrum pro armorum & pecuniæ præparatione (nam & ærea pecunia erat Romanis.) Alii ejus inſtitutionem ad Theodoſium Magnum; alii ad Conſtantinum referunt; nobis non libet diſceptare.

Hoc potiùs advertas, *Annum Sabbaticum* Hebræis fuiſſe ſeptimum quemque, qui nomen à requie adeptus eſt, quòd eô unô ceſſarent agri ſine aratione, & vineæ ſine putatione. *Jubilæum* dicebant quinquageſimum quemque à jobal, ſeu clangore tubæ, ſonitu ſuô præſentiam anni Jubilæi indicantis. Vocabatur & annus *Remiſſionis*, quòd ſervi manumittebantur: & poſſeſſiones divenditæ ad priſtinos dominos & familias redirent. Nunc *Jubilæus* Romanæ Eccleſiæ annus quiſque eſt vigeſimus quintus, olim erat centeſimus, poſtea quinquageſimus. Annus *Platonicus* (de quo ſuprà quoque) ſecundùm Ciceronem continet noſtros annos 12554; ſecundùm Alphonſum Regem 49000; ſecundùm Ptolomæum 36000; prout variè de Sphæræ omnium tardiſſimæ circumvolutione ſentiunt; nos hæc ſomniis adnumeremus, quibus tota Mundi duratio, ſexies circiter mille annorum circo includitur. De quo paullò pôſt.

Annus Sabbaticus.

Jubilæum.

Annus Platonicus.

Deſiderius. Et quis credat, orbes eſſe ſidereos, quæ, ſtante hoc Mundô, rotationem ſuam non abſolvant? *Mercurialis.* Præſertim cùm in bonum

 mor-

mortalium à ſpiritibus illis cœleſtibus ſeu intelligentiis girentur.

Calendæ. Ad *Diaria* quod attinet, ſeu *Ephimerides*, aut *Calendaria*, nomen hoc accipiunt *à Calendis*, ſeu primô cujusvis menſis die; dictæ ſunt à calando ſeu vocando, (Græcis καλέω) quod Calendis ſingulis convocaretur populus Romanus, pronuntiabatúrque, quot dies à Calendis ſupereſſent ad Nonas; confluere autem Nonarum tempore populus in Urbem ſolebat, ut diſceret, quid eô menſe, in divinis humaníſque rebus, factô opus eſſet; hinc *Nonæ* ſunt dictæ, vel quòd novæ (per matatheſin) initium obſervationis; vel quòd ab ea die ad Idus novem interveniant dies. Computabantur á Romanas ad *Nonas* in Martio, Majo, Julio, & Octobri ſex illi dies, qui Calendas ſequuntur; reliqui menſes quatuor tantùm habebant *Nonas*. *Idus* ſunt quaſi *iduantes* ſeu dividentes menſem; & quidem Martiô, Majô, Juliô & Octobri dies Iduum eſt decimus quintus: in reliquis decimus tertius. Ab Idibus denominationem ſumunt ſeptem dies, ſtatim Nonas inſequentes, Iduúmque diem antecedentes; unde octavô, ſeptimô, ſextô, quintô, quartô, tertiô, (id eſt, tertiô die ante Idus) & pridie Idus vel Iduum dicimus. Idibus elapſis, qui ſequuntur dies, nominantur à Calendis. Sic decimus quartus Januarii eſt XIX. Calendas Februarii vel Februarias, quæ ſolet ita notari XIX. Cal. Feb. & efferri; decimô nonô die ante Calendas Februarii vel Calendarum Februarii, aut hoc modô ſignatur. a. d. XIX. Cal. Feb. id eſt, ad decimum nonum diem ante Calendas Feb. Vel hoc modô: Ex a. d. XIX. Cal. Feb. id eſt, ex ante diem XIX. Cal. Feb. quod idem eſt, ac decimô nonô die ante Cal. Febr. (per ellipſin ſcilicet.) Videris ſubridere ad has minutias.

Age-

Agedum ad superciliosos illos te Astrologos, cognomentô *Judiciarios*, ducam, qui quibus Calendaria vaticiniis, promissis & minis impleant, haud ignorare potes. *Desiderius.* Lippis est & tonsoribus notum, quoties terriculamentis suis tempestatem dent non tam in pelvi, quàm in charta. Videam, & audiam illos, aut te potiùs, illorum locô. *Mercurialis.* Sit ergo.

Ea pars Astronomiæ, quæ de effectibus siderum tractat, quibusdam, ut innui, *Astrologia* dicitur, & cum addito *Prognostica*, *Judiciaria* (vulgò *Planetaria*) *Genethliaca*, *Astromantia*, & *Ars divinatoria* vel divinatrix, quæ cùm tot vanitatibus referta sit, non tam est scientia dicenda, quàm vanissima & damnata deceptio, unde meritò explodun- tur Chaldæi, Genethliaci, Divinatorii, Judiciarii, Prognostici, Conjectores, tanquam nugivendi, qui de futuris contingentibus, fortuitisque casibus & actionibus, quæ ab humana pendent voluntate, certi aliquid ex habitu, forma, positura astrorum, eorúmque per Signiferum mansionibus, peragrationibus, concursibus, intervallis, oppositionibus, eventurum affirmare audent; cùm sidera possint *inclinare*; *cogere* nequaquam possint; quidquid denique fingant de *Horóscopo*, (puncto Nativitatis aut Conceptionis) & constellationum *Characteribus*; quibus ut non negamus prædici posse effectus merè naturales, qui vel *necessariò* fiunt, ut defectiones Solis & Lunæ; vel *probabiliter* contingunt, ut pluviæ, serenitates, tempestates, siccitates, animalium brutorum hominúmque morbi; quanquam etiam in his, teste experientiâ, in suis prænuntiationibus & divinationibus frequenter isti astromantes hallucinantur) sic inficiamur, posse ab illis bellorum pacisque initia, aut eventus, aliáque effecta

Astrologia Judiciaria.

à libertate agentium pendentia; vel Principum magnorum funera, clades & minas (nisi fortè in genere aliquid Cometæ minentur) prædíci; qualiacunque demum fingant siderum *schemata* seu *schematismos*, configurationes, aspectus, &c. unde *prógnoses* & prædivinationes suas fingunt, sæpiúsque scientes & volentes fallunt, nequicquam ambiguô verborum sensu, mendaciis suis fucum illinere conantes, imitatione oraculorum Orci, ex quibus istud Apollinis Delphici:

Ajo Romanos Æacida vincere posse.

Physiognomia. *Physiognômon* (Physicis nixus rationibus) Physiognomica desumit signa ex figura & conformatione corporum ac membrorum, quibuscum magna est sympathia & necessitudo animæ; hinc sanguinei ad lætitiam, biliosi ad iram, pituitosi ad somnolentiam, melancholici ad tristitiam sunt procliviores; hinc à bestiis ad hominem conjectura transfertur, præcipuè ex naso, oculis, labris, & reliqua capitis figuratione. Inanis & infamis est illa Physiognomia, quæ futuros hominis eventus à lineamentis corporis conjectat, speciatim *Chiromantia*, quâ chiromantes (ut vagabundi Ægyptii faciunt) è lineis manuum; *metopóscopus* è frontis; *oneromantes* per onyrocriticam, è somniis liberè contingentia prænuntiare nititur.

Magia. In Auguriis paganorum seu Ethnicorum *Augur* olim vaticinabatur ex avium garritu, volatu, pastu. Et *ariolus* seu *haruspex* ex aruspicina (vel haruspicina) hariolabatur, dissectis & inspectis hostiarum extis; unde extispex, & extispicium.

Rogis damnanda *Magia*, per quam Magus cum malis Geniis colludit: & *Necromantia*, qua necromantes diabolum, sub alicujus demortui persona evocans & adjurans, scrutatur arcana; sive id faciat

per

per pythónes seu arreptitios : sive per signa in terra, aqua, aëre, igne apparentia, quæ dicuntur *geomantia, hydromantia, aeromantia, pyromantia, psychomantia*, (manium evocatio) sive quocunque aliô modô præstigium fiat, per expressum vel implicitum cum cacodæmone pactum.

Sed utique proscriptæ non sunt *præsagitiones* rusticorum, longâ observatione confirmatæ; *pluviam* enim præsagiunt, si viderint canes gramina mordentes, muscas, vespas, pulices acriùs pungentes, fumum per camini gulam spissiùs subvolantem; nubes in cacuminibus montium considentes; boves aërem olfactantes, séque contra pilum lambentes; hirundines summis alis aquam verberantes; ranas insuetùm coaxantes; formicas è cavernulis ova efferentes; corvos & cornices crocitantes; oleum lucernæ scintillans, & fungos se inde tollentes; anseres continuô clamore perstrepentes; mergos anatésque pennas rostrô purgantes: Lunam pallentem, nam *Prognostica rusticorum* *Indicia pluviæ.*

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Sole exoriente nubes se glomerantes, & partim ad Austrum, partim ad Aquilonem tendentes. *Ventorum & tempestatum* indicia illis habentur, si silvæ murmurant: si nubes ante Solem emersum rubescunt: si manè tonat: (nam meridiana tonitrua imbrem afferunt) si fúlicæ in arena collúdunt: si corvi cum singultu se concutiunt: si flamma flexuosè volitat, aut lumina ex se flammas elidunt, aut ignis contectus favillam discutit, scintillam projicit; aut ad ollas sublatas carbo adhæret, aut vehementiùs perlucet. *Ventorum.*

At *Serenitatis* notæ sunt, stellæ & Luna purô nitore micantes: nebulæ è montibus descendentes, aut cœlô cadentes, aut vallibus insidentes: clara & fre- *Serenitatis.*

 quens

quens corvorum crocitatio: flocci vagabundi per aëra: porci non lacerantes jactantésve straminis aut fœni manipulos: Phœbus pridie serenus obiens, postridie clarus nascens: nubes ad Occasum rubescentes. Amant agricolæ humidum Aprilem, frigidiusculum Majum, cujus pluvias imitatur ferè Junius. Quarta Luna qualis, reliqua solet esse talis; proximus à plenilunio dies pluvius plerúmque mensem integrum denotat imbriferum. Autumni serenitatem plerúmque hiems ventosa excipit. Signa fertilitatis habentur, Autumnus siccus & serenus; Ver temperatè calidum; sterilitatis, quercûs fœcunditas, fabarum copia, locustæ, vermes, erúcæ, &c.

Desiderius. Valeant igitur nugáces Fastorum Compositores, & frivoli illi vaticinatores rerum, quasi fataliter mortalibus eventurarum; qui si nuntiant prospera, & fallunt, miser fies frustrà exspectandô; si adversa dicunt & mentiuntur, fies miser frustrà timendô; Sycophantæ confidentiloqui, cœlum cum Icaro petentes, indéque in mendaciorum pelagus delabentes. Nam quomodo didicerunt, è stellarum compositione, notione, mansione & per Signiferum peragratione, hominum consilia, arbitria, varias voluntates, appetitiones, declinationes, fortuitos ac repentinos levissimis in rebus animorum impetus atque recessus? Quid enim? Cur induendis vestibus novis alii sunt dies fausti, alii infausti? cur alii, ducendæ uxori malè ominosi, alii bene? cur tempus aliud aliô felicius & opportunius dandis recipiendísque literis, reposcendo mutuo, rei mercaturæ quærendæ: ad aucupandum, ad equitandum, &c. Offuciæ sunt, nugæ, præstigiæ, fallaciæ.

Mercurialis. Probo hunc calorem, quem scio, unde hauseris. Quid Sol, Luna, & alia naturaliter possint sidera, suprà indicavimus; quare non inviti dabimus

mus hoc fatidicis illis, ut prædicere possint opportunitatem mittendi sanguinis, resecandi capillos, cædendi arbores, sementandi, plantandi, medicinas adhibendi, similiáque horum; quanquam & rusticos observantia longa hæc docuit, quos quia natura non decipit, ita nec experientia fallit. Satis credo de artibus Mathematicis; nunc labor nos vocat & longior & operosior. *Desiderius.* Quis ille? *Mercurialis.* *Chronologiam* ab ipso Mundi exordio ad nostra usque tempora in compendium redigemus. *Desiderius.* Vereor, ne actum agamus. Nam ubi ad manum non sunt *Epitomæ Chronologicæ? Mercurialis.* Probè novi; unô possim recitare spiritu plures, quàm manus utraque contineat digitos; quas non vidi tantùm, sed pervolvi & perlegi. Quid ergo? An, in hoc nostro per Artes omnes & Scientias itinere, Chronologiam scitu jucundissimam non invisemus? *Desiderius.* Librum illa requirit, non pauculas paginas. *Mercurialis.* Non libros tantùm & volumina, sed libellos quoque in libellulum constringemus, pérque ingentia temporum & rerum gestarum spatia *compendiariam* planè, si uspiam alibi, carpemus viam; quin *floridam* etiam; flosculos etenim historicos, unde unde non parvô labore congestos, sub conspectum dabimus. *Desiderius.* Quod abs te ne optare quidem, ne dicam postulare sustinueram, offers ultrò; quas gratias vel in antecessum huic tuæ debeo benevolentiæ? *Mercurialis.* Solvisti grates, si opellam hanc meam consulueris benè; capesse spiritus, & cerebrum firma, ne vel memoriâ vel imaginatione laboret. *Desiderius.* Habeo mecum globum aromaticum, hic vires addit afflatu. *Mercurialis.* Opportune; nam & oculis serviet ad regiones, in quibus res gestæ sunt, quaquaversùm geographicè, ut te suprà docui, adumbrandas. Eamus.

Caput LXVIII.

Chronologia.

HIstoria est simplex rerum narratio, sine comparatione temporis, quô acciderint. *Chronologia* res gestas secundùm seriem temporum proponit; quod si nudè & sine digestione historica id faciat, ad Mathematicum potiùs pertinet per Solis ac Lunæ, & reliquorum Planetarum circuitus & cyclos (de quibus suprà) annorum spatia metientem. Accurati *Chronologi* est, res actas illigare temporibus, & utraque digerere; *Historiographus* insuper exponit consilia rerum gestarum, facit conciones, instruit acies, locorum situs describit, ostenta, clades, mutationes regnorum exponit. *Annales* seu libri Chronici, aut *Chronica* sunt earum rerum, quæ de anno in annum, in historias, servato temporum ordine, rediguntur; *Ephemerides* autem seu *Diaria* (quæ & *Commentarii* seu *Commentaria*) memoriæ mandant, quæ de die in diem contigerunt.

Epocha, & Æra. Distinctiones temporum vocant Chronographi *Epocham* vel *Æram*, terminum videlicet temporis celebrem, unde principium sumunt annos numerandi. Sic nos Christiani *Epocham* seu *Æram* nostram à Christi Servatoris nostri Ortu desumimus: Judæi à Diluvio, ab Abrahami nativitate, ab Exitu ex Ægypto, &c. Græci ab initio Olympiadum; Romani ab Urbe (Roma) Condita; Arabes & Turcæ ordiuntur Hegitam seu Æram suam ab anno Christi 622. Omnes à Mundi principio, quod quia plerisque incompertum, Epochæ sunt excogitatæ.

Antequam verò in rationes temporum accuratiùs

tiùs initas te adducam, ſcias, velim, juxta communem & valdè probabilem perſuaſionem, Mundum ſexies millies annis (qui reſpondent ſex diebus, quibus eſt creatus) duraturum, adeóque tria eſſe tempora memorabilia. Primum Legis *Naturæ*, ab Adamo ad Abrahamum bis mille circiter annorum. Alterum Legis *Moſaicæ*, ab Abrahamo usq; ad Chriſtum, totidem ferè annorum. Tertium *Legis Gratiæ*, à Chriſto usque ad finem Mundi, paris circiter annorum intervalli. Aliqui præcipuam temporum ſupputationem in ſex Mundi ætates referunt, ut *prima* ſit *ætas* ab Adamo ad Noachum; *ſecunda* à Noacho ad Abrahamum; *tertia* ab Abrahamo ad Davidem; *quarta* à Davide ad Captivitatem Judæorum Babylonicam; *quinta* ab hac ad Adventum Chriſti; *ſexta* à Chriſto ad Mundi terminum.

Mirè equidem, id quod tibi non ignorandum, in *Computatione* annorum ab orbis cœptu, usque ad tempus reparatæ Salutis variant Chronici. Sunt, qui, ad Chriſtum Natum, numerant à Mundi exordio annos 3983, ut noſter Theophilus Raynaudus: alii 3947. Henricus Samerius itidem Soc. J. computat 3950 annos, Liberaliùs etiam Baronius, inſignis Scriptor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, annos 5199. Venerabilis Beda 5200. Nauclerus 5201. Regiomontanus 6984. Noſter Pererius 4022. Sed Salianus noſter cum Torniello ſupputat 4052, quibus duobus, cum bona aliorum venia, omnino lubens asſentior. Quare digeſtorum annorum, ſecundùm Chronotaxin Saliani, hanc accipe; ſi priùs memineris quemadmodum menſium intervalla bimeſtria, trimeſtria, quadrimeſtria, &c. ſunt; ita duorum annorum ſpatium vocari biennium, trium triennium ſeu *trieteridem*, quatuor quadriennium ſeu *tetraëteridem*, quinque quinquennium, aliàs *lu-*

Diverſa Computatio à Mundi exordio ad Chriſtum.

strum seu *Olympiadem*. *Ætas* autem seu *Generatio* denotat quodvis humanæ vitæ paullò longius tempus; *Seculum* est annorum centum; *Ævum* longissimum, aut etiam perpetuum. His ita positis septenas Mundi ætates (largiùs accipiendô hoc vocabulum) ita collige:

Septenæ Mundi Ætates.

Prima est quasi *Infantia*, ab Ortu rerum usque ad Diluvium, annorum 1656.

Secunda, *Pueritia*, à Diluvio ad Ortum Abrahæ annorum 382, ad annum Mundi 2039.

Tertia, *Adolescentia*, à Nativitate Abrahæ usque ad Mosem natum, annorum 425, annum Mundi 2464. (exitus Israëlitarum ex Ægypto incidit in annum Mundi 2544.)

Quarta *Juventus*, Judicum Hebræorum, usque ad Samuelem, annorum 476, annum Mundi 2940.

Quinta *Virilis*, Regum Hebræorum, usque ad solutam à Cyro, Persarum Rege, Captivitatem Babylonicam, annorum 577, annum Mundi 3517.

Sexta *Senilis*, Principum & Sacerdotum Hebræorum, usque ad Christum, annorum 536, annum Mundi 4052, Olympiadem 194, annum Urbis Conditæ 751.

Septima *Decrepita*, (novissima tempora) à Partu Virgineo ad finem Mundi.

Octava erat in cœlis aut inferis, eáque perennis, ut omnes nôrunt, qui verum DEUM nôrunt.

Tempus Christi Nati.

Est igitur DEUS *factus* Homo, & à Virgine Matre in hanc lucem *editus*, annô Mundi quater millesimô, quinquagesimô, secundô: Urbis *Romæ conditæ* septingentesimô, quinquagesimô: *Olympiade* centesimâ, nonagesimâ, quartâ: à *Diluvio Noëtico*, bis millesimô, trecentesimô, nonagesimô, septimô: ab *Egressu Israëlis* ex Ægypto, millesimô, quingentesimô, nonô: Ab *ortu Abrahæ* bis millesimô, decimô,

mò, quartô: à *prima Davidis in Regem unctione* millesimô, octogesimô, quartô: *Imperii Augusti Cæsaris* quadragesimô, quartô: *Hebdomade Danielis* sexagesimâ, quintâ. Námque sciendum est, Danielem Prophetam divinô didicisse oraculô, septuaginta fluxuras hebdomadas usque ad Christum occidendum; per quarum hebdomadum singulas cùm singuli annorum septenarii intelligantur; ajunt Scriptores Chronici, annos designari Lunares 490, seu Solares 470, qui, à tempore prædictionis (quæ accidit regnante Artaxerxe Longimanô seu Assverô, septimô Persarum Rege, annô regni ejus 20, Mundi 3590) elapsi, in morte Salvatoris desierunt, quippe in medio septuagesimæ hebdomadis, indignissimâ nece sublati.

His ita constitutis, nunc maximè memorabiles temporum *Epochas* percurramus. Notissimæ sunt, quæ consignantur ex quatuor nominatissimis *Monarchiis* seu Imperiis, quorum primum *Assyriorum* inchoavit annô Mundi 1932, stetit annis 1404, usque ad Assaraddonem, minorem natu Sennacheribi filium, quem cùm Nabuchodonosor Primus seu Merodachus, (fuerunt enim duo alii Nabuchodonosores, Nabolassor videlicet seu Senior, & Nabuchodonosor Magnus) Babylonis Prorex, regno vitâque exuisset, ipse Babylonium Imperium (cui adjecit Assyrium) fundavit annô Mundi 3334. duravit annis 183, desiit in Balthasare, Rege Chaldæorum.

Quatuor Monarchia.

Secundum, *Persarum scilicet*, exorsus est Cyrus, qui, devictô Astyage, Medôrum Rege, potentiâ auctus, etiam Babylonios subegit annô Mundi 3517, substitit annis 208, defecit in Dario Arsani vel Arsétis filio, quem aliqui Codomannum priùs dictum volunt.

Tertio,

Tertiò, *Græcorum*, initium dedit Alexander Macedo, cognomentô Magnus, annô Mundi 3724, perſtitit annis 228. Extinctum in Demetrio & Philippo Gryphi ſeu Grypi filiis, ultimis Seleucidarum (à Seleuco, qui cognominatus Nicánor) Syriæ & Aſiæ Regibus; à quibus regnum devolutum in Tigranem Armenum; inde pervenit ad Romanos annô Mundi 3958.

Quartum, *Romanorum*, orſus eſt Cajus Julius Cæſar A. Mundi 4006. cujus majeſtas lapſu temporum ad Germanos devoluta eſt. Fuerunt autem Cæſares ſeu Imperatores Romani usque ad Carolum Magnum ſeptuaginta tres. A Carolo Magno, qui regnare cœpit A. Chriſti 800, ad Leopoldum Primum, nunc imperantem, omnino quinquaginta, quem etiam numerum prima litera L nominis auguſtiſſimi refert.

Vis jam cognoſcere ordinem & ſeriem illuſtrium quarundam in ampliſſimo hoc Mundi Amphitheatro perſonarum? Oculos animúmque adverte; traducam per proſcenium non eas ſolùm, quæ ad ſacræ paginæ intelligentiam magis faciunt, ſed ex vetere recentioréque hiſtoria aliæ ſuper alias prodibunt, non tam ſpectandæ, quàm in tranſitu numerandæ. *Deſiderius.* Ambulatorio huic ſpectaculo tam avidus inhio, totus ut fieri cupiam oculus. *Mercurialis.* Tu in Traductione hac Scenica (ſive eam Comœdiam, ſive Tragœdiam, ſive Pompam appellare libuerit) plures, quàm Fabula admittere ſoleat, Actus exſpecta. Nam ex Antiquioribus Annalibus novem omnino diverſiſſimarum Perſonarum, & Actionum. Patres ac Ingreſſus producemus, videlicet à Mundi ortu ad Chriſtum Natum. Exinde à Virginis partu ſingula in Scenam ingredientur ſecula, totidem Actibus; unde Breviarium

tu con-

tu conficere poteris tibi Chronologicum, non tam ut discas res in orbe gestas, quàm ut cognitas reducas in memoriam. *Desiderius.* Remove siparium, & Choragium explica. *Mercurialis.* Removeo.

Actus I.

Ab ortu rerum ad Diluvium.

PRincipio procreavit Deus ex nihilo (nullâ materiâ præjacente) cœlum empyrium, terrámque & aquam illi undique circumfusam. In cœlo creavit Angelos (Genios cœlestes) in gratia, quos superbia statim depravavit, móxque insequens vindicta partem maximam in tartarum præcipitavit; inde produxit Mundum sex dierum successione. *Primus* primi anni Mundi dies inchoatus est à vespere: priore parte sui tenebrosum habuit sub cœlo silentium; posteriore condita est lux, (in aquarum abisso circumgirata) fuítque is dies Dominicus. *Secundò* die firmamentum, orbésque cœlestes, sed sine astris; aër quoque & ignis producti sunt. *Tertiò* die, congregatæ unum in locum aquæ, apparente terrâ, & Paradisô terrestri existente. *Quartò* die luminaria constituta in cœlis. *Quintò* ex aquis aves, piscésque educti. *Sextò*, è terra cætera animantia formata; & postmodum homo ipse à Deo ex luto fictus & animatus; tum Eva ex Adami costa efficta. *Septimus* erat Sabbathi, destinatus quieti, manente Adamô in paradiso, & in statu innocentiæ ad dies aliquot. *Decimò tertiò* die Evam seduxit serpens, illa Adamum, peccavit utérque carpendô fructum prohibitum, & deliciosissimô ejectus est hortô.

Ex luctuosis hisce primordiis quæ deinceps calamitates non sunt consecutæ? Cain, (vel Cainus) Adæ

Adæ primogenitus, Impiorum antesignanus, occidit innocentem fratrem Abelem, secumque in scelerum imitationem, omnem progeniem traxit. Aliquot pòst annis, circa an. Mundi 130 à fratricida, urbium omnium prima condita est Enochia. Adamô natus Seth sive Sethus, à quo Enos; ab Enoso Enochus. Cain à Lamecho occisus circa an. Mundi 688. Jubal instrumenta Musica; Tubalcain invenit arma. An. Mundi 930 moritur Adamus; alterô pòst annô Eva. Enochus seu Henóchus vivus hinc translatus est annô Mundi 987. Existunt gigantes, & corporum & scelerum immanitate monstrosi. Construitur Navis prima, (quam S. Scriptura vocat *Arcam*) à Noë seu Noacho; moritur Mathusalem, mortalium omnium annosissimus, scilicet ætatis an. 969. An. Mundi 1656, ante Christum 2397 immisit Deus in ultionem flagitiorum *Cataclysmum* seu Diluvium Universale, perditis aquâ omnibus mortalibus, præter Noachum, uxorem, ac tres filios, Semum, Chamum, Japhetum, eorúmque conjuges, commune exitium, Arcæ beneficiô, evadentes.

Actus II.

A Diluvio ad Abrahamum.

AN. Mundi 1657, ante Christum 2396, à filiis Noë (qui hoc tempore plantavit vineam, & esum carnium introduxit) disseminatæ sunt familiæ gentium: à Semo Asiatici, à Japheto Europæi, à Chamo Africani, & (ut probabile est) Americani. An. Mundi 1909 cœpta ædificari turris Babylonica, inde confusio Linguarum & dispersio gentium. An. Mundi 1932, ante Chr. 2121, factum initium regni Babyloniorum seu Assyriorum per Nem-

Nemrodum seu Belum. An. Mundi 1997 regnat Ninus, qui Ninivem sive condidit, sive instauravit, & idololatriam invexit. An. Mundi 2006 moritur Noëmus, ætatis suæ 950.

Actus III.

Ab Abrahamo ad Mosis ortum.

ANnô Mundi 2039, ante Chr. 2014, natus est Abrahamus, Pater omnium Fidelium, seu rectè de Deo sentientim, certâ in eam professionem notâ adscriptorum. An. 2044 Zoroaster, Rex Bactrianorum, magiâ infamis est. An. 2049 Semiramis regit Assyrios. Conflagrat Pentapolis. Evadit Loth, cujus uxor, respectans incendium, vertitur in salis statuam. An. 2163. immolandus est Isaac, (cujus frater Ismaël ejectus domo) natus ex Abrahamo, Saráque sterili. Ex Isaaco progeniti Esau & Jacob Gemelli an. Mundi 2199. Circa hæc tempora Inachus, primus Argivorum Rex. Abrahami obitus an. Mundi 2213, post annos vitæ 175. Exinde 2258 Diluvium Ogygium. Varia Josephi, qui filius Jacobi, fortuna, & undecim ejus fratrum circa annum 2319. Sparta condita 2338. Jobi certamina 2398. Israëlitæ sub Pharaone Rege in Ægypto serviunt 2451 & seqq.

Actus IV.

Ab ortu Mosis ad Samuelem.

ORitur Moses annô Mundi 2464, ante Chr. 1589. Regnum Athenis condit Cecrops 2498. Diluvium Deucalionis 2530. Areopagus Athenis 2539. Israëlis Exitus ex Ægypto 2544. Exiccatio Maris Rubri & Ægyptiorum submersio. Troja condita 2576. Mosi succedit Josue, divinus

Polior-

Poliorcetes, cujus ad imperium stetit Sol 2584. Circa hæc tempora vixit Cadmus, Græcarum literarum inventor. Clades Benjamitarum 2621. Minos 2650 Ludi Isthmici 2700. Bellerophon, Perseus, Pelops, Niobe, Janus, Amphion, Debóra 2721. Jahel 2741. Midas, Gedeon 2768. Dædalus, Orpheus, Abimelech 2801. Hercules, Argonautæ, Hydra, Minotaurus, Oedipus, Bellum Thebanum. Tyrus condita 2785, & postea Carthago annô 2842. Ludi Olympici instituti Jephthe 2850. Excidium Trojæ 2871. Samson, Heli.

Actus V.

A Samuele ad Imperium Babyloniorum.

SAmuel Judex electus annô Mundi 2940, ante Ch. 1113. Reges Spartæ. Saul, Rex Hebræorum, 2962. David ex pastore Rex 2969. Goliath, Codrus, Rex Atheniensis, 2985. Salomon Rex 3020. Dedicatio templi Solymæi 3030. Roboam, filius Salomonis; hostis ejus Jeroboam; Homerus 3039. Sesostris seu Sesac Rex, ludibrium fortunæ. Abias, filius Roboami, 3077. Asa Rex 3080. Samaria conditur 3110. Achábus & Jezabel 3138. Ochozias, Elias Thesbites, Elisæus, 3139. Josaphatus, Rex Judæ, 3145. Lycurgus, Rex & Legislator Lacedæmonum, 3152. Atalia & Joas 3145. Pyramides Ægyptiæ, Dido, Jonas 3216. Sardanapálus 3235. Caránus, primus Rex Macedoniæ; Hesíodus Poëta 3245. Initium Olympiadum 3278, ante Chr. 775. Teglathphalassar, Assyriorum Rex. Roma condita 3302. ante Chr. 751, Olympiade 7, Achaz, Rex Judæ, 3309. Israëlitici regni finis in Rege Osee. Israëlitarum captivitas 3314. Tobias, Isaias, Sennacherib 3319. Sol regressus in gratiam Ezechiæ Regis 3322.

Actus

Actus VI.

A Babyloniorum Imperio ad Persicum.

NAbuchodonosor, cognomentô Merodachus, evadit, Babyloniorum & Assyriorum Rex ann. Mundi 3334. ante Chr. 719. Numa, Rex Romanorum, 3340. Gyges magus. Manasses 3344. Judith 3346, ante Chr. 707. Messenii bellô subacti 3368. Tullus Hostilius, Rex Rom. 3383. Josias, Rex Judæorum, 3395. Jeremias. Ancus Martius, Rex Rom. 3415. Nabuchodonosor Magnus 3429. Draco Legislator, Arion, Sedecias, Ezechiel, Tarquinius Priscus 3437. U. C. 138. Daniel, Susanna, Stesíchorus Poëta, Sappho Poëtria, Solyma capta 3446. Sedecias perfidus. Finis regni Judæ. Captivitas Babylonica. Nabuchodonosor in bestiam 3464. Solon, Evilmerodach 3472. Septem Sapientes Græciæ 3474. Servius Tullius, Rex Rom. Anacreon Poëta. Phalaris tyrannus, Æsópus, Pisistratus, Abaris magus. Balthasar, Evilmerodachi filius, 3445. Crœsus victus. Pythagoras 3514. Babylon à Cyro, Rege Persarum, capta.

Actus VII.

Ab Imperio Persarum usq; ad Alexandrum.

CYrus fundavit Imperium Persarum An. Mundi 3517. U. C. 116. ante Ch. 536. L. Tarquinius Superbus 3521. Milo Athleta. Cyrus a Tomyri victus 3523. Cambyses ei succedit, & huic Darius Hystaspis, equi hinnitu, ad regnum perveniens. Zopyrus 3534. Consulum Romanorum initium 3545. U. C. 244. Rex Porsenna, Horatius Cocles. Primus Dictator, Titus Largius, 3557. Pugna Marathonia, Cynégirus, Xerxes, 3567. Coriolanus, Píndarus, Sophocles, Euripides, Aristídes, Heródotus;

Poliorcêtes, cujus ad imperium stetit Sol 2584. Circa hæc tempora vixit Cadmus, Græcarum literarum inventor. Clades Benjamitarum 2621. Minos 2650 Ludi Isthmici 2700. Bellerophon, Perseus, Pelops; Niobe, Janus; Amphion, Debóra 2721. Jahel 2741. Midas, Gedeon 2768. Dædalus, Orpheus, Abimelech 2801. Hercules, Argonautæ, Hydra, Minotaurus, Oedipus, Bellum Thebanum. Tyrus condita 2785, & postea Carthago annô 2842. Ludi Olympici instituti Jephthe 2850. Excidium Trojæ 2871. Samson, Heli.

Actus V.

A Samuele ad Imperium Babyloniorum.

SAmuel Judex electus annô Mundi 2940, ante Ch. 1113. Reges Spartæ. Saul, Rex Hebræorum, 2962. David ex pastore Rex 2969. Goliath, Codrus, Rex Atheniensis, 2985. Salomon Rex 3020. Dedicatio templi Solymæi 3030. Roboam, filius Salomonis; hostis ejus Jeroboam; Homerus 3039. Sesostris seu Sesac Rex, ludibrium fortunæ. Abias, filius Roboami, 3077. Asa Rex 3080. Samaria conditur 3110. Achábus & Jezabel 3138. Ochozias, Elias Thesbites, Elisæus, 3139. Josaphatus, Rex Judæ, 3145. Lycurgus, Rex & Legislator Lacedæmonum, 3152. Atalia & Joas 3145. Pyramides Ægyptiæ, Dido, Jonas 3216. Sardanapálus 3235. Caránus, primus Rex Macedoniæ, Hesiodus Poëta 3245. Initium Olympiadum 3278, ante Chr. 775. Teglathphalassar, Assyriorum Rex. Roma condita 3302. ante Chr. 751, Olympiade 7, Achaz, Rex Judæ, 3309. Israëlitici regni finis in Rege Osee. Israëlitarum captivitas 3314. Tobias, Isaias, Sennacherib 3319. Sol regressus in gratiam Ezechiæ Regis 3322.

Actus VI.

A Babyloniorum Imperio ad Persicum.

NAbuchodonosor, cognomentô Merodachus, evadit, Babyloniorum & Assyriorum Rex ann. Mundi 3334. ante Chr. 719. Numa, Rex Romanorum, 3340. Gyges magus. Manasses 3344. Judith 3346, ante Chr. 707. Messenii bellô subacti 3368. Tullus Hostilius, Rex Rom. 3383. Josias, Rex Judæorum, 3395. Jeremias. Ancus Martius, Rex Rom. 3415. Nabuchodonosor Magnus 3429. Draco Legislator, Arion, Sedecias, Ezechiel, Tarquinius Priscus 3437. U. C. 138. Daniel, Susanna, Stesíchorus Poëta, Sappho Poëtria, Solyma capta 3446. Sedecias perfidus. Finis regni Judæ. Captivitas Babylonica. Nabuchodonosor in bestiam 3464. Solon, Evilmerodach 3472. Septem Sapientes Græciæ 3474. Servius Tullius, Rex Rom. Anacreon Poëta. Phalaris tyrannus, Æsópus, Pisistratus, Abaris magus. Balthasar, Evilmerodachi filius, 3445. Crœsus victus. Pythagoras 3514. Babylon à Cyro, Rege Persarum, capta.

Actus VII.

Ab Imperio Persarum usq; ad Alexandrum.

CYrus fundavit Imperium Persarum An. Mundi 3517. U. C. 116. ante Ch. 536. L. Tarquinius Superbus 3521. Milo Athleta. Cyrus a Tomyri victus 3523. Cambyses ei succedit, & huic Darius Hystaspis, equi hinnitu, ad regnum perveniens. Zópyrus 3534. Consulum Romanorum initium 3545. U. C. 244. Rex Porsenna, Horatius Cocles. Primus Dictator, Titus Largius, 3557. Pugna Marathonia, Cynégirus, Xerxes, 3567. Coriolanus, Píndarus, Sophocles, Euripides, Aristídes, Heródotus;

dotus; Salaminia pugna, Thermópylæ, Artemisia. Iterum victi Persæ, duce Mardonió. Fabii trecenti cæsi 3578, U. C. 277. Thucydides, Themistocles, Socrates, Democritus, Pausanias Rex. Artaxerxes Longimanus seu Assverus, Estheris conjunx. Cimon Miltiadis filius. Esdras scriba 3596. Aman 3601. Decemviri Romæ & Leges XII Tabularum 3604, U. C. 303. Celeberrimi pictores Zeuxis, Parrhasius, Timantes; Statuarii Polyclétus & Phidias. Nehemias, restaurator templi Hierosol. 3609. Censores primi Romani 3612. U C. 311. Isocrates; Hippocrates, bellum Peloponnesiacum 3623. natus Plato. Aristophanes, Darius Ochus sive Nothus Assveri successor. Alcibiades 3634. Dionysius Siculus 3648. Euclides, Lysander, dux belli, 3649. Arsaces seu Artaxerxes; Memnon, Rex Persarum, 3650. Cyrus Minor, Xenophon, Agesilaus, triginta tyranni Athenienses; Amnestia prima Tissaphernes. Romani Vejos capiunt 3658. Roma, à Gallis capta, à Camillo servata 3665. Aristoteles Stagiræ natus 3670. Demosthenes, Bœotium bellum 3676. Leuctrica pugna, Epaminondas 3683. Ochus, Rex Persarum. Ludi Scenici Romæ instituti 3690. Marcus Curtius, Manlius Torquatus, Philippus, Rex Macedonum, Alexandri Magni parens. Alexander natus 3698, U. C. 397. bellum Sacrum, bellum Phœnicium, Valerius Corvinus, bellum Samniticum 3711, U. C. 410. Darius Codomanus 3715. Chæronæa pugna 3716.

Actus VIII.

Ab Alexandro ad Perseum.

ANnô Mundi 3718, U. C. 417, ante Chr. 335. Olymp. CXI. Alexander Macedo 21 annorum patri succedit, & annô 3720 in Asiam trajicit. Ejus mors

mors 3730, & ſucceſſores. Agathocles fortunæ filius 3730. Epicurus, Seleucus Nicánor, Seleucidarum origo 3743. U. C. 442. Coloſſus Rhodius 3749. Philadelphi bibliotheca 3770. Septuaginta Interpretes Bibliorum. Bellum Tarentinum 3774. Galli in Græciam irrumpunt, Pyrrhus in Italiam. Primum bellum Punicum 3790, U. C. 486. quod tenuit annos 24 prætextus, defendendi ſocios Mamertinos, cauſſa, Siciliam adjiciendi Romanis, Regulus. Jani templum clauſum 3819. Bellum Gallicum. Punicum bellum ſecundum 3836, U. C. 535, ante Chr 217. Cauſſa illius, Saguntum a Pœnis expugnatum. Hannibal Repetitæ Romanorum clades ad Ticinum, Trebiam, Thraſyménum lacum, Cannas pagum: Capuæ luxuries, Pœnorum pernicies. Fabius Cunctator, Marcellus, Scipio Africanus, Syracuſæ captæ, Archimedes, Plautus, bellum Macedonicum 3854. Heliodorus ſacrilegus; Cato Major ſeu Porcius, Cenſor. Perſeus, Rex Macedonum, in triumphum ductus 3883, ante Chr. 170.

Actus IX.

A Perſeo victo ad Chriſtum Natum.

ANtiochus Epiphanes ſeu illuſtris annô Mundi 3886, ante Chr. 167. Templi Solymæi profanatio: Machabæi, Scipio Æmilianus, Polybius, Lælius, Terentius. Punicum bellum tertium 3605, U. C. 904. ſpecie vindicandi Regis Maſſaniſſæ, ſocii Romanorum. Everſa Carthago 3905. Tryphon 3910. Bellum Achaicum. Corinthi excidium 3908. Numantiæ 3921. Gracchorum ſeditio. Bellum Jugurthinum 3947, U. C. 646. & Cymbricum. Saturninus, turbator Reip. bellum Mithridaticum 3960, ante Chr. 93. bellum ſociale 3963.

bellum Marianum & Syllana proſcriptio 3967. Florent Pompejus, Cicero 3973. bellum Servile & Spartanum 3981. Virgilius natus 3984, U. C. 683. bellum Pyraticum 3687. Catilinæ conjuratio 3991. Pompejus Hieroſolymam capit 3992. bellum Gallicum 3995. Cicero exul. Craſſi clades 4000. Ludi Actiaci. Bellum civile 4005, U C. 704. Annus confuſionis faſtorum. Pompeji cædes 4006. Alexandrinæ bibliothecæ combuſtio. Cæſaris victoriæ in bello Alexandrino, Pontico, Africano. Catoni cædes, poſtea Cæſaris 4010. Interfectores Brutus & Caſſius cum aliis, libertatis vindices. Bienniô pòſt ipſi quoque pereunt in bello Philippenſi. Triumviratus Octavii Auguſti, Lepidi, Antonii. Ciceronis cædes. Octavius vel Octavianus Auguſtus, Cæſar, orditur principatum 4011. ante Chr. 42. florent Virgilius, Horatius, Mecœnas. Bellum Peruſinum 4013. & Siculum. Herodes Aſcalonita, Rex 4014. naſcitur S Anna 4016. Familia Machabæorum extinguitur. Herodis crudelitas 4021. Actiaca pugna, Cleopatræ & Antonii fuga, interitus utriusque. Pantheon ab Agrippa ædificatur, aliáq; magnifica opera 4027. Marcellus. Templum Herodianum 4035. Ortus B. V. 4038. Conceptio Chriſti 4052. Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, & Chriſti JESU A M 4052, U. C. 751.

Nunc vertenda theatri facies, & alia inducenda pompa, quod antequam fiat, quædam priùs ex hiſtoria Judaica obiter relegemus. Fuerunt igitur

Patriarchæ. *Primæ Ætatis Patriarchæ* decem, quorum primus, Adamus, vixit an. 930. Seth, filius ejus, vixit an. 912. Enos vixit an. 905. Cainan 910 Mahaleel 895 Jared, 962. Henoch translatus an. ætatis 365. Mathuſalem vixit an. 969. Lamech 777. Noë ante Diluvium 600.

Secundæ Ætatis Patriarchæ itidem deni. Noë poſt Dilu-

Diluvium vixit an. 350, universim 950. Sem 600. Arphaxad 438. Cainan posterior 360. Sale 433. Heber 464. Phaleg 239. Rehu seu Reu 239. Sarug. 230. Nahor 148. Thare 405.

Tertiæ Ætatis Patriarchæ sunt quoque deni, si Josephum cum undecim fratribus, in unum contrahamus numerum. Abraham vixit an. 175. Isaac 180. Jacob 147. Joseph cum undecim fratribus. Ephraim & Manasses, Josephi filii. Melchisedec, Rex & Sacerdos. Ismaël 137. Esau, pater Idumæorum. Eliphas, &c. Job vixit an. 217. quartus ab Esau.

Pontifices Hebræi fuerunt sexaginta octo, quorum primus Aaron, ultimus Caiphas. E quibus quatuor Azariæ; binomines verò, Achias, seu Achimelech: Joachim seu Eliacim; Jeddoë sive Jaddus. *Pontifices Hebræi.*

Judices Hebræorum fuerunt sedecim; quorum primus Moses, Legislator, vixit annos 120. Josue judicavit populum juxta Salianum annis 17, juxta Bellarm. 26, juxta Henricum Samerium 27. Othoniel judicavit an. 40. Aoth an. 80. Barac & Debóra 40. Gedeon 40. Abimelech juxta Salian. 9. juxta Bellarm & Samerium 3. Thola 23. Jair 22. Hîc Samerius ponit interregnum 18. annorum. Jephthe judicavit annis 6. Abesan 7. Ajalon 10. Abdon 8. Samson 20. Heli, Judex & Pont. 40, juxta Samerium 20. Samuel, juxta Salianum 22, juxta Bellarm. 20, juxta Samerium 32. *Judices Hebræorum.*

Reges Hebræi usque ad captivitatem Babylonicam fuerunt triginta novem. E quibus tres primi Saul, David, Salomon, singuli annis 40, dominati XII Tribubus Israël. Inde facta est regni scissio in Israëlem & Judam A.M. 3060, ante Chr. 995. *Reges Judæ* fuerunt viginti; quorum primus Roboam, insipientissimus Salomonis filius, qui regnavit *Reges Judæ.*

 an-

annis 17. Abia 3. Asa 41. Josaphat 25. Joram 8. Ochozias 1. Athalia, mulier tyrannica, 6. Joas 40 Amasias 29. Osias, sive Azarias, 52. Joathan 16. Achas 16. Ezechias 29. Manasses 55. Amon 2. Josias 31. Joachaz menses 3. Joakim vel Joachim annis 11. Joachimus seu Jechonias menses 3. Sedecias annis 11. Hinc in captivitatem Babylonicam abductus est à Nabuchodonosore, cognomentô Magno, an. Mundi 3446 ante Chr. 607.

Reges Israelis. *Reges Israelis* fuerunt novendecim. E quibus primus Jerobeam regnavit annis 22. Nadab 2. Baasa 24. Ela 2. Zambri 7 diebus. Amri 2 annis. Achab 22. Ochozias 2. Joram 12. Jehu 28. Joachaz 17. Joas 16. Jeroboam juxta Salian. & Bellarm. annis 41, juxta Samerium 52. Zacharias 6 menses. Sellum unô mense. Manahem 10 an. Phaceia 2 an. Phacee 20 an. Osee 9 an. qui expugnatâ Samariâ, sede regiâ; à Salmanassare, Rege Assyriorum, abductus est cum populo in captivitatem trans flumen Euphratem annô M. 3314. ante Chr. 739, annô regni Ezechiæ 6.

Duces Hebraeorum. Post liberationem è captivitate Babylonica, quæ duravit annis 70, *Duces Hebræorum* fuerunt viginti; quorum primus Zorobabel; decimus sextus Judas Macchabæus, gentis suæ & fortitudinis gloria; ultimus Joannes Hircanus, relictis quinque filiis; è quibus Aristobúlus, natu maximus, principatum in regni formam convertit.

Reges post Duces. Post *Duces extiterunt Reges* novem, quorum primus, ut dictum, Aristobúlus. 2 Alexander Jannæus, Aristobúli frater. 3 Alexandra seu Salóme, ejusdem uxor, vidua 4 Hircanus, Alexandri filius natu major, securi percussus ab Antonio Triumviro. 5 Aristobúlus, ejusdem Hircani filius, natu minor. 6. Antigonus, nepos Hircani. In hoc defecit Sceptrum Judææ.

Judææ. 7 Herodes Ascalonita (ab urbe Ascalone, ubi educatus, hoc cognomen adeptus) gente Idumæus, & Magnus dictus; sub quo Christus natus. Qui duos filios ex Mariamne, Hircani filia, susceptos, Aristobulum & Alexandrum, laqueô sustulit; Archelaum regni Hæredem instituit. 8 Archelaus, ex voluntate Cæsaris Augusti, dimidium regni paterni, Judæam & Idumæam, rexit: Antipæ fratri Jordanis & Galilæa cessit: Philippo fratri Ituræa; ita Monarchia in Tetrarchiam abiit. Denique Archelaô relegatô Judæa facta est Provincia Romana. Nonus tamen Rex à Cajo Cæsare creatus, Herodes Agrippa, fœdissimâ tabe periit.

Desiderius. Theatrali prorsus voluptate me implevisti. Nunc spectabimus Secula, in scenam ordine prodeuntia. *Mercurialis.* Annosa illa quidem, sed non æquè grandæva & cana, ut priora: Martióque partim cruore, partim sacrô purpurea. Sequemur autem, inter cæteros Chronologos potissimùm Cardin. Robertum Bellarminum, Jacobum Gualterium, Theophilum Raynaudum, omnes S. J.

Seculum I.

A Christo Nato ad annum C.

P*ontifices Romani* hoc seculô quatuor numerantur. S. Petrus, annis 25. S. Linus 11. S. Cletus 12. & S. Clemens I. 9. Moritur 8 Josephus, Christi Pater Nutritius, 13 Chr. an. obiit necem S. Joannes Bapt. a. 33. Christi Mors, Resurrectio, Ascensio a. 34. Stephanus lapidatur Protomartyr eodem annô. Martyrium S. Jacobi Hierosolymis an. 44. Eodem annô divisio Apostolorum. Deiparæ Mariæ obitus an. 46. ætatis annô, ut creditur, 60, aliqui in annum 72 mortem gloriosam differunt. Joannis Evang. discessus ex hac vita annô Chr. & ætatis 99. juxta

Joannem de Bussieres S. J. in flosculis historiarum, juxta Baronium 101. Persecutiones Ecclesiæ duæ, Neronis an, 66. Domitiani 99. Hæreses XII, quarum prima Simonis Magi. Concilium Apostolicum Hierosolym. de Legalium abrogatione an. 51. Patres, Doctores Ecclesiæ, Scriptores SS. Petrus, Paulus, Jacobus, Judas Thaddæus. Quatuor Evangelistæ. S. Clemens, S. Hirrotheus, S Dionysius Areopagita. S. Ignatius M. S. Polycarpus, Philo Judæus. Institutio præcipuorum festorum; Item Quadragesimæ, Aquæ Lustralis, Sacrarum Imaginum usus, Precum Canonicarum, Luminum, Tonsuræ, Clericorum. *Imperatores* fuerunt hoc seculô XII. Primus Octavius Augustus ab Actiaca pugna, rexit Imperium annis 44. Tiberius 23. Cajus Caligula 3. Claudius 13. Nero 13. Galba menses 7. Otho m. 3. Vitellius m. 8. Vespasianus an. 9. Titus 2. Domitianus 15. Nerva 1. Clades Variana. Viri doctrinâ illustres Virg. Maro. Ovidius. Val. Maximus. Asconius. T. Livius, Persius, Silius Italicus Lucanus, Seneca, Pomponius Mela, Plutarchus, Quintil. Petronius Arbiter, Cornelius Celsus, Epictetus, Phil. Juvenalis, Plinius Senior, Val. Flaccus, Martialis, Statius, Halicarnasseus, Vellejus Paterculus. Messalina & Agrippina, feminarum dedecora. Sejani casus an. 33. incendium Romæ 64. exidium Hierosolym. an. 70. Nero & Pilatus suimet carnifices. Herodes Ascalonita & Agrippa vermibus consumuntur. Herodes Antipas in exilium relegatur Lugdunum. Theriaca inventa, & vitri flexilis temperamentum. Colonia Agrippina conditur. Prima Romæ bibliotheca Asinii Pollionis. Phœnix avis ex Ægypto allatus Romam an 35.

Secu-

Seculum II.

Ab anno Chr. C. ad CC.

PONTIFICES *Rom.* hoc seculô vixerunt undecim. S. Anacletus rexit Ecclesiam an. 9. S. Evaristus 9. S. Alexander 10. S. Sixtus 10. S. Telesphorus 11. S. Hyginus vel Hyginius 4. S. Pius 9. S. Anicetus 9. S. Soter 5. S. Eleutherius 15. S. Victor 9. Tertia Persecutio sub Trajano an. 120 Quarta sub Antonino 140. Hæreses XIV. Concilia duo. Inter PP. DD. & Scriptores eximii S Justinus M. S. Irenæus, Hegesippus, Tertullianus, Clemens Alex. It. Justinus, Florus, Ælianus, Appianus, Athenæus, Julius Pollux, Aphthonius, Philostratus, Frontinus, Diogenes Laërtius, Solinus, Tacitus, Plinius Minor, Suetonius, A. Gellius, Lucianus, Apulejus, Apollonius Tyanæus, famosus magus. Victoria de Marcomannis relata per Christianos. *Impp. Rom.* IX Trajanus rexit Imp. 19. Hadrianus 21. Antoninus 22. Marcus Aurelius & Lucius Verus 19. Commodus 13. Pertinax m. 3. Didius Julianus m. 2. Severus an. 18 Pila fortunæ Imp. Pertinax, & Petronius Præfectus aulæ. Stratégus Placidus, postea Eustachius M. Romæ templum Pacis cum universis Hierosolym. spoliis conflagrat 193.

Seculum III.

Ab anno Chr. CC. ad CCC.

PONTIFICES *Rom.* XV. S. Zephyrinus rexit Eccles. 18. S. Callistus 5. S Urbanus I. an. 6. S. Pontianus 5. S. Anthérus an. 1. S. Fabianus 14. S. Cornelius 2. S. Lucius 1. S. Stephanus 3. S. Sixtus secundus 1. S. Dionysius 11. S. Felix primus 2. S. Eutychianus 8. S. Cajus 12. S Marcellinus 8. Persecutio

Quinta sub Severo an. 204. Sexta sub Maximino 237. Septima sub Decio 253. Octava sub Gallieno & Valeriano 261. Nona sub Claudio 270. Decima & atrocissima sub Diocletiano & Maximiano 279. Hæreses XIV. præcipua Manichæorum. Inter Ecclesiæ DD. Origenes, Gregorius Thaumaturgus, Arnobius, Methodius, Lactantius. Lapsus Origenis, quemadmodum priùs Tertulliani. Claruerunt sanctitate S. Laurentius. S. Mauritius, Dux Thebæorum. SS. Barbara, Cæcilia, Apollonia, Agatha, Sebastianus, Georgius, &c. Zenobia, miræ virtutis matrona. *Imp. Rom.* XXIII. Antoninus Caracalla regnavit an. 7. Macrinus 1. Heliogabalus 4. Alex. Severus 13. Maximinus 3. Maximus & Balbinus 1. Gordianus 5. Philippus 6. Decius 1. Gallus & Volusianus 3. Valerius & Gallienus 15. Claudius 2. Quintillus dies 17. Aurelianus 7 an. Tacitus 6 m. Florianus 2 m. Probus 5 an. Carus cum Carino & Numeriano 2 an. Diocletianus & Maximianus 20 a. Plautianus, Caracallæ socer, exemplum Tragicum, 206. Valerianus excoriatur à Persis & sale conditur 262. Viri docti Alexander Aphrodiseus, Photinus, Amonius, Porpyrius Apostata, Jamblicus, Dio Cassius, Herodianus, Appianus, Pomponius, Papinianus, Ulpianus, &c. Incendium templi Ephesinæ Dianæ 203.

Seculum IV.

Ab anno Chr. CCC ad CCCC.

Pontifices *Romani* XI. S. Marcellus rexit Eccles. an. 5. S. Eusebius 2. S. Melchiades seu Miltiades 2. S. Sylvester 21. S. Marcus m. 8. S Julius an. 15 S Liberius 15. S Felix secundus 1. S Damasus 17. S. Siricus 13. S. Anastasius 4. Durat Persecutio

Deci-

Decima; cui succedit XI sub Valerio & Maximino 301. XII sub Constantio Arriano 370. XIII sub Juliano Apostata 261. XIV sub Valente Ariano 370. Hæreses XVII. Arrius, hæresiarcha præcipuus. Concilium Generale primum, seu Oecumenica Synodus, Nycæna 318. & annô 381. Concilium Constantinopolitanum, Oecumenicum secundum. Inter PP. DD. & Script. eminent Arnobius, Lactantius, S. Athanasius, Eusebius Cæsareens. S. Antonius Magn. Eusebius Emissen. S. Hilarius. S. Ephræm, S Gregorius Nazianz. S Basilius M. S Gregorius Nyssen. S. Cyrill Hierosol. Evagrius, Palladius, Damasus, Prudentius, Didymus cœcus, S. Epiphanius, S. Ambrosius, S. Amphilochius, S. Pilastrius S. Gaudentius, S Chrysostomus, Ruffinus, S. Hieronymus, Sophronius. Claruerunt sanctitate SS. Lucia, Dorothea, Catharina, Ursula, Blasius, Hilarion, Nicolaus, Martinus, Macarius, plurimique Martyres. Magna pars Imperii cum Constantino Imp. ad Fidem conversa. Crucis è cœlo ostentum fuit omen victoriæ adversùs Maxentium & Maximinum an. 306. Crux Christi inventa ab Helena Imperatrice. *Imperatores Rom. in Occidente* XII. Constantius & Galerius regn. 3. Constantinus M. 31. Constantinus Junior 4. Constans 13. Constantius 24. Julianus 2. Jovinianus m. 7. Valentinianus an. 12 Gratianus 8. Valentinianus secundus 17. Honorius 28. *In Oriente* Valens 25. Theodosius 7. Arcadius 13. Eventus Tragici, Maximiani horrenda mors 311. & Diocletiani 316. Crispus & Fausta 324. Ablavius fortunæ pila, 337. Valens crematur in tugurio 378. Arbogastes se confodit 399. Eutropius concidit 399. Instituta Academia Bononiens. Viri doctrinâ clariores Olympiodorus, Capitolinus, Lampridius, Vopiscus, Tre-

Trebellius, Spartianus, Libanius, Ammianus Marcellinus, Sextus Aurelius Victor, Ælius Donatus, Ph. Proba, Falconia, Juvencus, Herodotus. Vegetius. Macrobius, quem aliqui ad secundum seculum referunt. Horrendi terræ motus per orbem 369. & fames 367. Cruces vestibus insperſæ 337. Inducta ſupputatio per Indictiones, (abrogatis Olympiadibus) quæ eſſent an. 15. & notæ tributorum Cæſari perſolvendorum 313. Aureus numerus excogitatus 325. Cædes Theſſalonicæ 336. Conſtantinopolis condita 330. Alleluja cantari cœptum in Eccleſia. Inſtitutus ordo militaris S. Lazari.

Seculum V.

Ab anno Chr. CCCC ad D.

Pontifices Romani XII. S. Innocentius rexit 15. S. Zoſimus 1. S. Bonifacius 5. S. Cœleſtinus 8. S. Sixtus tertius 8. S. Leo M. 21. S. Hilarius 7. S. Simplicius 15. S. Felix tertius 19. S. Gelaſius 5. S. Anaſtaſius ſecundus 2. S. Symmachus 15. Perſecutores Eccleſiæ Geiſericus ſeu Genſericus, Arrianus, Hunnericus, Coſroës, Attila. Alaricus Romam capit, & diripit. Hæreſes XI. Hæreſiarchæ præcipui Vigilantius, Pelagius, Neſtorius, Eutyches, Dioſcorus. Concilium Epheſinum, tertia Synodus Generalis. Concilium Chalcedonenſe, Oecumenicum quartum. Inter PP. & DD. ac Scriptores illuſtriores S. Auguſtinus, Caſſianus, Oroſius, S. Paulinus, Severus Sulpitius, Iſidorus Peluſiota, S. Cyrillus Alex. Theodoretus, S. Leo Mag. S. Proſper, S. Eucherius, S. Sidonius, S. Hilarius Arelat. S. Vincentius Lirin. Salvianus, S. Chryſologus, Gennadius, S. Maximus, S. Paſchaſius, S. Cæſarius Arelat. Sanctimoniâ præluſtres SS. Alexius, Simon

Simon & Daniel Stylitæ, Pulcheria, Remigius, Genovefa, &c. Salutationi Angelicæ addita verba: *Sancta Maria Mater* &c. Usus Cereorum in festo Purificat. B. V. *Impp. Occid.* Valentinianus tertius regn. 30. Maximus m. 3. Avitus m 10. Majorianus an. 4. Severus 5. Anthemius 6. Olybrius m. 7. Glycerius an. 1. Julius nepos paucos m. ultimus Momillius Augustulus. *Impp. Orient.* Theodosius Junior 43. Marcius 6. Leo Thrax 18. Zeno 18. Basiliscus 1. Anastasius 27. Primus Rex Italiæ Odoácer. Primus Hispaniæ ex gente Visigothica Adolphus. Primus Galliæ Pharamundus an. 420. tum Clodomirus, Meroveus, Childericus, Clodoveus, &c. hic Christi fidem suscepit an. 496. à S. Remigio undis ablatus; in unctione ampulla delata cœlitus. Clari eruditione Symmachus, Prudentius, Sedulius, Ausonius, Claudianus. Exempla Tragica, Wandalorum vastatio an. 455. Hunnericus 484. Gainas an. 400. Stilico 408. Ruffinus. Chrysaphius eunuchus 450. Aëtius 454. Maximus Imp. 455. Zeno vivus sepultus 491. Paulinus & Eudoxia. Puncta ab Hebræis in scribendo excogitata. Hiberni conversi per S. Patritium: Norici per S. Severinum. Monachi Insomnes seu Acæmitæ. Trisagion è cœlo auditum 422. Origo urbis Venet. 451. juxta Bellarm. 421. librorum millia centena vicena conflagrârnnt Constantinop. 476. Initia regni Gothici in Hispan. 413. Gallici 420. Wandalici in Africa 427 Hungarici per Attilam 442. Anglici 463. Italici in Odoacre 470. Ostrogothici per Italiam in Theodorico 493. Occidentale Imp. in Augusto cœptum, deficit in Augustulo an. 470.

Secu-

Seculum VI.

Ab anno Chr. D. ad DC.

Pontifices Rom. XIII. S. Hormisda rexit Eccles. annis 9. S. Joannes I. mens. 9. S. Felix IV. an. 4. Bonifacius secundus annum 1. Joannes secundus 3. S. Agapitus 2. S. Sylverius 3. S. Vigilius 15. Pelagius 5. Joannes tertius 15. Benedictus 4. Pelagius secundus 12. S. Gregorius M. 13. Persecutores Ecclesiæ. Anastasius Imp. Theodoricus, Rex Arianus, Hæreses X. Nominatiores, Acephali, & Monothelitæ. Concilium Constantinop. secundum, Generale quintum. Claruerunt sanctitate S. Sigismundus Rex Martyr 526. S. Hermenegildus Mart. 583. PP. & Scriptores celebres S. Fulgentius, Boëtius, Anastasius Sinaita, Ennodius, Procopius Gazæus. S. Climacus. Cassiodorus. S. Gregor. Turonensis & Greg. Magn. Petrus Diaconus, Fortunatus. S. Benedictus Ordini suo dat initium an. 520. Boji sive Bavari ad Christum conversi circa annum 540. A. 570 regni *Longobardici* initium per Alboinum, qui cum sua Rosimunda & rivali Helmichio inter exempla tragica memorandus. *Impp. Orientis* quinque: Justinus, qui fuit antè subulcus, regn. an. 9. Justinianus Legum lator 38. Justinus Junior 17. Tiberius 5. Mauritius cum liberis à Phoca occisus an. 17. Totila, penultimus Regum Italiæ, Romam capit & diripit: Italiam & Siciliam vastat, & interemitur à Narsete eunucho, insigni stratégo, circa an. 552. qui, sicut & Belisarius, variantis fortunæ documentum fuit. Alaricus manu Clodovæi cadit a. 507. Initium Exarchorum, locó Cæsaris, Orient. in Italia Imperantium 568. Mediolanum excisum 525. Polonici principatus initia 550. Inventa specula ustoria 514. Codex & Pandectæ productæ 530. Ars scri-

ferici ex bombicibus conficiendi ex India in Europam invecta 557.

Seculum VII.
Ab anno Chr. DC ad DCC.

PONTIFICES *Romani* XXI. Sabinianus m. 5. Bonifacius tertius m. 8. S. Bonifacius quartus an. 9. Deusdedit 3. Bonifacius quintus 8. Honorius 12. Severinus 11. Joannes quartus 1. Theodorus 7. S. Martinus 6. S. Eugenius m. 6. S. Vitalianus 14. Adeodatus 7. Donus 1. S. Agatho 4. S. Leo fecundus 1. S. Benedictus fecundus 1. Joannes quintus 1. Conon 1. S. Sergius primus 13. SS. Martyres Anastasius, Trudo, Leodegarius, Lambertus. Clari nominis Scriptores S. Isidorus Hispal. S. Sophronius, S. Ildefonsus, Joannes Moschus. Sanctitate insignes S. Augustinus, Anglorum Apostolus, 600. S. Joannes Eleemosyn. 610. S. Columbanus 614. S. Gallus 618. S. Emmeranus 652. S. Gertrudis 664. Hæreses XI. in quibus Maronitæ, & Sergius, Monachus, dementator Mahometis, qui an. 622. novam promulgavit fectam ex Arianifmo, Judaifmo, Ethnicifmo conflatam. Concilium Conftantinop. III. Generale VI. Pantheon dicatur Deiparenti. Ufus campanarum, Inftrumentorum Muficorum in Ecclefia; converfa Flandria per S. Eligium, Franci Orientales per S. Kilianum, Hollandi & Frifones per S. Wilebrordum & Suibertum. A Perfis Crucem Sanctam recuperat Heraclius Imp. *Reges Italiæ* XI. *Impp. Orientis* IX. Phocas regn. an. 8. Heraclius 31. poftea Monothelita. Conftans 27. Conftantinus tertius 3. m. Heracleonas 6. m. Conftantinus Pogonatus feu Barbatus 17. an. Juftinianus Junior 10. Leontius 3. Tiberius tertius 6. Phocæ juffu Narfes vivus comburitur 605. Ipfe quoque malè perit. Brunichildis,

dis, decem Regum trucidatrix, equinis caudis alligata discerpitur 618. Dejectio Colossi Rhodi 647. Mahometis in Arabia & Saracenorum progressus, occupatâ magnâ parte Africæ, & Insulâ Rhodô. Primus Dux Venetorum creatur 697. Inventio ignis Græci Annorum supputatio apud Arabes ab Hegira, sive expeditione in Mecham facta, an 621. Zechis Croata initium dedit regno Bohemiæ, & frater ejus Lechus Poloniæ. Origo Sacelli Oettingani B. V. in Bavaria circa an. 616.

Seculum VIII.

Ab anno Chr. DCC ad DCCC.

Pontifices Rom. XIII. Joannes sextus rexit Eccles. an 3. Joannes septimus 2. Sisinnius diebus 20. Constantinus an. 6. S. Gregorius secundus 16. S Gregorius tertius 11. S. Zacharias 10. Stephanus secundus dieb. 4. Stephanus tertius an. 5. S. Paulus 10. Stephanus quartus 3. Hadrianus 23. Leo tertius 20 Persecutores Christianorum Leo Isauricus cum hæreticis Iconomachis 740. Constantinus Copronymus 767. Habdalla Saracen. 770. Hæreses IX. præcipuæ Iconoclastrum & Albingensium, Concilium Generale VII, Nicænum II, 708. PP. DD. Scriptores celebres Ven Beda, S. Damascenus, Usuardus. Claruit S. Wilibaldus, S. Anthusa, Copronymi filia S. Walburga. S Richardus. S Bonifacius Ep Mogunt, S. Hubertus. S. Burchardus. Saxones & inferiores Frisones per S Ludgerum conversi: Alemanni per S. Corbinianum. S. Suibertus primus solenniter in album cœlitum relatus 710. Saraceni Hispaniâ potiuntur. Introducta exosculatio pedum Pontificis Rom. Datus titulus Christianissimi Carolo Martello, Regi Galliæ, an. 740.

Impp.

Impp. Occidentis seu *Reges Italiæ*, seu Longobardorum IX, quorum ultimus Desiderius debellatus à Carolo Magno. *Impp. Orientis* Justinianus Junior an. 8. Philippicus 1. Anastasius secundus 2. Theodosius tertius 1. Leo Isauricus 24. Constantinus Copronymus 34. Leo tertius 5. Constantinus cum Irene matre 40. Constantinus solus 7. Initia regnorum Hispalensis, Cordubensis, Asturum, Legionensis 727. Caliphatum in Ægypto 700. Turcæ minorem Armeniam occupant. Finis regni Longobardici & Exarchatus post annos CC, quàm inceperat. Alphonsus, Legionensis Rex, pertæsus tributum Virginum, profligat Mauros 791. Insignes strategi Carolus Martellus & Carolus M. Imp. Instituta Academia Patavina 790. Inventa indictio solearum ferrearum pedibus equinis.

Seculum IX.

Ab anno Chr. DCCC ad DCCCC.

P*ontifices Romani* XVI. Stephanus quintus rexit Eccles. m. 7. S. Paschalis 7. Eugenius 3. Valentinus dieb. 4. Gregorius quartus 16 Sergius secundus 3. S. Leo quartus 8. Benedictus tertius 8 Nicolaus primus 9. Hadrianus secundus 4. Joan. octavus 10. Marinus 1. Adrianus tertius 1. Stephanus sextus 6. Formosus 4. Stephanus septimus 4. Vexant Ecclesiam Saraceni in Hispania & Oriente an. 812. 821. 850. 851. 852. Et Rex Danorum Ericus & Bulgari 813. Hæreses VI. Concil. Oecumenicum VIII. Constantinop. IV. Scriptores celebres Theodorus Studites, Angelomus, Strabo, &c. Sanctitate eximii S. Edmundus Rex M. Singularis pietas ac fortitudo Imperatricis Theodoræ 870. Convertuntur ad Christum Dani, Sclavi, Saxones, Hungari & Bulgari cum suis Regibus Cacano & Bogore. Russi,

Normanni, Triballi, Moravi. *Carolus M.* an. 800. restituit *Imperium Occidentale*, deinceps à Germanis obtinendum: regnavit autem Carolus an. 14. Ludovicus Pius 27. Lotharius 15. Ludovicus secundus 20. Carolus Calvus 2. Ludovicus tertius 10. Carolus Crassus 3. Arnulphus 12. *Impp. Orient.* Nicephorus 10. Michël Curopalates 2. Leo Armenus 7. Theophilus 12. Michaël cum Theodora matre 25. Basilius Macedo 20. Leo sextus 25. Strategi celebrati Arnulphus Imp. 895. Ramirus I, Rex Legionensis, 845. Electores Pontificis Rom. primum appellati Cardinales. Lilia scuto Francico indita. Aquisgranum conditur. Leo, Basilii filius, à psittaco servatur.

Seculum X.

Ab anno Chr. DCCCC ad M.

Pontifices Rom. XXVIII. Theodorus secundus rexit Eccles. dies 20 Joannes nonus an. 4 Benedictus quartus 3. Leo quintus dieb. 40. Christophorus 7. m. Sergius tertius an. 2. Anastasius tertius 2. Lando sive Landus pauculis mens. Joannes decimus 16. Leo sextus m. 7. Stephanus octavus an. 2. Joannes undecimus 5. Leo septimus 4. Stephanus nonus 3 Martinus secundus 3 Agapitus secundus 11. Joannes duodecimus 9. Leo octavus 1. Benedictus quintus 10. Joannes decimus tertius 7. Domnus secundus m. 3. Benedictus sextus 1 an. Benedictus septimus 9. Joannes decimus quartus 1. Joannes decimus quintus 10. Joannes decimus sextus m. 4. Gregorius quintus an. 3. Sylvester secundus an. 4. Sæviunt Bohemi in Christianos circa an. 942. S. Wenceslaus pro Christo trucidatur. Item Bonifaci' in Russia S Odo propagat Ordinem Cistercienſem. S Romualdus instituit Chamaldulensem. S. Eduardus

dus Rex, novercæ insidiis, cæsus 978. Hungari plenius conversi per S. Stephanum. Item Poloni & Dani Religionem Catholicam cum suis Regibus amplexi: Prussi quoque, Nortwegi, Moscovitæ. Septem Electores Imperii Romano-Germanici constituti 996. à Gregorio V. *Impp. Occid.* Ludovicus IV. regn an. 6. Conradus Saliquus 7. Henricus Auceps 20. Otho primus, Magnus cognomentô, 37. Otho secundus 10. Otho tertius 18. *Impp. Orient.* Constantinus octavus regn. an 49 Romanus 2. Nicephorus Phocas 2. Joannes Zemisces 6. Basilius & Constantinus 50. Strategi celebres Henric. Imp. Hungarorum cecidit 40 millia an. 944. & Alphonsus V, cognomentô Mag. Rex Hispaniæ. Initium regni Navarræ 912. Aragonici 915. Castella fit sui juris 939. Burgundia Imperio adjecta 945. Initium Marchionatûs Montisferratens. 967. Principatûs Saxonici 970. Lotharingici 981. Sabaudici 998. Moscovitici 990. Inter exempla tristia Hatto, Episcop. Moguntinus, à muribus corrosus, 970. Maria Augusta, jussu Othonis tertii mariti cremata, 996. Ludi Equestres seu Trojani primùm usurpati (vulgò *Torneamenta*) Magdeburgum conditur. Mutatio nominis Pontificii primùm usurpata in Joanne XII.

Seculum XI.

Ab anno Chr. M. ad MC.

P*ontif. Rom.* XVIII. Joannes XVII, rexit Eccl. an. 5. Joannes XVIII, an. 6. Sergius IV, 3. Benedictus VIII, 2. Joannes XIX, 10. Benedictus IX, 11. Gregorius VI, 3. Clemens II, vix annum. Damasus II, non an. Leo IX, strictè VIII, 5. Victor II, an. Stephanus X, non ann. Nicolaus II, non an. Alexander II,

non an, Gregorius VII an, 12. Victor III an. Urbanus II an. 11. Paschalis II an. 18. Innumeri Christiani à Sclavis, Hungaris, Danis, Russis interfecti. Inter hæresiarchas notior Berengarius. Claruerunt S. Burchardus, primus Episc. Herbipolensis, quem seculô istô ponit Raynaudus, sed Gualterius seculô VIII. S Fulbertus. Hermannus Contractus. S. Odilo. S. Anselmus, Theophylactus, Petrus Damianus, Ivo Carnotensis, Marianus Scotus, Lanfrancus, &c. S. Henricus Imp. cum Kunigunda uxore virgine virgo 1024. S Stanislaus Episcopus m 1079. S. Arnulphus 1080. S. Joan. Gualbertus. Institutum triduanum in capite Quadragesimæ jejunium. Globus aureus cum cruce Insigne Imperii. Addictum Deiparæ Sabbathum 1095. Ejusdem Officium institutum, seu Preces Horariæ. Usus & nomen disciplinæ seu flagellationes publicæ. Commemoratio omnium defunctorum. Ordinis Carthusiensis auctor S. Bruno 1086. Cisterciensis S. Robertus Abbas 1098. cujus postea instaurator S. Bernardus. *Impp. Occid.* Henricus II, sanctus Bavarus, reg. 11. Conradus secundus 15. Henricus III 16. Henricus IV 50. *Orient.* Romanus 5. Michaël quintus 4. Constantinus Iconomachus 12. Theodora Porphyrogenita an. 1. Michaël sextus 1. Isaac Comnenus 4. Constantinus Ducas 7. Romanus Diogenes 4. Michaël septimus 6. Nicephorus Boto 3. Alexius Comnenus 38. Hierosolyma Saracenis adempta 1099. Insignes strategi Godefridus Bullionius, Dux Constantinus, Robertus Guiscardus, Huna Anglus. Initium regni Bohemiæ ex Ducatu 1087. & Poloniæ 1077. & Scotiæ 1098. Inter viros dictos Avicenna Phil. & Guido Aretinus, Monachus, repertor notarum musicarum, an. 1022. Romanus Imp. dolô Zoës uxoris strangulatur. Viginti millia puerorum pro-

proficiſcuntur in Palæſtinam ad bellum ſacrum 1013. Pereunt fame, peſte, gladiô.

Seculum XII.
Ab anno Chr. MC ad MCC.

Pontifices Rom. XVI. Gelaſius ſecundus rexit Eccleſ. an. 1. Calixtus 6. Honorius II 5. Innocentius II 13. Cœleſtinus II. m. 5. Lucius II non an. Eugenius III 8. Anaſtaſius IV 1. Adrianus IV non ann. Alexander III 22. Lucius III 4. Urbanus III 2. Gregorius VIII non ann. Clemens III 3. Cœleſtinus III 6. Innocentius III. 18. S. Thomas, Archiep. Cantuarienſis, m. 1170. Hæreſes præcipuæ Waldenſium & Albingenſium. Concilium Gen. IX. Lateranenſe primum & Gen. X. Lateranenſe ſecundum. Doctrinâ claruerunt S. Bernardus 1130. Cedrenus, Euthymius, Hugo de S. Victore, Richardus de S. Victore, Petrus Comeſtor, Petrus Cluniacenſ. & Bleſenſis, Otho Friſingenſ. Joachimus Abbas. Floruerunt ſanctitate S. Bruno Carthuſ. 1115. S. Hugo Gratianop. 1115. S. Norbertus, inſtitutor Ord. Præmonſtratenſis, 1130. S. Hildegardis 1148. S. Benedictus, puer duodennis, conſtructor prodigioſus pontium Avenione & Lugduni, 1177. Corpora trium Regum Magorum Coloniam translata 1168. Feſtum Concept. B. V. celebrari cœptum 1136. Ordines militares inſtituti, Templariorum, & Hoſpitaliariorum, ſeu S. Joannis Hieroſolym. hodie Melitenſes, 1119. Calatravæ 1158. S. Jacobi 1170. Alcantaræ 1176. Teutonicorum Marianorum 1190. Converſæ Gothia, Livonia, Pomerania denuò, Finlandia, Suecia. Theologia Scholaſtica in meliorem formam digeſta per Petrum Lombardum, Ep. Pariſienſem, 1140. Hieroſolyma à Saladino recepta,

crux ab eo flagellata: Gratianus edit Decretum. *Impp. Occid.* Heinricus V. regn. 20, Lotharius II Saxo 14. Conradus III. Svevus 3. Fridericus I. Ænobarbatus 37. Henricus VI, cogn. Asper, an. 8. *Orientales.* Calo Joan. Comnenus 24. Manuel Comnenus 38. Alexius Comnenus 2. Andronicus Comnenus 3. Isaacius Angelus 10. Alexius Angelus 6. Alexius m. 6. Portugallia fit regnum 1179. Eruptio Tartarorum in Europam 1188. Creta Veneris vendita 1195. Insignes stratégi Henricus Leo, Dux Brunsvicensis, Gulielmus, Dux Aquitaniæ, Dominicus Michaël Venetus, & Jacquellinus. Exemplum Tragicum Andronicus 1181. Fridericus Ænobarb. miserè mersus 1190. Inter Doctos Averroës, Eustathius, Homeri Interpres, Michaël Glycas. Gottfridus Vintoniensis, Joannes Sarisberiensis, &c. Monachium, Bavariæ caput, conditur 1177. Guelfi & Gibellini factionibus suis Italiam turbant, illi summi Pont. Alexandri III, hi jus Imperatoris propugnantes. Otto Wittelspachius Principatum Bojariæ obtinet 1183. unde hodierni Duces.

Seculum XIII.

Ab anno Chr. MCC ad MCCC.

P*Ontifices Rom.* XVII. Honorius III. rexit Eccles. an. 10. Gregorius IX. 14. Cœlestinus IV. dieb. 18. Innocentius IV. an 11. Alexander IV. 6. Urbanus IV. 3. Clemens IV 3. Gregorius X. 4. Innocentius V. m 6. Adrianus V mens. unum. Joannes XXII. m. 8. Nicolaus III. an. 3. Martinus II, aliàs quartus, an. 4. Honorius IV an. 2. Nicolaus IV. an 4. Cœlestinus V. m 5. Bonifacius VIII. an. 9. Persecutor Christianorum Mindanus, Lithuanorum Dux. Inter hæreticos nominati Flagellantes. Con-

cilium

cilium Gen. XII, Lateranense IV, & Generale XIII, Lugdunense I, & Gen. XIV, Lugdunense II, an. 1274. Floruerunt doctrinâ Innocentius III, Papa. S. Raymundus. Jacobus de Vitriaco. Vincentius Bellovic. Thomas Durandus. Nicolaus de Lyra, Nicephorus Callistus. Doctores Scholastici Guil. Altisiodorens. 1216. Guilielmus Parisiens. B. Albertus Magnus 1240. Alexander Halensis 1240. S Bonaventura. S. Thomas Aquinas 1270, &c. alii in utroque sexu sanctitate clari S. Dominicus, Fundator Ordinis Prædicatorum seu Dominicanorum, 1201. S. Franciscus, Institutor Ordinis Franciscanorum seu Minorum, 1209. Floret S. Antonius de Padua seu Patavinus 1230. S. Elisabetha Landgravia Hassiæ. S. Hedwigis 1243. S Lutgardis 1246. S. Petrus Mart. 1252. S. Clara, Fundatrix Franciscanarum Monialium, 1211. S. Ludovicus, Rex Galliæ, obiit 1270. S. Ivo 1280. S. Rochus 1287. S. Albertus Carmelita 1292. S Nicolaus Tolentinas 1295. S. Ludovicus Tolosanus. In Tartaria, Livonia, Prussia propagatur fides. Ordo Carmelitarum confirmatur 1180. innotescit Europæ 1200. Ordo S. Trinitatis pro Redemptione Captivorum Romæ 1208. Eremitarum S. Pauli 1215. Eremitæ S. Augustini in unum coguntur 1243. Ordo Servitarum seu Servorum B. V. 1251. Ordo Militaris S. Mariæ de Mercede pro Redemptione Captivorum à Jacobo, Aragoniæ Rege, instituitur 1232. Ordo Cœlestinorum 1274. Campanæ sonitus tum ad Consecrationem, tum Salutationem Angelicam decretus. Concordantiæ Bibliorum editæ. Biblia capitibus distincta. Pileus rubeus Cardinalibus attributus 1245. Festum SS Sacramenti institutum. Jubilæi celebratio centenaria. Magisterium S. Palatii. Genuflexio, ad Homo factus est.

Domus Deiparæ Nazaretana è Gallilæa transfertur in Dalmatiam 1282. hinc in Picenum, in Silvam Lauretanam 1291. *Impp. Occidentis* hoc Seculô, juxta P. Nicolaum Avancinum S. J. *in Elogiis Impp. Germ.* Philippus occisus a. 1208, regn an 9. Ottho IV, Dux Brunsvic. exauctoratus 1210. Fridericus II, Suevus, obiit 1250. Conradus IV. Suevus. Guilielmus Hollandus occisus 1255. Interregnum. Rudolphus I. Austriacus, Comes ab Habspurg, electus 1273, obiit 1291. Adolphus Nassovius occisus 1298. Albertus I. Austriacus electus 1298. occisus, juxta Gualterium & Bucelinum, à nepote 1308. *Impp. Orientales* Balduinus. Belga, regn. an 9. Henricus 7. Petrus mens. aliquot. Robertus an. 11. Balduinus II, ultimus Latinorum, an. 34. Michaël Palæologus 33. Andronicus 40. Imperium Orientale Latinis obtigit an 1200. Ablatum eis post annos 55. Initium Imperii Trapezuntini an. 1203. Austria, Styria, Tirolis & Carinthia Rudolphi Imp. familiæ adjecta 1282. móxque Burgundia & Bohemia. Initia Libertatis Helveticæ 1295, vel 1307. admirabile tentorium, in quo Solis & Lunæ circuitus Friderico Imp. à Soldano missum. Landishutum in Bavaria conditur 1204. Straubinga 1208. Rudolphus, Comes Habspurgicus, Austriacorum Cæsarum & Archiducum, ob pietatem & venerationem SS. Eucharistiæ, fortunatissimus auctor. Insignes stratégi Simon Montfortius & Matthæus Montmorantius. Academia Parisiens. instaurata 1232. Viennensis in Austria constituta 1239. Salmanticensis 1240. Cantabrigensis 1277. Neapolitana & Patavina, & Perusina 1290. Viri doctrinâ illustres Joan. à S. Bosco, Mathem. Alphonsus X, Rex Castellæ, Matth. Accursius, JC. Godefridus Viterbiensis, Conradus Urspergensis, Matthæus Paris, Martinus

Polonus, Saxo Grammaticus, Historici. Exempla Tragica Petrus de Vineis, Friderici Cancellarius, exoculatus, capnt ad columnam allisit, 1249, Conradinus Svevus & Fridericus Austriacus securi percussi Neapoli 1267. Vesperæ Siculæ, quibus ultra 8000. Gallorum à Siculis intra duas horas cæsa 1281.

Seculum XIV.

Ab anno Chr. MCCC ad MCCCC.

Pontifices Rom. X. Benedictus X rexit Eccl. m. 8. Clemens V an. 9. Joannes XXI, aliàs XXII, aut XXIII. a. 10. Benedictus XI, aliàs X, vel XII, 7. Clemens VI 10. Innocentius VI 10. Urbanus V 8. Gregorius XI 7. Urbanus VIII an. 11. Bonifacius IX 14. Saraceni variis in locis necant Christianos. Hæresiarchæ notiores Lollardus & Joan. Wicleffus. Concil. Gen. XV, Viennæ in Gallia, an. 1321. Scriptores sacri & DD. Scholastici Ludolphus de Saxonia, Guido Carmelita., Simon de Cassia, Raymundus Jordanus, Præpositus Uticensis, vulgò Idiota. Durandus 1300. Joannes Duns, Scotus, Franciscanus, Aureolus, F. Guilielmus Ockam, F. Franc. de Mayrone 1320. B. Henricus Suso Dom. 1340. Joannes Taulerus ejusdem Ord. 1350. Robertus Holkot ejusdem Ord. 1350. Gregorius Ariminens. Augustin. Th. 1359. Thomas Argentinas ejusdem Ord. Th. 1350. S. Brigitta, Sveca. 1360. Joan. Cantacuzenus 1360. S. Petrus Berchorius 1360. S. Catharina Senensis Ord. S. Dom. obiit 1380. B Raymundus. Joannes Rusbrochius. Bartholus, fax Jurisc. Franc. Petrarcha, utérque floruit c. an. 1345. Joan. Aventinus. Baldus JC. 1390. Joan. Calderinus, Joan. Boccatius, Nicephorus Grégoras, Joannes Villa-

nus, &c. Sanctitate illuſtres præter memoratos, S. Elzearius Comes 1325. S Andreas Corſinus 1370. S. Franciſca Romana 1390. Converſa Lithuania & Jagello, ejus Princeps, itémque Samogitia. Jubilæi celebratio facta quinquagenaria. Feſtum Viſitat. B. V. inſtitutum 1378. Reductio Jubilæi ad annum 30 per Urbanum VI. *Impp. Occid.* ſeu *Germanici* hoc ſeculô ab aliis enumerantur quatuor, ab aliis quinque, nimirum Henricus VII, Comes Luzemburg. juxta Bell. regnavit an. 5 Fridericus III, Pulcher, Auſtriacus, æmulus Ludovici. Ludovicus, Bavarus, IV, aliàs V, regnavit annis 33, obiit an. 1347. Carolus IV. regn. an. 32, obiit 1387. juxta Bucel. juxta Gault. 1379. Wenceslaus juxta Bell. regnat annos 39, juxta Gault. 21, juxta Bucel. dejectus imperiô tanquam ignavus an. 1400. *Impp. Oriental.* Andronicus Junior regn. an. 14. Calo Joannes 30. Manuel 2. Andronicus 39. Othomannici Imperii initia 1300. Præfecturæ Italicæ in Marchionatus liberæ mutatæ 1340. Avenio fit juris Pontificii 1350. Delphinatus ad Gallos tranſit, eâ conditione, ut Regum Galliæ primogenitus, Delphinus vocetur 1345, vel 1349. Item Burgundiæ Principatus. Hannonia, Zelandia, Friſia Ludovico Bavaro cedunt, cum Luſatia & Tiroli, 1350. Strategi Alphonſus XI, Rex Hiſp. 450. Tamerlanes terror Orbis. Ordo Jeſuatorum inſtitutus à S. Joanne Columbino 1356. Eremitarum S. Hieronymi 1380. Militia Equitum Periſcelidis in Anglia 1344. Clemens V. ſedem Avenionem transfert 1305. Ab eodem extincti Templarii 1311. factiones Guelforum & Gibellinorum in Italiâ invaleſcunt 1360, an. 1309. Equites S. Joannis Hieroſolym. Rhodum recuperant 1309. Per Græcorum obfirmationem in ſchiſmate res Othomannicæ creſcunt. Annátæ 1394. Bellum inter Venetos & Ge-

Genuenses 1353. In Exemplis Tragicis Andreas Rex Neapol. conjugis odiô strangulatus 1344. Petrus, Rex Castellæ, securi percussus 1360. Baldus fatum suum caniculæ debet. Bajazetes, Rex Turcarum, in cavea ferrea circumfertur à Tamerlane; Amurathes, ante ipsum Rex victoriis inclytus, à servo confoditur. Inventa acus nautica 1303. Bombarda à Germanis 1380. Institutæ Academiæ, Avenionensis 1300. Ferrariensis 1316. Pisana 1339. Aurelianensis 1312. Heidelbergensis 1346. Pragensis 1361. Cracoviensis 1361. Andegavensis 1361. Senensis 1388. Coloniensis 1388. Erfordiensis 1392. Equites stellæ in Gallia 1350. Austriæ Dux Leopoldus ab Helvetiis occisus 1386. Illorum fœderatio an. 1307.

Seculum XV.

Ab anno Chr. MCCCC ad MD.

PONT. Rom. XIII. Innocentius VII. rexit Eccl. a. 2. Gregorius XII. an. 8. Alxander V. non annum. Joannes XXII, aliàs XXIII, vel XXIV. 5. Martinus III, dictus V, 13. Eugenius IV, 16. Nicolaus V, 8. Callistus III, 3. Pius II, 6. Paulus II, 7. Sixtus IV, 10. Innocentius VIII, 8. Alexander VI, 12. Persecutiones in Oriente à Mahometanis. Concilium Gen. XVI. Florentiæ 1434. Claruerunt PP. DD. Scriptores celebres S. Vincentius Ferrerius Dominic. S. Bernardus Senensis Franciscan. Thomas Waldens, Turrecremata; Dominic. Petrus de Natalibus, Panormitanus, Nicolaus Cusanus, Æneas Sylvius, Joan. Picus, Mirandulanus Comes. B. Laurentius Justinianus, Joan. Nauclerus scripsit Chronicon usque ad ann. 1500. inde Surius continuavit. Bessarion Cardinalis, Gerson, Thomas Kem-

Kempensis, Joannes de Monte Regio, Georgius Purbachius, Paulus Venetus, Zabarella, Geminianus, Georgius Trapezuntius, Blondus, Gaza, Perottus, Lascarus, Valla, Calepinus, Rudolph. Agricola, Pomp. Lætus. Bapt. Mantuanus, Jovianus Pontanus, Hermolaus Barbarus, Angelus Politianus, Alexander ab Alexandro. Eminet Alphonsus Tostatus an. 1440. qui, natus annos non plus 40, scripsit quatuordecim bene magna volumina Commentariorum in SS Scripturam, unde meritò de ipso scriptum: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* Joan. Nider. B. Joannes de Capistrano Franc. sanctitate ac doctrinâ celebratissimus, 1440. S. Antoninus Ord. Prædic. 1445. Baptista Platina 1472. Gabriel Biel 1490. Albertus Cranzius, Coccius Sabellicus, Guil. Pepinus, &c. *Impp. Germanici* seu Imp. Rom. Rupertus Bavarus regn. 10, moritur 1410. Sigismundus Luzemburgicus an. 27, obiit 1437. Albertus II. Austriacus 2. an. obit 1439. Fridericus IV Austriacus reg. 54. moritur 1493. Maximilianus I. Austriacus an. 26, obiit 1519. *Impp. Orient.* Joannes Palæologus 28. Constantinus 6. Imperium Orientis transit ad Turcas 1452. Imp. I. Mahumetus II. an. 28. Bajazethes 32. Reges Hispaniæ Joannes II. obit annô 1404, regnat 47. Henricus IV reg. 25. obit 1454. Ferdinandus V. Catholicus reg. 25, obit 1477. Reges Galliæ Carolus VII reg. 39, obiit 1461. Ludovicus XI reg. 22, obit 1483. Carolus VIII. an. 15. obit 1498. Ludovicus XII an. 17. Præter memoratos sanctitate illustres fuére B. Catharina Bononiensis. S. Lidwina 1433. S. Lutgardis 1446. S. Didacus Complutens. 1463. S. Franciscus de Paula, Institutor Ordinis Minimorum, 1473. S. Udalricus precibus Ungaros ab obsidione Augustæ repellit, & magnâ clade afficit 1455. In Helvetia obit

obit B. Nicolaus de Saxo an. 1487. Fratres Mendicantes S. Hieronymi 1405. Ordo S. Mauritii in Sabaudia 1440, S. Michaëlis in Gallia 1469, S. Georgii in Hungaria 1493, Velleris aurei in Hispania 1430. Jubilæum ad 25 annum reducitur per Paulum II. Prima Processio solennis circumgestandô SS. Euch. 1404. Constantinopolis capta à Mahumeto 1453. Sacra Sindon Sabaudiæ obtigit 1459. Familiarum Judaicarum 40000 pulsa ex Hispaniis. Inquisitio Hispanica 1492. Stratégi Joannes Zisca, hæreticus, & Catholicorum hostis acerrimus. Joan. Darcia è finibus Lotharingiæ, vulgò Aurelianensis puella. Georgius Castriotus Scanderbergius, Joannes Hunniades, Stephanus Waiwoda, Bathoreus, Ladislaus Pannonius. Ducatus Würtenbergensis initia 1470. Burgundia redit ad Gallos 1476. Helvetii stipendium à Rege Galliæ accipere cœperunt 1479. Albertus Dux Bavariæ recusat oblatum Hungariæ regnum 1440. Institutæ Academiæ Herbipolensis 1403. Lipsiensis 1408. Ingolstadiensis 1416. Rostochiensis 1415. Lovaniensis 1427. Pictaviensis 1431. Gripswaldensis 1456. Basileensis 1459. Friburgensis Brisgojæ 1467. Valentina 1470. Tubingensis 1477. Moguntina 1482. Dolana reviresci t 1482. Typographia inventa 1440. à Joan Guttenbergio Argentoratensi vel 1452. à Joan. Faustio Moguntiæ. Liber primus excusus Augustinus de Civitate Dei & Lactantius. Orbis novus auspiciis Hispacinis detegitur 1495. Camera Spirensis seu Dicasterium Imperiale in Germania instituitur. Austria decoratur titulô Archiducis 1488. In exemplis Tragicis Alvarus de Luna Hispanus an. 1453.

Desiderius. Pone canum me fecit tot spectata seculorum canities. *Mercurialis.* Quantò plus te fatigarem

rem ſpectandô, ſi centenaria annorum ſpatia non ita turmatim, ſed viritim magis transirent. Quòd ſi multas ex perſonis, quibus in hoc apparendum erat theatro, deſideres: vel non eô, quem rerum & temporum ſeries poſtulabat, ordine prodeuntes conſpexiſti: vel, ut in turba fieri ſolet, complures omninò non ſubjeciſti oculis, id ne imputes Chronologiæ, hoc Choragium inſtruenti, ſed properationi noſtræ, perquam curioſiùs Scenicæ huic Traductioni tempus animúmque indulgere non licuit. Et hoc ipſum, quod in theatrum dedimus, vereor, ne plusculum ſit exceſſiſſe ab ea progresſione, quàm viæ noſtræ ratio exegit. *Deſiderius.* Nunquam ita mihi proceſſiſſe videor, quàm hîc confidendô, & cum mortuis, ut quidam ait, loquendô. Eſt verô, quod abs te cupiam obtinere. *Mercurialis.* Cedò, quid illud? *Deſiderius.* Seculum ut XVI, cujus nobis memoria recurrit ſæpius, & XVII, quod agimus, & in quo miris modis agimur, paullò producas accuratiùs ſecundùm annos digeſta. *Mercurialis* Obſtat brevitatis ratio. *Deſiderius.* Poteris & ſic brevis eſſe. *Mercurialis.* Et faſtiditus ſimul.. *Deſiderius.* In me faſtidia hæc onerabo. *Mercurialis.* Neſcis, quid petas; in hoc argumento quis naſum Rhinocerotis non habet? quidquid nos perſtrinxerimus, omninò prætereundum fuiſſe videbitur aliis; quæ nos prætermiſerimus, dicent illi memoranda fuiſſe: quæque alios ſcire juvat & meminiſſe, libenter ignorabunt alii. *Deſiderius.* Illi ſuo; nos noſtro obſecundemus genio. *Mercurialis.* Evincis rogandô. Aſpice, prioris Seculi anni procedunt in podium denſatè.

CAPUT

Seculum XVI.

Ab anno Ch. MD. ad MDC.

P*Ontifices Romani* XVII. Pius III. rexit Ecclesiam unô mense. Julius II. an. 9. Leo X. 8. Adrianus VI, 2. Clemens VII, 10. Paulus III, 15. Julius III, 5. Marcellus II non integrô mense. Paulus IV, 5. Pius IV, 5 Pius V, 6. Gregorius XIII, 13. Sixtus V, 5. Urbanu VII, non integrô mense. Gregorius XIV, an. 1. Innocentius IX, pauculos menses. Clemens VIII, 13. Concilium Gen. XVII. Lateranense V, 1512. Datum initium Concilio Tridentino 1546, quod fuit Gen. XVIII. In Indiis Orientali & Occidentali occisi pro Christi fide plurimi, ex Dominicanis, Franciscanis, & Societatis Jesu hominibus. In Anglia sævitum in Catholicos ab Henrico VIII, qui cum regno defecit à Religione 1534. & Eduardo VI, ac Elisabetha Regina, quæ ad regnum evecta 1558. Inter alios ob Fidem Catholicam interfecti sunt Maria Stuarta, Scotiæ Regina, 1587. Cui succedit in Scotia Jacobus VI. Henr. Stuarti filius. Præsul Roffensis, Thomas Morus, regni Cancellarius. In Gallia quoque & Belgio plurimi Catholici, avitæ Fidei tenaces, letho dati. Sanctitate illustres extiterunt S. Ignatius de Lojola, Conditor Societatis Jesu, 1540. quo anno confirmata est à Paulo III. Primi Socii collecti Parisiis, 1534. S. Franciscus Xaverius ejusdem Societ. Indorum Apostolus. S. Teresia, Instauratrix Ordinis Carmelitani, 1550. S. Carolus Borromæus, Cardin. obiit 1584. S. Philippus Nerius instituit Congregationem Oratorii 1575. Initia Cœtuum Religiosorum; è quibus Theatini an. 1524. quorum Patriarcha B. Cajetanus. Capucini 1525. Clerici S. Pauli 1533. Somasci 1568. Militia S. Lazari renovata 1565. Equi-

Equites S. Spiritus in Gallia 1579. Equites Lauretani 1580. Ordo Humiliatorum á Pio V extinctus. *Impp. Rom.* Carolus V, Austriacus, regn. 38. resignat. 1556. obit 1558. ætatis anno 58. Ferdinandus I. Caroli Frater, Austriac. regnat 6, obit 1564. Maximilianus II, Austr. 12. moritur 1576. Rudolphus II, Maximiliani filius, Austr. 35, obiit 1612. Imp. Turcarum, Selimus, regn. an. 8. Solimannus 46. Selimus Junior 8. Amurates III 20. Mahumetus III 8. Reges Hispaniæ, Philippus I, Austr. 38. Carolus V Imp. 40. Philippus II 42. Philippus III 23. Reges Galliæ, Franciscus I 32. Henricus II 12. Franciscus II 1. Carolus IX 14. Henricus III 15. Henricus IV 21. Duces vero Bavariæ (ut hoc tribuamus Patriæ nostræ) fuerunt hoc Seculô Albertus Sapiens, obiit 1508. Principatum Bavariæ ad unius imperium redegit an. 1507. Ratisbonam recuperavit an. 1486. hæc iterum liberis Imp. civitatibus accensa 1492. Guilielmus Constans obiit 1550. Ingolstadium muniit 1538. Albertus V. Magnanimus obiit 1579 Leonem tanquam canem manu mulsit, & pedibus substratum habuit, assiduúmque lateris comitem. Societatem Jesu Ingolstadium advocavit 1556. & Monachium 1559. Ejusdem filius Wilhelmus, cognomentô Religiosus, successit, obiitque 1626. hic Societati Jesu magnificum Templum & Collegium exstruxit Monachii 1590 & 1592. Hæreditarius Catholici Regis titulus Ferdinando Hispano concessus à Julio II, vel potiùs restitutus. Institutum festum S. Josephi. Introductum Calendarium Gregorianum 1582. Festum S. Mariæ de Victoria sive Rosarii 1573. Triduana 40 horarum comprobatio inducta à Societatis J. Patribus. Legatio Æthiopica ad Pontif. 1524, & Japonica 1585. Rhodus Insula amissa 1522. Mélita frustrà à Tur-

cis

cis tentata 1565. Cyprus eisdem cedit 1571. Item Belgradum in Hungaria 1521. Buda 1541. Strigonium & Alba regalis 1543. Sisekum 1593. Sed repulsi ab obsidione Viennæ 1526. Ad Naupactum seu Echinadas Insulas ingenti clade à Christianis affecti 1571. Exercitus Caroli V. occupat Romam 1527. Diversæ victoriæ Caroli V. adversùm Protestantes 1547. Lutheranismus Augustam invadit 1548. & per varia Germaniæ loca propagatur. Ibidem cuditur liber, cui nomen Interim, 1533, & annô 1530 Confessio Augustana. Conficitur Transactio Patavica seu Passaviensis 1525. Rustici passim tumultuantes domantur armis 1525. Ingolstadium frustrà obsidetur in bello Smalcaldico 1541. Jesuitarum in Bavariam adventus 1544. Mauritius, Elector Saxoniæ, exauctoratur 1548. Metæ, Tullum, Verdunum cedunt Gallis 1551. Mantua fit Ducatus 1530. Florentini Ducem accipiunt 1536. & Senenses 1555. Hungaria & Bohemia Austriacis accedit 1526. Franciscus Valesius in regno Galliæ succedit Regi Ludovico XII, Duci Aurelianensi, 1515: capitur ad Papiam in prælio ab Hispanis 1525. Henricus II, Rex Galliæ, in ludis Nuptialibus lanceæ fragmentô perit 1546. Henricus III. à parricidâ cultrô confoditur 1588, in eo desiit Valesiorum familia. Henricus IV, è gente Borbonia, cognomentô Magnus, Romanam Religionem profitetur 1593. Eodem anno Philippus II, Rex Hisp. moritur annorum 72. Livonia se Polonis subjicit 1561. Ernstus, Dux Bavariæ, ejectô Gebhardô Sectariô, fit Archiepiscopus Colonienf. 1584. Eodem tempore Antverpia & aliæ urbes in Belgio ab Alexandro Farnesio expugnantur. Bavariæ pars ultra Danubium in Palatinatum Novum seu Noricum cedit 1505. Ejusdem variæ ditiones ob

refundendos ſumptus bellicos, in fraterno disſidio, Auſtriacis obtingunt. Nomen Geuſiorum in Belgio 1572. Detectio Batavica ab Hiſpanis. A Batavis Breda capitur 1578. Apparatiſſima claſſis Hiſpanica ab Anglis & ventis disjecta 1588. Caſſiopéa, nova ſtella, apparet in cœlo 1572. Inter Exempla Tragica Solimannus Turc. Imp. uncô ferreô ſuſpenſus 1509. Selimus cruentus ſuorum carnifex 1513. Chriſtiernus, Rex Daniæ, in cavea clathrata incluſus 1522. Ladislaus, Rex Hungariæ, in palude perit 1526. Thomas Volſæus, Cardinalis, ludibrium Fortunæ 1578. Sebaſtianus, Rex ultimus Luſitaniæ, in prælio cadit 1578. Luſitania ſeu Portugallia Hiſpanis adjungitur. Navigatio circa Orbem univerſum à Magellano inſtituitur 1519. Inſulæ Philippinæ inveniuntur 1564. Orichalcum factitium excogitatur: Item aqua (quam vocant Fortem vulgò) ſecretoria, metallorum ſecretioni ſerviens. Nec non vasculum (Cupellam appellant) ex oſſo bubulo, ad auri & argenti expurgationem. Calendarium Gregorianum introducitur, 1582. Palma à Venetis conditur 1593. Inter ſtratégos eminuerunt Ludovicus Gonzaga Rodomontius, Annæus Momorantius, Albuquertius, Villierius Rhodius, Carolus V, Columna, Joan. Auſtriacus, Alexander Parmenſis obiit 1592 &c. Academiæ inſtitutæ Wittenbergenſis 1502. Uratislavienſis 1505. Francofurtenſis 1506. Complutenſis 1517. Oſumenſis in Hiſp. 1549. & Gandenſis eodem annô. Rhemenſis 1550. Conimbricenſis 1550. Dilingana 1552. Trevirenſis & Piſanæ inſtauratæ. Eborenſis 1559. Tarraconenſis 1572. Duacena 1573. Muſſiponta 1573. Cæſarauguſtana 1583. Ut Scholarum Publicarum, ita Virorum Doctorum magnus hoc Seculô proventus fuit. Juvat ex plurimis aliquot

quot commemorare. Inter Cardinales doctrinâ excellentes Ximenes, Toletus S. J. Alanus, Lipomanus Contarenus, Cajetanus, Sadoletes, Polus, Hosius, Roffensis, Cæsar Baronius, Bembus. Post hos, Scriptores sacri celebriores ætate se subsequentes, Petrus Tataretus Ph. & Th. 1509. Joan Reuchlinus, Petrus Galatinus, Marcus Marulus, Jacobus Sannazarius, Tabiensis, Bapt. Mantuanus, Fridericus Nausea, Petr. Cochlæus, Catharinus, Thom. de Vio, Eugubinus, Eckius Pighius, Driedo, Clichtovæus, Franc. de Victoria, Melchior Canus Dominicanus & Petrus à Soto, Pagninus, Staphylus, Jo. Trithemius, Gropperus, Lindanus, Cornelius Jansenius, Tapperus, Titelmannus Blosius, Andreas Vega, Sixtus Senens. Hieron. Vida, Rebuffus, Surius, Arias, Stapletonus, Panvinius, Gabriel Prateolus, Alphonsus à Castro, Ludov. Granatens. Navarrus, Bannes, Medina, Bredenbachius, Genebrardus, Coccius, &c. Scriptores Profani Tycho Brahe, Math. Petrus Crinitus, Lascaris, Hieron. Osorius, Erasmus, Vives, Beroaldus, Petrus Gregorius, Covarruvias, Longolius, Pierius, Budæus, Paulus Jovius, Guicciardinus, Despauterius, Vatablus, Beatus Rhenanus, Bembus, Mart. Cromerus, Alciatus, Gemma Frisius, Georgius Agricola, Tiraquellus. Fernelius, Scaliger, Turnebus, Ortelius, Lambinus, Sigonius, Cardanus, Rosinus, Muretus, Brissonius. Orlandus Lassus, Musicorum princeps, obiit Monachii in Bavaria 1591. Natalis Comes, Lilius Gyraldus, Aventinus, Paulus Manutius, Conradus Gesnerus, Ulysses Aldrovandus, & plurimi alii, quos ipsa copia à Proscenio hujus Seculi excludit. Sequens verò Seculum tot Viris doctis & Scriptoribus est illustre, quot cœlum stellis. Atque ut de aliis nihil

dicam, religione & doctrinâ præstantibus rei litterariæ Auctoribus, Societas certè Jesu quot libros in lucem ediderit, testatur Catalogus à Petro Ribadeneira collectus annô 1608, quem prosecutus est P. Philippus Alegambe usque ad annum 1642. in libro benè magno, quem vocat Bibliothecam Scriptorum Soc. J. ubi enumerat tot Opera & Elucubrationes nostrorum hominum, ut ipsi soli ingentem Bibliothecam constituant. Quibus per subsequentes annos, ad hunc millesimum, sexcentesimum, sexagesimum octavum quanta accessio facta sit, novô propediem Catalogô evulgabitur. *Mercurialis.* Felicia tempora, tot Sapientum feracia; *Mercurialis.* Et simul infelicia, tot zizaniis librariorum heterodoxorum luxuriantia. Academiæ institutæ Mantuana 1625. Madritana, Salisburgensis, Tyrnaviensis, Bambergensis, Othoniona Contemplemur igitur Scenam hujus Seculi nostri, non minùs in Religionis quàm Regnorum caussis perturbati.

Seculum XVII.

Ab anno Chr. MDC ad MDCLXXVI.

M*ercurialis.* Quod ante monui, repeto. Annos sigillatim prodeuntes inspiciemus, sed quasi per transennam ea tantùm observaturi, quorum meminisse, & nostrâ, & nostræ plus interest eruditionis; neque enim rectè inquirit aliena, qui ignorat sua. *Desiderius.* Explica Scenam. *Mercurialis.* Adverte oculos, aperitur.

Anno 1600. Jubilæum Romæ; celebris pugna ad Neuportum in Belgio. Canisa in Ungaria à Turcis capitur.

1601. Tragicis exemplis accedit Comes Essexius in

in Anglia interfectus. Turcis Alba regalis eripitur in Ungaria. S.Raymundus Pennafortius inter cœlites refertur. Carolus Sudermanniæ Dux Rex Sueciæ salutatur. Rudolphus II. Imperator; Clemens Octavus, Pontifex Summus.

1602. Bironius in Gallia, Fortunæ ludibrium. Alba Regalis Turcis eripitur.

1603. Elisabetha in Anglia succedit Jacobus, Scotiæ Rex. Mahometi III. succedit filius Achmetes.

1604. Ambrosius Spinola Ostendam in Belgio expugnat. Regnum Sueciæ à Polonico avellitur. Colonia à Gallis in Canádam ducitur. Origo Monialium Annuntiatarum. Societas Jesu in Galliam post decennale exilium reducitur. Persarum Rex graves clades infert Turcis.

1605. Glementi VIII. successit Leo XI. Leoni Paulus V. Materia cothurni Demetrius Moscus. Conjuratio in Jacobum, Regem Angliæ. Illustre martyrium Henrici Garnetti Soc J. Strigonium in Pannonia à Turcis capitur.

1606. Bellum inter Pontificem & Venetos. Mors Justi Lipsii, Litteratorum celeberrimi. Aloysius Gonzaga S.J. Beati titulô decorantur, bienniô ante ipsum Sanislaus Kostka. Induciæ XV. annorum inter Cæsarem & Turcos. Jacobus Rex Angliæ jubet se, ut supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput coli. Sævit in Catholicos. Sigismundus Rex Poloniæ rebelles Heterodoxos compescit. Demetrius Moscorum Dux exemplum Tragicum.

1607. Moritur Cæsar Baronius Card. egregius Scriptor Histor. Ecclesiasticæ. Rebellio Ungarorum Haiduccorum contra Rudolph. Cæs. Antiqua orthodoxa Religio in Anglia in Calvinismum deformatur, & *Reformata* vocatur.

1608. Rudolphus II. Imp. cum Matthia fratre colliditur. Donawerda à Bavaris capitur. Carolus III, Dux Lotharingiæ, decedit. Succedit Henricus II. S. Francisca, Vidua Romana, Cœlitum fastis adscribitur. Gabriel Bathorius Transilvaniam per conjurationem obtinet.

1609. Induciæ annorum XII inter Hispanum & Batavos. Jus, lis, & bellum inter Neoburgensem Ducem & Brandenburg. de hæreditate Ducis Juliacensis. Maurorum ex tota Hispania expulsio. Sectarum Calvinianarum inter se digladiationes in Batavia. Victoria Polonorum contra Suecos & Moscos. Ferdinando, Hetruriæ Duci, succedit Cosmus II. Initium Ligæ seu Fœderis Catholici Herbipoli. Conspiratio Acatholicorum Principum & Civitatum Halæ Sveviæ. Ignatius Lojola à Paulo V. Beatis publicè annumeratur. Moritur Fridericus IV. Palatinus Elector, succedit filius cognominis.

1610. Henricus IV, Galliæ Rex, nefariè perimitur: succedit Ludovicus XIII. annor. 9. Origo Monialium, quibus nomen à Visitatione. S. Carolus Borromæus Card. inter Divos consecratur.

1611. Smolenskum à Polonis expugnatum. Gustavus Adolphus Carolo Patri in regnum Sueciæ succedit. Christiernus IV. Rex Daniæ Calmariam & Elsburgum Suecis eripit. Hussitæ Pragæ tumultuantur. Matthias Austriacus à Pragensibus Rex adoptatur Bohemiæ. Ursulinarum institutio.

1612. Rudolpho II. Imp. postquam regnâsset annos 35, succedit Matthias. Poloni cæduntur à Moscis. Turbæ Transilvaniæ sub Gabriele Bathorio. Franciscus II, Dux Mantuanus, absque virili prole decedit. Hinc turbæ bellicæ propter successionem. Rex Maroci regno pellitur. Michaël Fedrowitzius Moscoviæ coronam crudelitate rapit. Obitus

tus Francisci Gonzagæ Ducis Mantuani; & Ernesti Ducis Bavariæ Archiep. Colon. cui subrogatus frater Ferdinandus. Cultus Divinus & literarum studia mirè passim promoventur per Patres Soc. J. inquit Bucelinus in Nucleo Historico.

1613. Bethlem Gabor Transilvaniæ principatum occupat, occisô Bathoriô. Persarum victoriæ contra Turcos. Pax inter Suecos & Danos. Friderici V. Palatini Comitis & Electoris nuptiæ cum Elisabetha Jacobi Regis Angliæ filia. Item Monachii Bojorum Wolfgangi Wilhelmi (qui Philippi Ludovici filius) Comitis Palatini Neoburg. &c. cum Magdalena, Guilielmi V. Bavariæ Ducis, Renatæque Lotharingiæ filia. Poloni è Moscovia pelluntur.

1614. Aquisgranum domatur à Cæsare. Legatio Patriarchæ Babylonii Romam. Stellæ novæ apparitio. Wolfgangus Wilhelmus Princeps Neoburg. Catholicam Religionem complectitur. Joannes Sigismundus Dux Brandenburgicus, abrogatâ confessione Augustanâ, in Calvinismum abstrahitur. Bellum in Guiliel. Gonzagam Mantuanum, & Carolum Emmanuelem Sabaudum propter possessionem Montis-ferrati.

1615. Induciæ vicennales inter Cæsarem & Turcos. Ludovicus XIII, Rex Gall. ducit Annam Mauritiam, primogenitam Philippi III. Regis Catholici; hic Elisabetham, sororem Christianissimi. Concilium Trid. in Gallia recipitur. Poloni & Sueci Moscoviam invadunt. Judæi Francofurto & Wormatiâ expelluntur.

1616. Bellum inter Ferdinandum, Archiducem, & Venetos. Oritur Congregatio Clericorum Regularium Somaschæ, aliàs S. Majoli. Marcus Antonius de Dominis, Archiep. Spalatensis, à Catholica Re-

Religione deſciſcit, hæreſes ſpargit, & anno 1624 Romæ in carcere decedit; ejus libri cremantur.

1617. Jubilæum Proteſtantium. Ancræus, alter in Gallia Sejanus. Achmeti Turc. Imp. ſuccedit Muſtapba, & huic Oſmanes. Inventio Terræ Auſtralis. Batavorum in ſectarum varietate diviſio. Inſtituta Congregatio Fratrum Joannis Dei ad ſuſcipiendos & fovendos pauperes infirmos. Matthias Imp. Ferdinandum (poſtea Cæſ. II.) Archiducem, Bohemiæ & Ungariæ Regem in filium adoptat.

1618. Cometa horribilis, diuturni belli prodromus in Germania. Pax in Italia, & inter Turcas ac Perſas. Turbæ Griſonicæ. Plurs oppidum Rhætiæ ſeu Griſonum collapsô monte oppreſſum. Cæſaris Miniſtri Pragæ per feneſtras præcipitantur. Obitus Matthiæ Cæſaris. Pax in Iſtria & Forojulio inter Ferdinandum Archid. & Venetos. Comes Mansfeldius Bohemiam infeſtat.

1619. Jubilæum univerſale indictum. Bohemiæ rebellio. Matthiæ Imperatori, qui regnavit an. 6, ſuccedit Ferdinandus II, ipſius patruelis, filius Caroli Archiducis, ante annum Ungariæ & Bohemiæ Rex coronatus. Vienna obſidetur à Comite Turriano. Fridericus, Comes Palatinus, Elector à rebellis Bohemis Rex coronatur. Bethlehem Gabor invadit Ungariam. Continuantur diſſidia inter hæreticos Hollandiæ Arminianos. Gomariſtas, alióſque. Inſtituitur in Moravia Ordo militaris ſub protectione B. V. S. Michaëlis & S. Franciſci, ad Propagationem & Defenſionem Reip. Chriſtianæ.

1620. Inſignis victoria Pragenſis relata à Maximiliano, Bavariæ Duce, & Bucquojo; fugatô Frideri-

dericô. Henricus Tampierius celebris ſtratégus, cadit ad Poſſonium. Joannes Georgius Saxoniæ Elector, nomine Cæſaris Luſatiam occupat; quam deinde fiduciario jure poſſidendam accepit.

1621 Paulo V, poſt 15 annos regiminis, ſuccedit Gregorius XV. Coſmo II, Hetruriæ Duci, ſuccedit Ferdinandus II, decem annorum puer. Philippo III, Hiſpaniarum Regi laudatiſſimo, ſuccedit filius, Philippus IV, annorum 16. Fides Catholica in Bearniam Galliæ introducta. Turci cæduntur à Polonis. Carolus Bucquojus ad Neoſolium in Ungaria occumbit, ſtrenuus belli dux. Mortuô Albertô Archiduce. Iſabella Clara Eugenia, vidua, fit gubernatrix Belgii. Parlamenti Anglici contra Miniſtros regios inſolentia. Rhæti ſeu Griſones ab Hiſpanis & Archiduce Leopoldo domantur. Obitus Roberti Bellarmini S. J. Cardinalis. Inter exempla tragica Rodericus Calderonius, Comes Olivæ, in Hiſpania.

1622 Gregorius XV. refert in numerum Sanctorum Iſidorum, Agricolam Hiſpanum, Ignatium Lojolam, Inſtitutorem S. J. Franciſcum Xaverium Soc. J. Indorum Apoſtolum, Tereſiam, Virginem, fundatricem Carmelitarum Diſcalceatorum, & Philippum Nerium, Auctorem Congregationis Oratorii. Idem Fr. Petrum de Alcantara, Ordinis Minor. ſtrictioris obſervantiæ Beatum declaravit. Inſtituit quoque feſta S. Annæ & S. Joachimi; ſeverúmque Decretum pro honore Conceptionis B. V. Mariæ edidit. Inſtituta ab eodem Congregatio de propaganda Fide. Durlachius, Marchio, à Tillio cæditur ad Wimpfenam oppidum ad fluvium Neccarum. Inferior Palatinatus ſubigitur à Cæſarianis. Mansfeldius atteritur. Oſmanes Turcarum Imp. ſtrangulatur; Muſtapha patruus è carcere in

 ſolium

solium revocatur. Bibliotheca Palatina Romam defertur.

1623. Gregorius XV. post duos annos Pontificatus, succedit Urbanus VIII. Bethlemus iterum Ungariam infestat cum 80000 Turcarum. Dux Brunsvicensis Christianus à Tillio cæsus ad Statlonam, oppidum ditionis Monasteriensis. Tartari à Polonis clade affecti. Carolus, Jacobi Angliæ filius unicus, post irritos tractatus nuptiarum cum Maria, sorore juniore Philippi IV, ducit Henricam Mariam, sororem Ludovici XIV. Maria Hispana nupsit an. 1630 Fedinando III, tunc Regi Ungariæ. Mustapha de solio deponitur, imponitur Amurates IV. Maximilianus V, B. D. renunciatur Elector S. R. I. exauctoratô Fridericô Palatinô.

1624. Breda capitur à Spinolâ. Decertationes Hispan. & Gallorum de Valle Telina. Obitus Henrici, Ducis Lotharingiæ, sine prole mascula; cujus filia Nicolaa natu major successit in principatum, nupta Carolo, patrueli suo, filio Francisci Comitis Vaudemontii, fratris prædicti Henrici. Batavorum in Indiam excursiones. Tartari cæduntur à Polonis: Reformatio Religionis in Austria, Bohemia, Moravia. Franciscus Borgia S. J. inter Beatos adscribitur.

1625. Jubilæum solemne Romæ. Elisabetha Portugalliæ Regina, in Sanctarum, Felix Capucinus in Beatorum Catalogum relati. Mors Jacobi, Regis Angliæ, successor Carolus filius. Bellum inter Sabaudum & Genuenses. Dux Saxoniæ Altenburgicus à Tillio superatur. Halberstadius & Mansfeldius hostiliter grassantur. Angliæ, Daniæ, Sueciæ Reges fœdus quindecim annorum cum Hollandis ineunt. Ferdinandus III. Rex Hungariæ inauguratur. Jacobo Angliæ Regi succedit filius Carolus.

Breda capitur à Spinola Hispanorum archistratégo post XI. mensium obsidionem. Gustavus Rex Sueciæ multa loca occupat in Livoniâ.

1626. Rex Danus à Tillio profligatur ad Lutteram oppidum Brunsvicensis ditionis. Tumultuantes in superiore Austria rustici à Pappenheimio subiguntur. Gustavus Adolphus, Rex Sueciæ, invadit Borussiam. Pax Rhætica. Religio in superiore Palatinatu instauratur. Mansfeldi clades & mors. Turcæ à Persis magnam cladem accipiunt. Persecutio Japonica. Reliquiæ S. Norberti transferuntur Magdeburgô Pragam. Leopoldus, Cæsaris frater, ducit Claudiam Florentinam.

1627. Austriâ ejiciuntur á Fide Romana alieni. Danus iterum à Tillio cæsus. Horrendus terræ motus in Apulia. Moritur Vincentius Mantuæ ac Montisferati Dux, sine liberis, cui succedit Carolus Gonzaga, Dux Nivernensis, jure agnationis, non sine contentione. Ferdinandus III. Rex Romanorum creatur. Fridlandus Dux cum Cæsariano milite invadit Holsatiam & Daniam. Ferdinandus II. pacem init cum Amurathe IV. Turcarum Imperatore.

1628. A Ludovico XIII. Rege capitur Rupella. Palatinatus superior Electori Bavariæ à Cæsare attribuitur. Electoralis Dignitas ad ejus Posteros extenditur: Duces Megapolitani ditione suâ exuuntur à Cæsare. Cædes Bucquingami in Anglia.

1629. Pax Sueco-Polonica. Pax Danica. Edictum Cæsaris de Bonorum Ecclesiasticorum restitutione. Silva Ducum à Batavis capitur. B. Corsinus Ordin. Carmelit. in numerum Divorum refertur. Cajetanus Thienæus, nobilis Vicentinus, Clericorum Regularium seu Theatinorum Fundator, Beatus declaratur.

1630.

1630 Mantua è Cæsarianis expugnatur. Caroli Emanuelis, Ducis Sabaudiæ, obitus. Succedit Victor Amedeus. Gustavus Adolphus, Rex Sueciæ, adoritur Germaniam. Pax cum Mantuano. Spinola decedit è vita. Albertus Wallensteinius Fridlandiæ Dux, exauctoratur militari imperiô. Dux Würtenbergensis cogitur reddere cœnobia. Cardinalibus attribuitur titulus Eminentissimorum.

1631 Magdeburgi excidium. Suecus, adiutus à Saxone, nostros ad Lipsiam cædit; & in Franconiam movet. Incendium Montis Vesuvii.

1632. Archistratégus Tillius ex vulnere gloriosè moritur Ingolstadii, quod frustrà obsessum à Suecis. Wallensteinio redditur imperium militare. Ad Noribergam Regi Sueco Maximilianus Elector fortiter resistit. Exinde Rex in prælio Lüzensi interficitur; in quo etiam occubuit Germanicus Achilles, Pappenheimius. Montmorantius in Gallia capite plexus. Ibi floret Cardinalis Richelius. Obitus Leopoldi Tirolens. Archiducis, & Sigismundi, Regis Poloniæ; huic succedit filius Wladislaus IV. Obiit quoque Fridericus Palatinus ætatis annô 37. Trajectum à Batavis captum.

1633. Lotharingia à Gallis occupatur. Mors Isabellæ Claræ Eugeniæ, Belgii Dominæ. Ea gubernatio tradita Ferdinando Cardinali Infanti, Regis Hisp. fratri. Tertia pars Urbis Constantinopol. conflagravit. Clerus Augustâ Vindel. expellitur. Ratisbonam Weinmarius Dux capit.

1634 Wallensteinius è medio tollitur Egræ, civitate Bohemiæ. Ratisbona à nostris recuperatur. Landishuta in Bavaria funestè diripitur à Suecis. Rustici tumultuantur in superiore Bojaria ad Oenum. Suecorum clades in prælio Nordlingiano, victore Ferdinando III. Pax inter Polonos & Moscos.

1635.

1635. Bellum Franco-Hispanicum ; ejus caussa Trevirensis Elector, ab Hispanis in custodiam datus. Pax Pragensis inter Cæsarem & Saxonem. Philippoburgum ad Rhenum munimentum à Cæsarianis intercipitur. Augusta Vindelic. à Bavaris fame ad deditionem compellitur. Induciæ Sueco-Polonicæ in annos XXIV. Obitus Serenissimæ Elisabethæ Lotharingicæ, Electricis Bavar. Nuptiæ Maximiliani cum Maria Anna, Austriaca, Ferdinandi II. filia. Augusta Vindel. fame expugnatur à Bavaricis.

1636. Ferdinandus III. in Regem Romanorum eligitur. Germani in Galliam irrumpunt, duce Galassio. Turbæ Leodienses. Nascitur Maximiliano, Electori, filius, Ferdinandus Maria. Archiepiscopatus Bremensis Friderico Daniæ Regis filio conceditur.

1637. Obitus Ferdinandi II. Imp. Piissimi Clementissimique, re & nomine, annô ætatis 61, imperii 19. Subrogatur Ferdinandus III, filius ejus ex Maria Anna, Guilielmi Bavar. Duc. filia. Batavi recipiunt Bredam & arcem Schenckiam. Obitus Caroli Gonzagæ, Ducis Mantuani, relictô successore, nepote suô ex filio, circiter octenni. E vita quoque migravit Victor Amedeus, Dux Sabaudiæ, relictis duobus filiis sub administratione uxoris, quæ soror Ludovici, Regis Galliæ, quorum major, Ludovicus Amedeus, septennis, Dux est declaratus.

1638. Weinmarius nostros cædit ad Rheinfeldam. Deditur ei Brisacum. Carolus Ludovicus & Rupertus, Comites Palatini, Friderici filii, vincuntur ab Hatzfeldio. Terribiles terræ motus in Calabria. Ludovico XIII. nascitur Ludovicus XIV, & Maximil. Electori Bavar. Maximilianus Philip-

pus

pus Hieronymus. Cosaccorum rebellio à Vladislao Rege Poloniæ domatur.

1639. Mortuô Duce Weimariô, ejus exercitus transit ad Gallos. Bellum civile in Anglia. Bannerius Suecus inferiorem Germaniam infestat. Archiduci Leopoldo Guilielmo imperium militare à Cæsare fratre committitur. Persæ à Turcis cæduntur.

1640. Casális in Italia: Atrébatum in Belgio à Gallis obtinetur. Leopoldus Archid. Suecos è Bohemia submovet. Amurati IV. Turco succedit Ibraimus frater: Georgio Wilhelmo, Electori Brandeburgico, filius Fridericus Wilhelmus.

1641. Regna Cataloniæ & Lusitaniæ ab Hispano deficiunt. In Lusitania Brigantinus Dux, Alphonsus, evehitur in solium. Mors Ferdinandi Cardinalis Hispani, Belgii Gubernatoris. Invalescit in Anglia & Scotia Magnatum (Parlamentum vocant) adversùs Regem, Carolum I, potentia. Jansenii liber de Gratia damnatur. Bannerius & Schlangius, Suecici Duces, à Cæsareis & Bavaricis victi fugatíque è Palatinatu superiore. Comitia Ratisbonæ. Albertus Sigismundus, Dux. Bav. fit Coadjutor Episcopi Frisingensis.

1642. Cædes Lamboici exercitus in agro Coloniensi. Ubiis succurritur à Cæsareis & Bavaricis copiis. Joannes Werthius, insignis belli Dux, è Gallica captivitate redux, cum Gustavo Hornio, Sueco, permutatur. Maria Medicæa, Ludovici XIII. mater, decedit Coloniæ, variis jactata casibus. Obitus Cardinalis Richelii in Gallia præpotentis, cui succedit Mazarinus Card. Dorstensonius, Suecus, Cæsarianos cædit. Galli Perpinianum in Catalaunia capiunt. Initium belli Hispano-Lusitanici. Philippus Wilhelmus, Palatinus Rheni, Neobur-

burgicus, ducit Annam Catharinam Regis Poloniæ, Ladislai, sororem. *Præliminaria* Pacis Germaniæ.

1643. Comes Gebrianus, Dux Gallicæ militiæ, ad Rottwilam occumbit. Galli ad Dutlingam prœliô superantur à Bavaricis. Bellum inter Pontif. & Ducem Parmensem propter principatum Castri, jure fiduciariô à Parmensi possessum, &, contra leges fiduciæ, nimiô ære alieno obligatum. Obitus Ludovici XIII, postquam regnavit an. 33, succedit filius Ludovicus XIV, Gall. Rex.

1644. Urbano VIII, post annos 21 Pontificatus, suffectus Innocentius X. Bellum Sueco-Danicum. Dorstensonius Galassum fugat. Georgius Ragotsius, Princeps Transilvaniæ, turbat Ungariam. Tartari à Polonis vincuntur. Galli ad Friburgum Brisgojæ cladem à Bavaricis accipiunt; sed illi potiuntur Philippoburgô ad Rhenum; &, in Belgio, Theonvillâ & Gravelingâ. Rex Carolus, Anglus, à suis prælio victus. Imperii Pacificationis Monasterii & Osnabrugæ initia.

1645. Cæsariani à Dorstensonio iterum fusi fugatíque. Gallo-Winmarienses cæsi à Bavaricis ad Mergentheimium, prope Herbsthusium. Iterúmque inter eos, apud Allersheimium, acri Marte certatum; Dux Gallorum, Anguiensis, sauciatus: Mercius, Bojorum insignis stratégus, generosè mortuus, victoriam adversum Gallos obtentam post se reliquit, non tamen integram. Michaëli Federovicio, Moscorum Duci seu Czar, succedit filius, Alexius Michalovitius. Pax inter Danos, Suecos & Hollandos. Turcæ inferunt bellum Venetis, invadunt Insulam Cretam, vulgò Candiam & Caneam expugnant.

1646. Obitus Mariæ Imperatricis, quæ fuit soror Philippi IV. Hisp. Ferdinandus IV. coronatur Rex

Rex Bohemiæ. Carolus Vrangelius, supremus Suecorum Ductor, perrumpit Germaniam superiorem; frustrà obsidet Augustam, & Galli portum Orbitellium; capiunt tamen Longónem; repelluntur in Catalonia ab urbe Ilerda; occupant in Belgio Winoxbergam, Cortracum, Mardiccum & munitissimum Flandriæ portum, Dumquercham, seu Dumkercham.

1647. Seditio ingens Neapolitana, auctore Thoma Aniellô seu Masaniellô piscatore. Sueci occupatis faucibus Brigantinis frustrà obsident Lindavium. Armistitium Ulmense inter Electorem Bavariæ & Suecos, Gallósque; sed non nisi semestre. Werthius & alii quidam Tribuni Bavarici clàm ad Cæsarem transeunt: non item milites. Seditio Weinmariensium Brisaci. Anselmo Casimiro, Electori & Archiep. Moguntino, subrogatur Joannes Philippus.

1648. Galli & Sueci fœderati, post conflictum ad Sumerhusium, in quo Cæsarei exercitus Ductor, Melander seu Holzapfelius cæsus, Bavariam vastant. Rejiciuntur à trajectu Oeni. Königsmarkius, Suecicus Dux, capit Pragam Minorem, magnásque prædas agit; à Majore strenuè repellitur. Lamboius prælió superatur ab Hassis. Pax Germanica Monasterii initur. Pax inter Hispanos & Batavos. Ferdinandus IV. diadema Hungariæ imponitur. Ladislaο IV, Poloniæ Regi, substituitur frater, Joannes Casimirus. Ibraimus Sultanus è solio & vita deturbatur, sufficitur Mahometus septennis.

1649. Pacis Germanicæ executio Norimbergæ instituitur. Carolo Ludovico Palatino Rheni, Heidelbergensi, S. R. I. Thesaurario & octavo Electori restituitur Palatinatus inferior. Carolus I, Rex Angliæ,

Angliæ, à ſubditis, publicè ſecuri percutitur. Leodium ab Electore Colonienſi ad obſequium redigitur per Maximil. Henricum V. B.D. Coadjutorem patrui Electoris, cui ſequenti annô ſucceſſit in Archiepiſcopatu Colonienſi, & Epiſcopatu Leodienſi ac Hildeſienſi. Pax inter Polonos & Coſaccos. In mari Ægeo Turcarum claſſis à Venetis per incendium penè tota deleta. Translatio Reliquiarum SS. MM. Coſmæ & Damiani Monachium ex Urbe Brema, quondam Martyrum cultrice. Imperator Sinicus, invadente regnum prædone, poſt occiſam ſuâ manu filiam, laqueô vitam abrumpit. Tartari, perfoſſô murô, magnam Chinæ partem occupant.

1650. Turbæ inteſtinæ in Gallia inter Reginam, (ſub cujus tutela impubes filius) & Principes regii ſanguinis, cuſtodiæ mandatos. Chriſtina, Regina Sueciæ, coronatur; quæ cùm nuptias abnueret, Carolus Guſtavus, Palatinus Rheni, ſtirps Bipontinæ, in Regem Sueciæ deſtinatur. Compoſitio pacis inter Archiepiſcopum Trevirenſem & Canonicos. Nuptiæ Ferdinandi Mariæ V. B.D. cum Henrietta Adelhaide, regia Sabaudiæ Principe. Carolus II, Caroli interfecti filius, ad capeſſendum regnum Angliæ & Scotiæ evocatur haud ſanè lætô initiô. Jubilæum Romæ ſolenne.

1651. Matrimonium Cæſaris cum Eleonora, Duce Mantuana, tertiâ, poſt Mariam Hiſpanam, & Leopoldinam, Tirolenſem Archiducem, Conjuge. Pacificatio inter Electorem Brandeburgicum & Palatinum Neoburgicum ratione Principatus Juliacenſis. Principes Galliæ liberantur cuſtodiâ. Cardinalis Mazarinus proſcribitur, brevique revocatur. Carolus II. cum exercitu Scotorum ab Olivero Cromwelio funditur & fugatur; Scotia ab Anglis ſubigitur. Caſimirus Rex Poloniæ, Mariam

Nivernensem, uxorem fratris ducit, & Cosaccos profligat. Maximilianus, Elector Bavariæ, annô ætatis 78, vitâ excedit cum eximia religionis, sapientiæ, fortitudinis laude. Vito Adamo Episcopo Frising. succedit Albertus Sigism. Dux. Bav.

1652. Initiô anni Maximilianus Henricus Archiep. & Elect. Colon. sacris initiatus, primam Deo hostiam litavit. Coràm Neomysta Ernestus, Landgravius Hassiæ, cum Eleonora Conjuge Professionem Fidei Catholicæ edidit. Philippo Christophoro Archiep. Trevirensi defuncto, subrogatus Carolus Casparus. Bellum inter Anglos & Batavos. In Gallia novæ turbæ ob reditum Cardinalis Mazarini. Apparet Cometes.

1653. Ferdinandus IV, Austriacus, Rex Romanorum coronatur Ratisbonæ. Wolfgango Wilhelmo, Comiti Palatino Rheni Neoburgensis, egregio Principi, succedit generosus filius Philippus Wilhelmus.

1654. Christina, Regina Sueciæ, tradit regnum Carolo Gustavo, Comiti Palatino Rheni; & Fidem Catholicam amplectitur. Ferdinandus IV. fatis concedit. Condæus Princeps regii Gallorum sanguinis partes Hispanorum amplectitur. Carolus, Dux Lotharingiæ captus, in Hispaniam mittitur. Ludovicus XIV. Rex Galliæ Rhemis inauguratur. Galli frustra adoriuntur regnum Neapolitanum. Pax Anglo-Batavica. Moscus Smolenscum recipit. Eclipsis Solaris, multorum terriculum.

1655. Innocentio X, post decem annos Pontificatus, succedit Alexander VII, gente Fabius Chisius Senensis. Bellum Succo-Polonicum. Vilna, urbs præcipua Lithuaniæ expugnatur à Moscis. Galli rejiciuntur ab obsidione Ticini, vulgò Paviæ. Motus intestini Helvetiæ.

1656.

1656. Incendium Aquisgrani. Horrida pestis Neapolitana absumpsit 400000. hominum. Joanni Georgio I, Electori Saxoniæ, succedit filius, Joannes Georgius II. Mosci invadunt Livoniam. Galli cæduntur ad Valencenas. Leopoldus Ignatius Rex Poloniæ coronatur. Poloni Warsaviam recuperant.

1657. Bellum Sueco-Danicum. Jesuitæ restituuntur in ditiones Venetas. Obitus Ferdinandi III, Rom. Imp. laudatissimi. Inde oritur interregnum Imperii. Bavarum inter & Palatinum de interregno administrando controversiæ. Cromwellus, sub titulo Protectoris, tyrannum agit in Anglia. Cracoviâ Sueci pelluntur. Urbs Monasterium à suo Episcopo & Principe Christophoro Bernardo armatâ vi compescitur. Jansenistæ Galliâ exulare & Hugonotæ templa exstructa demoliri jubentur. Ragotzius Dux Transilvaniæ è Polonia, amisso exercitu, rejicitur.

1658. Leopoldus I, Ungariæ Bohemiæque Rex, ætatis annô 18, Romanorum Imperator creatur; quinquagesimus à Carolo Magno, quem numerum prima Augusti nominis littera ominosè designat; decimus quintus ex gente Austriaca, adnumerandô Ferdinandum IV, qui designatus erat Imp. quippe Rex Romanorum electus Primus enim ex Augustissima hac familia fuit Rudolphus I, deinde Albertus I, Fridericus III, Albertus II, Fridericus IV, Maximilianus I, Carolus V, Ferdinandus I, Maximilianus II, Rudolphus II Matthias, Ferdinandus II, Ferdinandus III, Ferdinandus IV. Leopoldus Imp. in reditu Monachium deflectens, Electorem consanguineum invisit. Galli in Belgio Audenardam & Ypras occupant. B. Thomas Villanova, Archiepiscopus Valentinus, Divorum Albo adscri-

 bitur,

bitur. Philippo IV, Hiſpaniæ Regi, naſcitur ex Anna Maria, Auſtriaca, filius, qui, in honorem D. Thomæ Villanovæ, dictus eſt Thomas Carolus. Thoronium, Pruſſiæ regalis civitas, poſt ſemeſtrem obſidionem Polono redditur. Atrox inter Suecos & Hollandos, Danorum auxiliares, navale prœlium. Coſacci rebelles à Polonis denuò cæduntur. Curlandiæ Dux à Suecis capitur. Dunkerka à Gallis & Anglis occupatur. Sueci ex Holſatia & Jutia pelluntur. Cromwello ſeditioſo turbatori in Anglia ſuccedit filius Richardus, mali corvi, malus pullus.

1659. Continuatur bellum Sueco-Danicum terrâ, maríque. Danis ſubſidio venit Cæſar, Polonus, Brandeburgicus, præter Hollandos. Sueci repelluntur ab obſidione Coppenhagæ, ſeu Hafniæ. Invadunt Curlandiam, iterúmque pelluntur. Pax inter Polonos & Coſaccos, inter Hiſpanos & Gallos, inter Hiſpanos & Anglos. Magni terræ motus in regno Neapolitano.

1660. Ludovicus XIV, Rex Galliæ, ducit in matrimonium Mariam Thereſiam, Philippi IV, Hiſpaniæ Regis, primogenitam filiam. Carolus II, Rex Angliæ, in regnum reſtituitur. Carolus Guſtavus, Rex Sueciæ, mortem obit. Succedit Filius Carolus Infans. Turca Tranſilvaniam intrat, & Waradinum capit. Bellum inter Moſcos & Polonos. Pax inter Polonos & Suecos: itémque inter Suecos & Danos. Ragotzius à Turcis victus, ex vulneribus obit. Barkajus ejus loco in Principatu Tranſilvaniæ ſubſtituitur à Turcis; huic ſe opponit Joannes Kemenius, vulgò Kemini Janos. Caſtrenſis Principatus in Italia ad Pontificiam ditionem redit. Czarnekius Dux militaris in Polonia claret. Terræ motus in Gallia. Veſuvius mons flam-

flammas, cineres, lapides eructat. Incendium vastum Constantinopoli. Franciscus Josephus Borri novæ hæreseos damnatur.

1661. Carolus, Rex Angliæ, Londini coronatur; animadvertit in interfectores Parentis, & perduelles regni. Nuptias contrahit cum Brigantini Ducis sorore, Lusitana. Parisiis obit Cardinalis Mazarinus, magnæ in Aula potentiæ. Obitus Francisci Guilielmi, Cardinalis, & Episcopi Osnabrugensis, Verdensis, Ratisbonensis. Passim terra concutitur, & inde violenti venti. Nuptiæ Ducis Aurelianensis cum sorore Regis Angliæ. Urbs Monasteriensis cogitur sese dedere Episcopo suo Ferdinando Bavaro. Barkajus Princeps Transilvaniæ à Keminio capitur, & cum fratre occiditur. Regi Galliæ Delphinus nascitur. Vilna recuperatur à Polonis. Turcæ magnam partem Transilvaniæ subigunt; novum Principem Michaëlem Abaffy substituunt, interfecto à suis Kemini Jano.

1662. Turcæ & Tartari infestant Ungariam; excurrunt in Silesiam. Romæ tumultus propter Crequium, Legatum Gallicum, à Corsicis militibus injuriâ affectum. Inde bellum inter Pontificem & Gallos. Naturæ debitum solvit optimus Princeps Leopoldus Wilhelmus, Archidux Austriæ, Ferdinandi III. frater, & Ferdinandus Carolus, Archid. Dominus Tirolis. Electori Bavaro nascitur filius Maximilianus Emanuel. In Sanctorum numerum relatus B. Franciscus Salesius, Gebennensis Episcopus. Osnabrugensi Episcopo succedit Ernestus Augustus Dux Brunsvicensium & Luneburgensium. Fœdus inter Gallos, Anglos & Batavos. Pax inter Suecos & Moscos. Mutuæ cædes inter Moscos, Cosaccos, Tartaros. Dunkercha Gallis venditur ab Anglis. Bellum Hispanicum in Portugallia.

Passavium fortuito incendio fœdè deformatur. Diem supremum obit Leopoldus Guilielmus Archidux Austriæ, Ferdinandi III. Frater, Princeps bello pacéque clarus.

1663. Turcæ Novarinum in Ungaria in potestatem redigunt. Galli, Nanceiô dirutô, potissima Lotharingiæ loca sibi adjungunt. Vesuvius ardet. Pacificatio inter Pont. & Gallum. Germani cum Turcarum terrore pontem Essekensem 8565 pedum longitudine & 24. latitudine comburunt, vicinásque provincias in estant. Pax inter Polonos & Moscos. Comitia Ratisbonæ. Hispani vincuntur à Lusitanis. Hollandi in India Orientali diversas urbes capiunt. Turcæ Novarinum in Ungaria redigunt in potestatem. Tartari populantur Moraviam & Silesiam.

1664. Centesimus quinquagesimus septimus ab orbe condito Cometes illuxit. Turcæ solvunt obsidionem Canisæ: Neoserinum diruunt. Cæduntur & profligantur ab Auxiliariis Copiis, ad fanum S. Gotthardi in Hungaria. Sancitur pax seu induciæ vicennales cum iis. Arhistratégus Nicolaus Serinus ab apro interficitur. Carolus Josephus Archidux Austriæ moritur in pueritia. Moguntinus Archiepiscopus Erdfurdiám recuperat. Mosci à Polonis vincuntur: Hispani iterum à Lusitanis. Magni terræ motus per Asiam. Zeckelheida & Claudiopolis produntur à præsidiariis Abaffyo. Bellum inter Anglos & Batavos. S. Petrus Nolasco Romano Breviario insertus. Octava Officii Immac. Concept. B. V.

1665. A Cæsare splendida Legatio ad Achmet Turcarum Imp. mittitur. Anglorum victoria navalis contra Hollandos. Philippo IV. Hispaniæ Regi succedit Carolus II. puer. Intestinæ turbæ in Polonia.

nia. Mortuô Sigismundô Franciſcô Archid. Tirolis redit ad Cæſarem. Bellum inter Epiſcopum Monaſterienſem & Batavos. Iterum viſus Cometa; incertum, priórne fuerit, an novus. Obitus Mariæ Annæ, Electricis Bavariæ.

1666. Pax inter Epiſcop. Monaſt. & Batavos. Atrocia prœlia inter hos & Anglos. Memorandæ Anglorum victoriæ. Mors Alberti, Ducis Bavariæ, fratris Maximiliani Elect. Nuptiæ Leopoldi Cæſaris cum Margarita, Hiſpana, Philippi IV. natu minore filia. Alphonſi VI. Portugalliæ Regis nuptiæ cum Maria Franciſca Iſabella, Sabauda. Bellum inter Gallos & Anglos. Pax inter Suecos & Moſcos. Rebellantes in Scotia & Hibernia opprimuntur. Violentiſſimæ tempeſtates in Oceano & mari mediterraneo. Judæorum impoſtor Meſſias. Brema à Suecis obſeſſa, & in ditionem ipſorum redacta.

1667. Turcæ pertinaciter oppugnant Candiam. Horrendus terræ motus in Dalmatia. Ruina urbis Raguſæ & Butuæ! Gallus invadit Flandriam & Brabantiam, capit Duacum. Inſulas, Tornacum, &c. prætensô jure Dotis Uxoriæ. Coſacci, Tartari, Turcæ infeſtant Roxoloniam ſeu Ukraniam, Poloniæ oras. Induciæ inter Polonos & Moſcos. Sabaudus imminet Genevenſibus. Incendium urbis S. Archangeli in Moſcovia. Veſuvius ardet. Anglorum naves in portu Tameſis à Batavis exuruntur. Moritur Alexander VII. Pontif. ætatis an. 68. Pontificatûs 12. Subrogatur Julius Roſpiglioſi ætatis annorum 72. dictus Clemens IX.

1668. Pax inter Anglos & Hollandos. Rex Galliæ Comitatum Burgundiæ occupat, munimenta diruit, armamentaria evacuat. Alphonſus, Rex Portugalliæ, exauctoratur; in ejus locum Petrus frater

ter substituitur. Nuptiæ Maximiliani Philippi Hieronymi, Bav. Ducis, fratris Electoris, cum Principe Mauritia Febronia, Bullionia à Thour. Pax inter Hispanos & Gallos ratione controversiarum Belgii. Obitus Guidobaldi, Cardinalis, & Archiep. Salisburgensis. Eligitur Episcopus Ratisbonensis Albertus Sigismundus Dux Bavariæ. Per Belgium & Galliam sævit pestilentia. Fœdus triplex inter Reges Angliæ, Sueciæ & Batavos. Joannes Casimirus se regno Poloniæ ultrò abdicat. Mosci Tartaros & Cosaccos cædunt. Bellum Palatino-Lotharingicum componitur.

1669. Ordo Scholarum Piarum abrogatur à Clemente IX. Ætna horribiles flammas ejectat. Buda Ungariæ urbs ferè tota incendio perit. Salisburgi rupes ruens multa ædificia prosternit, & homines opprimit. Alphonsus Lusitaniæ Rex nuper à Petro fratre regno exutus, in Terceram insulam deportatur. Splendida Legatio Turcica ad Regem Galliæ, Princeps Michaël Wiesniowiecius proclamatur Rex Poloniè; ejus strenui competitores Philippus Wilhelmus Dux Palat. Neoburg. & Carolus Dux Lotharingiæ. In Album cœlitum relati S. Petrus de Alcantara Ordin. Min. & S. Magdalena de Pazzis, Ord. Carmelit. Obit Clemens IX. Candia seu Creta urbs & Insula à Turcis expugnatur.

1670. Rex Poloniæ Michaël ducit uxorem Mariam, Leopoldi Imp. Sororem. Judæi omnibus ditionibus Austriacis proscribuntur. Æmilius Altieri Romanus annorum 80. eligitur in Summum Pont. & Clemens X appellatur. Fridericus III. Rex Daniæ vitâ defungitur, succedit parenti filius Christiernus V. In China & Japonia fides Catholica per PP. Societatis Jesu liberè prædicatur. Cassovia in Ungaria se dedit Cæsari; Religio in eam Catholica

lica reducitur. Galli invadunt Lotharingiam. Pax inter Moscos, **Tartaros**, Polonos. **Terræ motus iterati in Tyroli.**

1671. Comes Ungariæ **Frangipanis**, **Nadasti**, **Petrus Serinus**, **Baragozius**, aliique rebellionis auctores capite plectuntur. Urbs Brunsvicensis post obsidionem se permittit Principibus suis Luneburgensibus. Stephanus Razini rebellium in Moscovia caput diro supplicio è medio tollitur. Propter reformationem Religionis rebellio crescit in Ungaria. Arabes diripiunt sepulchrum Mahometis in Mecca. Nuptiæ inter Ducem Aurelianensem & filiam Electoris Haidelbergensis; item inter ejusdem Electoris filium, & Wilhelmiam Ernestinam Daniæ Regis filiam. Magis ac magis gliscit bellum Gallico-Batavicum; commercia mutuò prohibentur. Serenissimo Electori Bavariæ Ferdinando Mariæ nascitur filius, quem Clemens X. Pont. ex baptismo suscepit, eique nomen suum imposuit. Ferdinandus III. Rex Castiliæ (qui defunctus in Sicilia anno 1252.) Breviario Romano inscribitur. S. Franciscus Borgia Soc. Jesu, S. Cajetanus Fundator Theatinorum, S. Philippus Ordinis Servorum Mariæ, S. Ludovicus Bertrandus Ord. S. Dominici, & S. Rosa ejusdem Ord. à Clemente X. Fastis Sanctorum solenni ritu inscribuntur. Escuriale nobilissimum Europæ ædificium Madriti in Hispania per pyrobolos in altum missos casu incenditur & exuritur. In eo ædificio feruntur januæ fuisse 14000. claves pondere æquabant centenarium. Laboratum in exstructione annis 27. Sumptus facti supra 20 milliones.

1672. Irruptio Gallorum in Bataviam, & complurium urbium occupatio. Rex etiam Angliæ bellum indicit Hollandis. Pugna navalis inter Gal-

los & Anglos Fœderatos ac Batavos; anceps victoria. Bellum inter Ducem Sabaudiæ & Genuenses. Carolus IX. Rex Suecorum coronatur. Caminecum caput Podoliæ à Turcis occupatur; Polonis eripiunt Turcæ totam Ucraniam & Podoliam; multa Christianorum millia in captivitatem adducuntur. Cornelius de Witt Consul Dordracensis, ejusque frater Joannes apud Batavos à furiosa plebe tanquam proditores barbarè excarnificantur. Amstelodami Typographéum nobilissimum Bläuanum conflagravit. Pius V. Pont. inter Beatos relatus.

1673. Imperatrix Maria Hispana fatis concedit. Pax inter Sabaudum & Genuenses. Novæ bellorum molitiones Turcarum contra Polonos. In Gallia moritur Casimirus, nuper Rex Poloniæ. Iniqua pax Polonorum cum Turcis. Prœlium navale cruentem inter Gallos, Anglos, & Batavos. Trajectum urbs munitissima ad Mosellam à Gallis occupatur. Leopoldus Cæsar ducit Annam Claudiam Felicitatem, Archiducissam Tirolis. Urbs Bonna ad Rhenum, sedes Archiepiscopi Coloniensis, à Cæsarianis capitur. Galli Trevirim sedem Archiepiscopi in potestatem redigunt. Michaël Rex Poloniæ moritur. Princeps Jork, Regis Angliæ frater, ducit Ducissam Modenensem, Religionem Catholicam amplectitur. Belli exordium inter Gallos & Hispanos in Belgio. Princeps Wilhelmus Fürstenbergius Coloniæ improvisô obrutus, Viennam captivus abducitur.

1674. Victoria insignis Polonorum contra Turcas. Continuatur rebellio Ungarorum. Urbs Treviris à Gallis malè tractatur. Pugna acerrima inter Cæsarianos & Gallos ad Sinzheim in Palatinatu inferiori, & alia inter fœderatos Cæsaris Batavos,

Bran-

Brandeburgicos, Luneburgenſes, Monaſterienſes, &c & Gallos ad Seneffum & Mariamontium in Belgio. Amſtelodamum fulmine, grandine, ventorum turbine miſerabilem in modum devaſtatur.

1675. Galli cæduntur ad fluvium Saram, Duce Crequio. Senior Dux Lotharingius Carolus fatis concedit. Varii conflictus in Alſatia inter Cæſarianos & Gallos. Meſſina urbs Siciliæ ad Gallos deſciſcit. Treviris à Cæſarianis armatâ vi recuperatur. Generalis Dux Gallici exercitûs Turrenius tormentario globo occiditur. Tumultus in Ungaria continuantur. Galli Burgundiæ Comitatum occupant. Fœdus inter Cæſarem & Regem Daniæ. Pax inter Anglos & Batavos. Princeps Uraniæ à Batavis hæreditarius Gubernator, & ſupremus militiæ Præfectus conſtituitur. In Regem Poloniæ eligitur Joannes Sobiewski. Pax inter Batavos & Epiſcopum Monaſterienſem. Item Archiepiſcopus Colonienſis cum Batavis reconciliatur, abdicato Gallo. Legati Gallici Viennâ & Ratisbonâ excedere coguntur. Cæſariani cum fœderatis invadunt Archiepiſcopatum Bremenſem & Pomeraniam. Wismaria in Pomerania à Rege Daniæ Suecis eripitur. Arx Leodienſis Gallis per proditionem traditur. Sueci Brandeburgenſem ditionem infeſtant; ſed mox cum magna clade repelluntur. Turcæ urbem Humanaam in Ukrania capiunt, & paſſim 80000. hominum trucidant. in Anglia nova edicta contra Catholicos, præſertim Sacerdotes, promulgantur. Annus Jubilæus per univerſalem Eccleſiam. Neomagum urbs ad Pacis negotia deſtinatur. A Fœderatis Regi Sueciæ bellum denunciatur. Ingens aquarum reſtagnatio per Hollandiam.

1676.

1676. Benedictus Odescalchi Cremonensis anno ætatis 78. in Romanum Pontificem eligitur, & **Innocentius XI. vocatur.** Philippoburgum à Cæsarianis recipitur. Nuptiæ inter Leopoldum Cæsarem, & Eleonoram Magdalenam Theresiam Ducis Neoburgensis filiam. **Galli in Sicilia dominantur; denunciant bellum Regi Daniæ; passim incendiis in pagos & oppida grassantur.** Dani & **Brandeburgici in Pomerania adversus Suecos prævalent. Pax insperata, sed non læta, inter Polonos & Turcas.**

Desiderius. Deum bonum! quot ambitiones & fraudes! quot odia & insidiæ! quot bella & paces! quot lucra & damna! quot luctus & gaudia! quantum ubique larvarum, quantum vanitatum! *Mercurialis.* Et hoc est id, quod sacræ paginæ, *Mundum* appellant. Ad hæc miseri mortales nascimur, in his vivimus, cum his morimus. Utinam benè! *Desiderius.* Enimverò, scitè longum Chronographiæ syrma in Breviarium coarctâsti, dum, quæ per vasta volumina sunt sparsa, velut in codicillô collecta exhibuisti. Hoc mihi theatridion est pro Pompejano Amphitheatro, in quod, tot seculorum gesta, tàm mirabilia induxisti, & oculis quasi ac auribus repræsentâsti. Quid jam restat? quô tendendum est ulteriùs? *Mercurialis.* Ad testem temporum, vitam memoriæ, magistram vitæ, lucem & nuntiam veritatis. *Desiderius.* Videlicet ad Historiam. *Mercurialis.* Ita est. Quòd autem scenis hisce Chronicis applaudis, vide, ne mihi tibique explosionem magis concites; neque enim deerunt, quibus Chronotaxis hæc nostra non semel videbitur hallucinata. Quos tamen haud moramur; eant ipsi vias suas; nos, Chronologiam minimè osci-

oscitantium vestigia secuti, incessimus. Si qui nobis imputaverint varios temporum errores & lapsus, & nescio quos parachronismos, anachronismos, metachronismos irrepsisse, coarguerint, eos ad diversas Chronologorum opiniones & supputationes remittimus, temporum rationes à dimidiis, integris, inceptis, finitis annis ducentium, hominúmque, & rerum celebrium, aliàs exordia, aliàs progressus, aliàs exitus in tabulas suas referentium. Hinc Criticorum jurgia, & Lectorum salebræ. Nos illa ridemus, has transilimus. *Desiderius.* Hoc quidem est, legere rosas, & spinas aliis relinquere. *Mercurialis.* Apposité. Quidam in Chronologica scientia nihil nisi contortas Saturni rugas & implexi barbitii pilos scrutantur; amœnior Eruditio explicatas amat annorum frontes & liberales facies. Mavult res ad cognitionem, quàm temporum calculos ad numerum vocare. Cæterùm inter plurima hoc seculô noviter reperta sunt: Telescopium, quô distantissima, & ipsa etiam cœlestia liquidò patent; item maculæ Solis, aliáque cœli arcana retecta. Hollandi rostratis curribus, supparis volantibus, anchorâ ad temonem appensâ, in terra velificari didicerunt.

Caput LXIX.

Historia.

PRima lex est Historiæ, ne, qui eam scribit, quid falsi dicere audeat; ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Est *multiplex*: nam vel tantùm *facta* quædam *memorabilia* (*exempla* vocant) narrantur, à reliquo historiæ corpore abscissa; vel vitâ fun- *Multiplex historiæ scriptio & genus.*

functorum *res gesta* memoriæ mandantur: vel narrantur *Tragica*, aut rariorem aliquem eventum habentia: vel scribuntur Annales. Aut conduntur *Epitomæ* seu *Synopses*: aut *Commentarii* (Diaria & Ephemerides:) aut justô volumine Regum & Ducum *acta* litteris consignantur: aut *fabulæ*, historiarum more concinnantur. *Primi* generis narrationes vel sunt fusiores, non præteritis levioribus etiam peristasibus, incuriosæ tamen sententiarum, acuminum, epiphonematum: vel sunt tales, quæ sententiis gravioribus roborentur, contentæ solô punctô historico, uti fecit Valerius Maximus, Lipsius in Politicis. *Secundi* generis exemplum videtur in Plutarcho, Æmilio Probo seu Cornelio Nepote; (nam hic, auctor; ille collector fuit) aliisque, ubi exprimitur nomen, cognomen, patria, natio, pueritia, juventus, munera Reipubl. ordo vivendi, genus mortis, cum adjecto encomio. *Tertium* genus in judiciis & causarum indagatione sibi plus indulget, eruditione plenum, premit ea, quæ historiæ caput continent, sententiásque involucrô tegit, ne descriptionibus abstinet, ut Sallustius. *Quartum*, quod est *Annalium*, strictius est phrasi, rebúsque memorandis, minutioribus plerúmque omissis: non excurrit in descriptiones, necessaria persequens, annos, Reges & Consules observans: ut Salianus, Torniellus, Baronius, &c. *Quintum* genus, videlicet Epitomarum, negligit ferè annorum & temporũ observationes, vel notandô tantũ memoratu digniora, vel ætates integras Imperatores & Reges conjungendô, ut Florus, Turselinus, Joan. Busieres, &c. *Sexti* generis, scilicet Commentaria seu Diaria, acta quotidiana quàm brevissimè & simpliciter, prout acciderunt, & quasi per capita describunt, in modum narrationis familiaris, rem potiùs quàm ver-

verba attendendò; causæ tamen rerum gestarum afferuntur; judicii parcior est usus; ita scripsit C. Julius Cæsar; Gellius de pugna Nerviorum. *Secundum* genus complectitur historiam exactam & plenam, ut est Livii, Curtii, Taciti. Et hodie Maffei, Mariani, Stradæ, &c. quæ *quatuor* integratur partibus, 1 *narratione gestorum*; 2 *descriptionibus* rerum variis, 3 *introductione* concionum, deliberationum, &c. 4 *encomiorum* & *judiciorum* expressione. *Quatuor partes historiæ exactæ.*

Narratio fit plana & exquisita, ad quam spectat non modò nitor dictionis & majestas & veritas, sed etiam judicium ipsius Historici, nec non causæ eventuum aut gestorum inexspectatorum: aut quæ viderentur imprudentibus aliter geri debuisse; nec deesse debent subindè sententiæ, maximè in laude aut reprehensione actoris. *Narratio.*

Descriptiones sunt variæ. Nam 1 est *Topographia*, seu descriptio loci, cujus est, faciem soli seu terræ exprimere, colores silvarum eminus renitentium, flumina maris & urbium, aspectum remotiorem aut propinquiorem, arces montibus impositas, aëris temperamentum, flores, plantas, aves. 2. *Chorographia* seu descriptio regionum non modò exprimit terras, adjuncta mentione maris adsiti, fluminum, nemorum, montium; sed & genium loci, fertilitatem, cœli temperiem, feras, pecora, mores gentium, vestitum, virtutes, vitia, conditorem seu auctorem gentis, ritus, ceremonias, religionem, Deos. 3. *Potamographia* seu descriptio fluminum exprimit eorum fontem & originem, ostia & exitum, flumina & amnes intercurrentes, latitudinem, celeritatem, colorem; germina, plantas, arbores riparum, arenas, saxa, gemmas, uniones, corallia, aurum, pisces, portenta, mensuram denique hydrometricam longitudinis, latitudinis, &c. 4. *Thalasso-* *Descriptionum variet.*

lassographia seu descriptio maris explicat naturam aquæ, saporem, fluctus, tempestates, æstus, & æstuaria, littora & portus, monstra, &c. Ventorum quoque, quibus illud mare perflatur, lenitatem, temperiem, violentiam. Insulas item terræ quaquaversùs adsitas. 5. *Oreographia* seu descriptio montium exponit arbores & regiones, quas utrinque percurrunt amnes & flumina, quæ emittuntur è radicibus aut petris, locorum aspe-rum vel mitem genium. 6. *Cepographia* seu descriptio hortorum describit sepimentum, ambitum, situm, plantaria, pometa, floreta, seu viridaria: distributionum areolarum, flexus viarum, flores eminentiores, xystos hortenses, ambulacra frondibus intexta, fontes salientes cum simulacris ligneis aut marmoreis, piscinas cum cygnis & anatibus, aliisq; innatantibus. 7. *Hylographia* seu descriptio silvarum complectitur genus arborum, densitatem aut raritatem, unde opacitas aut lux, vias aut anfractus, voragines faciles & pervias, aut difficiles & invias, juga & saxa imminentia, amnes & torrentes, fonticulorum copiam; soli pinguedinem aut sterilitatem, feras & serpentes. 8. *Crenographia* seu descriptio fontium depingit umbram, marginem, flores, aquæ frigus, claritatem, saporem, commoda. In artificiosis situm, statuas, siphunculos, copiam, impetum, cadentis undæ strepitum, & sæpe conchis æneis propulsos globulos, quos perpendiculari aquarum exultatione in altum ejectos eadem, quæ expulit, patella recipit. 9. *Poliographia* seu urbium descriptio affert conditorem, locum, situm, , mœnia, propugnacula, firmitudinem & materiam murorum, formam, in quam muri excurrunt, spatium ambitûs, ædificiorum elegantiam, pretium, altitudinem, aut contrà; divisionem re-

gionum

gionum seu platearum, an sint ex arte Architectonica, necne: templorum, turrium, palatiorum, monimenta antiquitatis, aquam aut fluvium urbem secantem, pontem & ejus materiam, incolarum multitudinem, mores, copias, divitias, negotiationem, Leges, Magistratus. 10. *Oecographia* seu descriptio domûs delineat structuram, usum, commoditates, (ab horto, puteis, &c.) viciniam, quatuor cœli plagas. 11. *Chronographia* seu descriptio temporis, scilicet diei, noctis, anni quatuor temporum, meridiei, vesperis, auroræ, ortûs, tempestatum, &c. 12. *Prosopographia* seu personarum descriptio indicat habitum corporis, mores animi. 13. *Pragmatographia* seu negotiorum descriptio explicat itinerum amœnitatem vel difficultatem, eventus & casus, tàm à natura, quàm à malitia profectos, transitus fluminum, navigationes, naufragia, naumachias, obsidiones, & expugnationes urbium. 14. *Machographia* seu prœliorum & conflictuum descriptio exponit profectionem seu expeditionem per facilia, difficilia, terras, flumina, itinere diurnô, nocturnô, celeri, tardô, animis alacribus, timidis, castrorum locum, delectum, vallum, munitionem; si prudenter aut imprudenter ab Imperatore posita: armorum genus & exercitûs, gentes, populos, nationes, equites, pedites, velites, sagittarios, impedimenta, subsidia, cornua, frontes, alas, & omnem agminis figuram, additô militum numerô. Ante conflictum animorum habitus, alacres, trepidos, silentium, clamores, adhortamina ducum utriúsque partis, signum tubæ & tympanorum; conflictum ipsum, laborem cornuum, cædes, sanguinem, fugam, victoriam, captivos, spolia, numerum cæsorum, gratulationem, supplicia (supplicationes) ad Superos.

15. *Limographia* seu pestilitatis descriptio causas affert luis ex terra, ex tempore, hominum egentium multitudine; adducit initia contagionis sive à brutis, sive ab hominibus; ostendit obseratas & proscriptas ædes, clausas tabernas, indictum justitium, prohibitas merces & esculenta noxia, ditiorum utriusque conditionis fugam, pauperum desertorum inopiam, crebrescentia sensim funera, ex omni civium ordine: supplicationes, & animorum mutationes: fœdam jacentium cadaverum faciem, copiam: solitudinem & vastitatem: reliquorum civium mœrorem squalidum, & certa damna consequentia. 16. *Pathographia* seu affectuum expressio; huc spectat materiæ aptitudo & gravitas, ut sunt funera, cædes illustrium hominum, aut innocuorum infantium, puerorum, virginum. Affectus præcipui sunt dolor, tristitia, timor, pudor, suspicio; verba sint accommodata, in exclamationem & admirationem erumpentia, mixtis interrogationibus, minas, timorem, trepidam incertitudinem, & perplexitatem indicantia: eventuum suspensiones affectum augentium, &c. Quæ omnia Poëtæ minutius persequuntur.

Conciones *Pars tertia* historiæ sunt *Conciones*, & his affinia. Fiunt vel nomine ipsius Actoris, vel ipsomet Actore introductô; debent autem esse breviores, ita ut argumenta spargantur magis, quàm extendantur; sententiæ crebræ & potentes, admixtis refutationibus, v. g. in re militari timoris hostium: aut in civilibus adversæ sententiæ; adduntur similitudines, deliberationes & consilia alia, petitiones, supplicationes, &c.

Encomia & judicia pars quarta historiæ. Pars quarta *Encomia* & *Judicia*; subjungendô *laudationem* victoriis insignioribus, funeribus, excidiis urbium; homines dilaudantur, aut vituperantur à nata-

à natalibus, forma corporis, indole animi, moribus vitæ: quales per gradus ætatis se præbuerint, quàm utiles ac noxii Reipublicæ. Urbes commendantur à conditoribus, firmitate mœnium, ambitu, incolis, eorum felicitate, frequentia, mercimoniis, utilitate, &c. *Judicia* sint brevia & nervosa, maximè politica, nec nimis crebra.

Octavum genus historicum, ex fabulis contextum, requirit materiam ut jucundam, sic honestam: distribuit personas habitâ ratione regionum, præsertim primarum partium *Actores*, variis inter se vel casibus, vel consiliis, vel fortunæ vicissitudinibus jactandos, commiscendos, affectibus implicandos. *Personarum* præcipuæ tardiùs agnoscuntur: multa principiò credita, procursu scriptionis, falsa & controversa deprehenduntur; mens lectoris identidem ad nova cognoscenda rapitur, immixtis narrationibus, vel amœnissimis, vel tristissimis; quæ & ipsæ interventu novorum gestorum intercipiuntur, cum dolore legentium; amissa insperatissimò eventu reperiuntur; personæ redeunt, cùm minimè cogitantur: miracula crebrò sparguntur, quæ, errore depulsô, inveniuntur naturæ viribus perfecta; admirabilitas movetur variè; insperatum in rebus afflictis auxilium, personarum principalium diversæ affectiones, earúmque crebri errores, itinerum diversi casus, &c. Dictio est nervosa, mascula, florida, sententiis & adagiis impleta, audax metaphoris, supra legem historicam insurgens ac intumescens; quo in genere excellunt Æthiopia Heliodori, Argenis Barclaji, Utopia Bidermanni, &c.

Desiderius. Andabatâ sim, & meracô cœcutiam die, si ad lucem hanc historiam, quàm oculis meis tàm clarè infers, non discam, quæ sint *historiologiâ* dis-

discrimina, quæque in ejus ſtilo diverſa temperamenta. *Mercurialis.* Boni conſule, *Desideri*, ſi quæ de *Hſtoriographia* attuli, plusculùm ad normam ſcholaſticam accommodavi. Arcaniora hiſtoricorum myſteria te docebunt alii. Hîc tu cave, ne periculoſis te erroribus induas, ſi non ſatis noveris ordinem temporum, ſcribentium ætatem, patriam, religionem, mores, ſtudia, affectus, &c. dum aut ſua aut aliorum commenta, pro hiſtoria, hoc eſt, ficta pro factis callidè venditant, vel certè adferunt multa, ab Authorum ſenſu detorta, truncata, debilia, malâ fide aucta, vitioſè citata, ad ſolam oſtentationem & artem faciendi fuci compoſita; univerſim talia, quæ limpidum veritatis fontem turbant ac inficiunt, ſitientique lectori limum pro lympha, toxicum pro antidoto propinant, non ſine verborum lenocinio & ſtibio meretricio, quô non tàm Veneres ſuas, quàm Venerem adornant; hoc præſertim tempore, quô cacoëthes ſcriptitandi & mentiendi ad inſaniam usque plurimos otiô abutentes invaſit, juratos veritatis hoſtes, nec aliâ luce dignos quàm Vulcani. *Desiderius.* Ita eſt, ut loqueris. Voluſianis hoc genus chartis paſſim officinæ librariæ ſcatent. Ego, in delectu Scriptorum, illud mihi occinam: Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto. *Mercurialis.* Rectè verò. Nunc ad Morum Magiſtram Ethicam.

CAPUT

Caput LXX.

Ethica; speciatim Prudentia.

PHilosophia Moralis partitur in *Ethicam*; *Oeconomicam* seu Domesticam; & *Politicam* seu Civilem. *Prima*, quam Aristoteles distribuit in decē libros, docet, quomodo moderandæ animi affectiones, & quid justitia, honesta amicitia & vera virtus requirat. *Altera*, duobus ab eodem comprehensa libris, erudit, quomodo in familia vivendum, quid ad progenitores spectet, quid ad virum, uxorem, liberos, servos, & universam domûs administrationem. *Tertia*, octo contenta partibus, respicit Rempublicam, & instruit tam eos, qui præsunt, quàm qui subsunt, ad finem Boni publici consequendum. Nos disseremus hîc, quæ *Ethicæ* strictiùs, hoc est, primò modô sumptæ sint officia; adeóque, quomodo quis sit informandus de recto sui ipsius regimine. *Partitio Philosophiæ Moralis.*

Variè de *Bono* disputârunt in Ethicis veteres Philosophi, hoc est, de re omnibus appetenda, déque ejus distributione in Honestum, Utile, Jucundum; tum de felicitate, quæcum eo Bono conjuncta est: quam aliqui constituerunt in bonis externis seu Fortunæ, ut divitiis, potentia, honore, gloria seu fama. Alii in bonis corporis, ut valetudine, pulchritudine, robore, voluptate. Alii in bonis animi, videlicet Virtute; & rectè. Ea verò beatitudo, quæ consequitur mortali vitâ functos, est adeptio ac possessio finis ultimi, hoc est, Dei.

Humanarum actionum, quæ utique à liberâ proficiscuntur voluntate, *bonitas* vel *malitia* desumitur ab objecto. Quæ num possint esse *indifferentes*, hoc est, mediæ inter bonum & malum, non est hujus loci disceptare. *Facultatem Appetentem*, jam suprà dixi- *Inquisitio Boni.*

diximus, esse duplicem: *alteram* vim irascendi & quasi propugnatricem cupiditatum, dum arma corripit, certátq; adversus ea, quæ res gratas ac jucundas impediunt, noxiásque conantur invehere; *alteram*, vim seu inclinationem cupidinis ad consectanda sibi convenientia, & fugienda contraria.

In quibus appetitionibus cùm concitatio quædam aut remissio motionis, atque adeò immutatio in corpore interveniat, oriuntur inde variæ affectiones, Græcis πάθη, vulgò *passiones*; quibus quia virum sapientem vacare volebant Stoici, conabantur introducere ἀπάθειαν, seu animi tranquillitatem, nullis affectuum motibus obnoxiam, seu motionum omnium vacuitatem.

Permotiones animi. Numerantur autem *permotionum*, seu *perturbationum, jactationum animi*, undecim. Nam principiò res objecta proritat animum, atque ad se attrahit & inclinat; & hæc propensio dicitur *amor*. Quòd si illicò non obtineatur, incitat appetitum ad illam procurandam; & hoc est *desiderium* boni absentis. Quam si adipiscatur, efficit in animo quietem & pacem, seu delectationem, lætitiam, sive *gaudium* ob præsentiam boni possessi. Eundem ex opposito affectum gignit res mala, appetitioni per imaginationem proposita; & primò quidem per aversionem, quâ conatur eam à se removere, appelatúrque *odium*: deinde per studium rem illam propellendi; dicitúrque *fuga* seu abominatio mali absentis. Quòd si malum adhærescat, nec possit profligari, nascitur dolor seu *tristitia* propter rem adversam præsentem. Si bonum ita cupiditati repræsentetur, ut obtineri queat, efficitur *spes* illud consequendi: contrà *desperatio*, si nequeat obtineri. Quòd si verò malum futurum ægrè averti queat,

con-

confidat tamen homo, ſe illud depulſurum, naſcitur *audacia*, ſin minùs, *timor*. Si malum ſive reipſâ ſive imaginatione adſit, conſurgit *ira*, & illud ejúsque auctores è medio tollere conatur. *Zelotypia* & *gratia*, referuntur ad amorem: *æmulatio* ad deſiderium: *miſericordia* & *invidia* ad dolorem: *admiratio* ad lætitiam; *verecundia* & *reverentia* ad timorem: *indignatio* ad iram.

His ita præmiſſis; ſapientia prima eſt, ſtultitiâ caruiſſe: éſtque hoc ipſum *Virtus*, perfectio ſcilicet animi conſtans, conveniénsque, laudabiles efficies eos, in quibus eſt. *Vitium* contrà (pravitas animi, labes, depravatio, vitioſitas) vituperabiles reddit, quibus inſidet; illa in mediocritate conſiſtit: hoc in exceſſu ſeu exuperatione, & defectu ſeu defectione; nam aut excedere decórum, aut ab illo deficere, eſt utique in culpa ponendum; cujus *gradus* ſunt complures. Nempe, ſiquis improbè agit ex incogitantia aut fragilitate naturæ, eſt *delictum* ſeu *noxa*; ſi cogitatè, *facinus*: ſi ſtudio, *nequitia*: ſi enormiter, *ſcelus aut flagitium*: ſi malitioſè, ut aliis fiat ægrè, *perverſitas*: perverſum autem non pudet malitiæ; & qui non reſiſtit conſuetudini ſenſim obrepenti, fiet inemendabilis.

Virtus in quo conſiſtat, & vitium.

Tu, ſi vis teipſum regere, præcognoſcas inclinationes naturales, quò illæ te rapiant, quomodo obſequendum illis aut obſiſtendum, ne extra limites abeant; deinde, ne ignores illa objecta, in quæ propenſiones tuæ feruntur; tertiò; ne lateant te invitamenta & irritamenta, à quibus huc illuc traheris.

Atque ut dilucidiùs capias, quid ad officium hominis pertineat, boni præſertim Chriſtiani, ſcito, præter varias alias diviſiones, *Virtutes* quaſdam eſſe

Virtutum diviſio.

à Deo *infusas*; quasdam studiô & actione *acquisitas*; iterúmque alias *Theologicas*; circa Deum proximè versantes; alias *Morales*, quod mores hominum secundùm veræ rationis præscriptum dirigant, ac componant. Illæ sunt Fides, Deum respiciens ut Veracem: Spes, in Deum tendens, ad beatitudinem ab eo obtinendam: Charitas in eundem fertur, ut in summum Bonum, propter semet diligendum.

Moralium præcipuè sunt quatuor, *Prudentia*, *Justitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*; absolvuntur omnes duabus partibus, *declinatione* à malo, & *operatione* boni; vocantur etiam *Cardinales*, quòd in iis veluti cardinibus omnis honestæ vitæ ratio versetur & volvatur.

Prudentia. A *Prudentia* (cujus Symbolum oculus apertus, speculum, serpens, &c.) ordiamur, quæ Virtus est, secundùm dictamen honesti præscribens, quid expetendum, quid fugiendum. Ipsa docet, quid in quovis occurrente negotio sit honestum, quid turpe; curátque, nihil ut cogites, loquaris, agas incassum aut incertum; sed omnia præmeditatò, præcogitatè, circumspectè, æstimandô rem quamlibet ex sua dignitate, sic prosequendô bona, ut assequaris: mala fugiendô, ut effugias. Et quia, mi *Desideri*, cupio ex hoc te itinere prudentiorem remittere domum; paullò pensiculatiùs (more tamen *transeuntium*) *Prudentiæ actus* explicabo; quorum *primus* est inquisitio mediorum seu modorum ad finem præstitum ducentium; quam sequitur *delectus* meliorum, eò conferentium; postea *executio* eorum, & præstatio, quæ selecta. *Partes* autem prudentis sunt: cognitio præteritorum, intelligentia præsentium; utrúmque adipiscêris vel docilitate seu disciplinâ: vel solertiâ seu excogitatione; inde judicium oritur & ratio, quæ per *providen-*

Actus Prudentiæ.

videntiam res futuras ad finem accommodat, ordinéque disponit: per *circumſpectionem* circumſtantias (*Quintil.*) negotiorum cautè diligentérque attendit: per *cautiones* declinat ac removet impedimenta, quæ accidere poſſunt.

Itáque proſpice *finem*, & diſpice *modos*, rationes, ac vias eò conducentes; attende *occaſioni*, ne elabatur, expendendô, an aliquid optandum aut inceptandum, quomodo aggrediendum, quid impedimentorum obvenire poſſit; ſtultum eſt enim dicere: *non putâram.* Finis ſemper erit, aliquid honeſtum; cui quandóque jungitur Utile, quandóque etiam Jucundum.

Media proviſe certa, facilia uſurpatu, (nam quod valdè difficile, habetur tanquam ἀδύνατον, (*Quintil.* impoſſibile) pauciora potiùs, quàm plura; ne ſibi mutuò obſtent.

Poſtquam conſtitueris finem, & denotaveris rationes, (vulgò *media*) ad eum perveniendi, præcogita modum iis utendi. Si quid obſtaculorum præcognoſcis, anteveni tempeſtivè; tum auſpicare celeriter, perge cautim, abſolvere matura ſtrenuè. Ab initio ne te præcipites præproperè agendô, nec deſiſtas ante adeptionem finis, ſeu ſcopi propoſiti.

Si ſic ages, eris providus, tametſi aliquando nos circumſpectio noſtra fruſtratur. *Vecordes* ſunt, qui appetunt illicita: *præcipites*, qui nimiùm feſtinant conſultandô: *deliri*, qui ſuſcipiunt ea, quæ fieri non poſſunt: *inconſiderati* & inconſulti, qui non ſatis attendunt ad veritatem, ſecundùm quam judicandum: *inconſtantes*, qui ceſſant à recto judicio ſemel ſuſcepto: *negligentes*, qui non inquirunt rerum agendarum, vulgò *agibilium* conſtitutionem: *anxii*, qui id nimis ſollicitè faciunt: *fucatè* pruden-

 tes,

tes, qui machinantur id consequi, quod conforme depravatæ appetitioni naturæ; *callidi*, astuti, dolosi, vafri, captiosi, veteratorii, fallaces, qui verbis alios iniquè circumveniunt: *fraudulenti*, cùm id reipsâ seu factis exequuntur: *stolidi*, qui occeptant multa, perficiunt nihil.

Prudentiæ effectus. Sed hæc strictiùs colligendô; ille *prudenter* operatur, qui præteritorum memoriam retinet, præsentium cognitione pollet, futurorum provisionem habet; qui per docilitatem & institutionem comparat doctrinam & notitiam agendorum: & per solertiam fit sagax in inveniendo & conjiciendo: per circumspectionem (accuratam considerationem & præmeditationem) advertit ea, quæ cum rebus perficiendis sunt conjuncta, scilicet circumstantias seu adjuncta: per cautionem præcavet & removet pericula & impedimenta consecutioni finis obstantia: per moderamen & attemperationem judicii (vulgò *discretionem*) occasioni se, rebus & personis accommodat, ac medium tenet; per sinceritatem aut simplicitatem, malam simulationem, dolos & fraudes excludit: per solicitudinem ejus, quod decretum est, executionem urget: per eubuliam benè consultat, vires suas ponderandô, ne quid turbidè, temerè, incuriosè, inexploratè aggrediatur: per *σύνεσιν*, seu perspicientiam, rectum judicium de rebus in consilium adductis format: per *ἐπιείκειαν* (epiikíam, seu moderationem aut æquitatem) mentem legislatoris benignè interpretatur, &c.

Prudentia Oeconomica. Atque hæc de Prudentia universim: nam Virtus hæc in varias partitiones abit. Est enim *Prudentia Oeconomica* seu Monastica, quæ in rei privatæ ac familiaris administratione adhibetur; quomodo opus

opus & fortunæ usurpandæ in emendo, vendendo, locando, permutando, donando, accipiendo: quomodo paranda & instituenda familia: quantum cibo, somno, vigiliis, labori tribuendum, &c.

Est enim *Politica*, quæ in vita publica ac civili requiritur, expendendo, quemadmodum in hominum societate degendum: quomodo verbis, moribus, exemplis colenda amicitia, violata resarcienda; odia ponenda, offensæ dissimulandæ; quâ moderatione, locô ac tempore occurrendum dissensionibus: quæ præstanda ad communem consensionem facientia, &c. *Politica.*

Est tertiò *Regnatrix* Prudentia, quæ providet, ut & opportunæ Leges malis moribus corrigendis ferantur, & si plus æquô gravent, abrogentur; tributa & vectigalia aut necessaria instituit, aut tollit iniqua; judicia ordinat; motus turbulentos & seditiones natas vel cautè disjicit, vel occurrit nascentibus; Bella consiliô magis, quàm vi & armis comprimit, cives urbésque communi pacis vinculô adversùs omnem hostem conciliat. *Regnatrix.*

Quartò *Polemica*, seu Militaris, circumspectos & providos reddit in bello vel suscipiendo vel omittendo: in deligendo milite, illúmque certâ disciplinâ continendo, exercendo, excitando, numerando; instruenda acie, prævertendo hoste; comparandis alimentis, classibus, commeatibus, stipendiis: ineundis strategematis: occultandis suis consiliis, hostium detegendis, cladem reparando, victoriâ moderatè utendo, &c. *Polemica.*

Desiderium. Si bonum, sic dicunt Philosophi, est ex integra causa, seu absoluta perfectione, malum ex defectu quolibet; quid non requiretur ad animum tot Prudentiæ actibus, ac partibus ceu numeris totidem absolvendum? Et si tantæ molis est pru-

prudenter agere; quid erit insuper temperatè, fortiter, justè? *Mercurialis.* Virtutes quodam inter se vinculô colligatæ sunt: alia pendet ex alia, veluti annuli tortiles; tu vide, unam ut tibi compares; suas illa secum adducet comites. Sed ecce, Temperantia in occursum venit nobis: alterâ manu urceolum & scutellam fictilem, alterâ frenum tenens. Componamur in tantæ Nymphæ præsentiam.

Caput LXXI.

Temperantia.

Nulla Virtus acriorem habet hostem quàm ista, est enim domesticus, & intestinâ seditione movet tumultus; blandiendô militat, amore hostilitatem exercet; perimit benefaciendô. Alia vitia sub feminæo schemate vim exerunt masculam; Intemperantia seu incontinentia quos vincit, effeminat; hoc nocentior, quò amabilior. Voluptates, inquit *Tullius*, blandissimæ sunt dominæ, majores partes animi à virtute detorquent. Circen dixeris, in aureo poculo, toxicatum philtrum propinantem; unde

Philautia, (cœcus amor sui) ingenerata nobis, optat illa, quæ hilarant; & animum illecebris illectat, quibus intricetur, ac, fucatis bonis captus, in tetra delabatur vitia, dum immoderatè obsecundat cupiditati voluptatum, opum, honorum; cui se opponit *Temperantia*, inimica libidinum, & omnium commotionum dominatrix; quæ, latiùs sumpta, actiones & affectiones quasvis inordinatas temperat & refrænat. *Strictiùs*, est moderatrix voluptatum, quæ gustu atque tactu percipiuntur. Utrúmque comprehendendô, dicere possis, esse *virtutem*, quæ intemperantes animi affectiones, circa sensuum præsertim oblectationem, cohibet.

Temperantia.

Cujus

Cujus partes sunt variæ, pro diversitate rerum, in quas nostræ cupidines tendunt, ac reprimendæ sunt.

Prima est *Abstinentia*, delectationem in ciborum usu moderans, ut ne excedatur copiâ per ingluviem; nec aviditate nimiâ; nec paratu justô exquisitiore; nec intempestivè, contra præscriptum temporis. *Partes Temperantiæ Abstinentia.*

Sobrietas immoderationem in potu castigat, quem lege necessitatis & honestatis circumscribit. Contra utramque peccant virtutem voraces & bibaces, epulones, glutones, gulosi lurcones, patinarii, manducones, catillones, comedones, phagones, liguritores, bibones, calicum trahones, ingluviosi popinones, qui se potitandô quotitiè ingurgitant, ac insaturabiles effarciunt pántices (abdomina & aqualiculos;) inebriati verò titubant, vacillant, vociferantur, brutè bacchantur, conferúntque manus, lapsant, screant, sputant, & (cum bona venia) mejunt, vomunt, & tantum non resorbent, quæ rejecerunt & evomuerunt, belli homunculi, & crudi asoti. *Sobrietas.*

Ut verò mens est perspicax & sana in corpore sano abstemiis; sic *temulentia* hebetat, & furiat potos, (appotos, potulentos;) temulenti enim fiunt turbulenti, vinolenti, violenti. Tum crapula hesterna affligat postridie caput, constante quidem mente, quam pridie evertit ebrietas. Ebrios ac ebriosos divexant cruditas, tremor, vertigo, arthritis, & alii morbi dolorifici; éque vita cruciabiliter exturbant: ecce suavitas voluptariorum! *Temulentia.*

Castitas seu *Continentia* corpus & animum continet ab impura voluptate; quæ, si est integritatis incorruptæ, virginitas dicitur: si sensus tuetur externos à rebus illecebrosis, quæ munditiæ ac castimoniæ *Castitas.*

moniæ officere possint, pudicitiæ nomen meretur; aversatúrque mollitiem & blandimenta, quibus nitor ille obfuscari & maculari queat; contrà verò lascivientem carnem asperioribus édomat. Quibus subservit Verecundia seu pudibundus rubor, qui est timor ingenuus, vel dedecoris admittendi, vel pudor liberalis, admissi.

Libido fœda. His adversatur *Luxuria* seu *Incontinentia*; aut fœda libido; dum stuprator stuprat, violat, corrumpit virginem; adulter torum polluit alienum; scortator suum; concubinarius pellicem alit, ganeo per lupanaria reptat; meretrix pudicitiam prostituit; leno & lena lenociniis alios seducunt & inquinant. Vah propudia! omnes detestandi & execrandi.

Cæterùm non sola adulteria, (aut incestus, stupra, scortationes, aut quivis illegitimi concubitus) sed & omnis Venerea salacitas, libidinosæ basiationes, (oscula, basia,) amatoriæ cantilenæ, inverecundæ collocutiones, imò obscœnæ cogitationes sunt impudicitia, animúmque cum corpore fœdant. Tu sis castus, pudicus, impollutus; absit procacitas in gestibus, obscœnitas in dictis, petulantia in factis; &, ne te spurcities ulla contaminet, præscinde libidinis invitamenta; qualia:

Otia, mensa, libri, vaga lumina, verba, sodales,
Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude, hæc fuge, vita hos.

Mansuetudo. *Mansuetudo* (lenitas, placiditas, *Gellio*) appetitum vindictæ seu iræ coërcet; cui accedit humanitas, (comitas, affabilitas) quæ in verborum suavitate vultúsque hilaritate spectatur, cum quadam animi facilitate & ingenuitate alterius sententiæ, quatenus fieri potest, acquiescentis.

Dimissio. *Submissio* (Christianis *humilitas*) omnem fastidii arro-

arrogantiam, reprimítque affectum excellentiæ sibi non debitæ, nec sua jactat, nec aliena despicit; cujus soror modestia, de qua paullò post.

Clementia (placabilitas) pœnas delicti causâ infligendas mitigat; nec rarò eas dissimulat, ubi vel exasperatio timetur, vel emendatio non speratur. Quibus *opponuntur* superbia seu appetentia inordinata eminendi; fastus, tumor mentis, jactantia, vana gloria, ambitio; durities, inhumanitas, severitas nimia, inclementia, sævitia, crudelitas, vel nimia lenitas, indulgentia, &c. *Clementia.*

Frugalitas restringit desiderium immoderatum habendi, media inter tenacitatem & prodigalitatem, opes nec coacervans anxiè, nec spernens insipienter; nec prodigens, sed comparcens; nam parsimonia est ei pro thesauro; & indigentia pro mensura; ita, ut nec scrinia aurô ac cimeliis, nec domum supellectilibus supra usum necessarium instruat; nec tamen egestatem incurrat. Contrà facit, *Avaritia* seu cupido immoderata habendi, malum inexplebile, cui perinde est, per fas ditescat, an nefas. *Frugalitas.*

Studiositas (cui administræ sunt *sedulitas* & *assiduitas*) quemadmodum animum ad moderatum scientiarum studium accendit: ita refringit aviditatem, (*curiositatem* vocamus) sciendi & cognóscendi ea, quæ non congruunt; dum quis rescisceere præter modum avet multa; aut etiam noxia & prohibita scire cupit; aut ideò tantùm scit, ut videatur scire. Tu tempera desiderium sciendi: disce non multa, sed delecta: non futilia, sed utilia; nam quædam præstat nescire; quódque tuâ nihil interest, percontari desine. Labores verò ita moderare, ut nec illis te frangas, nec, eos defugiendô, ignaviæ, pigritiæ, aut torpori cedas. *Studiositas.*

Labo-

Laboriosus esse maturè incipe, serò desine; etiam in otiosis negotiosus, ne cessandô hebescas. Licet tamen interquiescere lasso, & vires relaxatione colligere ad alacriùs resumenda, quæ tantisper seposuisti; ignavis autem semper sunt feriæ. Dum alii rerum suarum satagunt; tu tibi deesse noli; labores honestos ne detrecta, aut subterfuge; sed cum alacritate subi, orsósque urge sedulò & constanter, citra tergiversationem & dilationem, donec iis defungaris; ne sinas abire diem sine linea; & in pretio ponas quamvis temporis particulam; quid enim sumptuosius tempore?

Modestia. Jam *Modestia*, quam aliqui latiùs pro temperantia seu moderatione cupiditatum accipiunt, pressiore significatu est actuum externorum ad normam rationis & honestatis moderamen: quæ nec oris fert effrenem loquacitatem, nec oculorum protervam evagandi licentiam, odit nugas, verbis non effluit, captionibus abstinet, sugillat nihil, nemini derogat, nec sibi arrogat, frontem habet explicatam; lusui ac jocis si indulgendum, personæ dignitatísque memor nihil committit illiberale; vestium luxum molliorem ac peregrinum aversatur, munditie decoróque oblectatur. Cui se adjungit *Eutrapelia*, quæ cavet unicè, ne quid indecorum & immodicum in laxamentis animi & convictu hominum. Quibus *adversatur* immodestia, tetricitas, morositas, (morum difficultas) asperitas, austeritas, rusticitas, inurbanitas, incivilitas, &c.

Actiones Modestiæ. Tu itáque (ut ad Modestiæ & Humanitatis praxin te institutam) *modestus* eris, si demissus fueris animô, non arrogans; verecundus, non procax, non effrons; comis, non morosus, difficilis, aut torvus: taciturnus potiùs, quàm loquax: severus, quàm frivolus; ingratus est garrulus nugator,

qui

qui non veretur facta infecta loqui, & blaterans aniles ineptias blatero: & effutiens arcana sibi concredita futilis locutulejus; & qui solent interloqui importunè. Tu ergo, ubi loqui non est necesse, tace; silentii nulla pœnitudo.

Siquid inaudiisti, quod abscondendum, ne divulga, abstrude potiùs, quàm obtrude; quod tibi certò non constat, ne affirma aut nega, nedum asseveres aut inficieris. Contrà siquid dispalescit rumore, aut alius quis narrat, suadet, dissuadet, adhortatur vel dehortatur, ne repugna præfractè, néve contende obstinatè: nam æquè diffidentia atque credulitas detrimentosa, omnísque audacia contra adicendi odiosa.

Affabilis eris, si cum quolibet homine bono, nobili ac ignobili, consuetudine uti non dedigneris: & quemcunque (prout fert utriusque dignitas) adis, aut præteris, aut habes obvium, salutes amanter; salutantem resalutes comiter: discedentem à te comiteris aliquò usque; compellanti te, vel interroganti respondes placidè, abnuendô certè vel annuendô; ita omnibus poteris esse amicus, non item familiaris. *Affabilitas.*

Exhibe *candidum* erga quemlibet, quîcum tibi versandum est, citra vafritiem & versutiam: nihil mali facilè suspicare; aut illius alium insimula: siquid amicus (amiculus) deliquit, citra amarorem mone, corrippe, corrige. Sis alienus à dolo & suspicione; æquè ut à simulatione; assentationes relinque hypocritis. Adulator simulat candorem palpô & officiis: ore amicus, re fraudulentus insidiator ac versipellis veterator. *Candor animi.*

Urbanus ut sis, vide, qui utique te deceat ac dedeceat; compone te ad elegantiam, fuge rusticitatem, inter mœstos mœre: inter hilares hilaresce; *Urbanitas.*

inter jocantes etiam tua dicta & facta exorna facetis leporibus festivísque jocis. Ne sis tetricus, neque protervè dicax: ille nec profert, nec ipse ferre potest liberales jocos ac jocationes: hic lacessit alios scommatibus & dicteriis, cachinnatur inficetè, & arridet omnibus morionum ritu; civilitatis est subridere & renidere blandè: derisorum deridere stolidè: scurrarum scurrari sordidè: sannionum contemptim habere alios, exhibere despicientiam & ludibria distortis labris, exertâ linguâ, digitis in ciconiam formatis, aliísque sannarum generibus.

Concordia. *Concors* ut dicaris, vive tranquillè cum convictoribus, contubernalibus, civibus, popularibus, seu conterraneis, *Plin.* nemini invideas successus fortunatos, potiùs congratulare; subortas simultates inveterascere ne sinas: ne transeant in odium & inimicitias: rixosorum est contendere, altercari, vivere in jugi discordia: querulorum queritari, & nunquam non de aliis conqueri.

Mansueti actiones. *Mansuetus* fueris, si nec irritabilis, nec inexorabilis: non effervescens in iram, sed eam cohibens: non reponens injurias, sed sufferens. Læsit te quis? utere conniventiâ, & pudefacies illum; si pœnitet fecisse, da veniam, ignosce, & condona culpam. Si offendisti ipse, ne pudeat agnoscere offensam; offensum verò affari & deprecari, non simulatè, sed ex animo, id quidem est sibi devincire omnes.

Iracundus. At *iracundus* & sui impos, excandescens illicò, & fremens, furens, minitans, maledicens, imprecans diras, criminantem recriminans, verberantem reverberans quid proficit? perturbat res magis & exasperat alios ad belluinam sævitiam, quæ denique in homicidia erumpit; sed apage furias ejusmodi.

Gem-

Generosus animus est compos sui, tametsi indignatur indignè factis, & obloquitur malevolis, non tamen stomachatur (certè non malè sectum ob unguem;) infensus si est alicui, non ideò infestus, vitiis irascitur, non personis: mavult esse mitis, quàm trux; benignus, quàm dirus; pacare omnes, irritare neminem; atque ita concordare cum omnibus, discordare adversùs neminem. Quibus omnibus consequeris Virtutem, quam *Tullius* moderatricem permotionum appellavit, modúmque & mediocritatem, quâ honestatem & decus conservemus, ac teneamus; contrà qui agunt, intemperantes & incontinentes dicuntur. *D. siderius.* Nihil omisisse videris earum rerum, quæ ad Temperantiam pertinent. *Mercurialis.* Summatim contraxi, quæ latissimè explicari possent, si temporis & viæ ratio permitteret. Vides hanc columnam? Posuit eam pro limite Fortitudo, cujus fines nunc ingredimur. *Generosus animus.*

CAPUT LXXII.

Fortitudo.

OStensum est de rebus, quæ invitabili & pellaci jucunditate seducunt à tramite recti; sequitur, ut noverimus, quid præstandum, ne nos abducant illa, quæ conterrent difficultatibus, periculis, casibus adversis. Atque hîc opus est Fortitudine, quæ non tantùm ardua strenuè suscipit & aggreditur, sed sustinet etiam; adeóque firmitate animi ad superanda quæcunque difficilia in Virtute exercenda & vitio defugiendo occurrentia; quâ scilicet adversantia omnia propter honestatis finem, aut fortiter patiendô, toleramus, aut constanter agendô vincimus, ita, ut nec indignô

timore nec temerariâ audaciâ ab officio deflectamus, qualiacunque sint mala, quæ nos incurrunt, animi, corporis, honorum, opum, &c.

Fortitudinis partes

Partes, quas *Fortitudo* complectitur, sunt *Fiducia* seu Fidentia, seu spes boni ardui consequendi, aut mali superandi auspice Deô, Virtute duce. Ei ancillatur *Securitas* seu Tranquillitas, excludens curas inutiles, sedánsque vanos metus in re adversa perferenda & exantlanda. Utrúmque Extremum est *Diffidentia* seu meticulosa Confisio; & *Præfidentia*, seu nimia, & supra vires ac facultatem Confidentia.

Magnanimitas.

Magnanimitas est rerum magnarum appetitio & exantlatio, ac humilium & caducarum contemptio, nihil præclarum præter solam Virtutem ducens ac suspiciens, cœtera tanquam peritura despiciens. Cui adversatur *abjectio* animi, habentis cum vulgo in magnis, quæ pusilla & minuta sunt. *Magnificentia* est grandium virorum; operum & sumptuum ad publicam utilitatem aut Dei honorem effectio, & administratio ampla ac splendida.

Patientia.

Patientia est rerum adversantium, honesti caussâ, voluntaria ac diuturna perpessio, ita, ut quod tolerandum est, id feratur, si non hilariter, aut valdè promptè, saltem non gravatè, & cum tristitia moderata.

Æquanimitas.

Æquanimitas (vulgò Longanimitas) pectus munit, ne ob remotionem mali dilatam, aut boni sperati consecutionem, mœstitudine obruatur. Utriusque adversaria est *Impatientia* & *Excandescentia*.

Perseverantia.

Perseverantia (Virtutum coronis, corona & consummatio) firmat animum, & stabilit in bono, non obstante molestiâ, quæ ex illius diuturna continuatione nascitur; seu est continuus vitæ tenor, & perpetuitas in honestis & laboriosis.

Constantia.

Constantia non tantùm perfert & obdurat, perpetien-

tiendô mala, longitudine temporis molesta; sed etiam stabiliter superat Virtutis impedimenta, unde unde advenientia; quæ non rapitur alienô proluviô; si quis tamen meliora ostendat, cedit, & sequitur, cogitans, satiùs esse regredi, quàm malè progedi.

His se opponit *Levitas* & *Inconstantia*, quæ citò à proposito resilit; item *Pertinacia* & *Pervicacia* sensum suum obstinatè retinens, seu in re animo concepta persistens, inconvenienter rationi.

Harum Virtutum actiones in summam & praxin sic contrahes; ut dicas, virum esse *fortem* & *constantem*, animíque excelsi, qui adversùs omnia vitia dimicat, seipsum vincit, sibi imperat: qui nec extollitur prosperis, nec dejicitur adversis: nec consternatur ad casus repentinos, sed quærit viam, aut eos declinandi prudenter, aut, si videt inevitabiles, perrumpendi intrepidè; honesta præfert utilibus, etiam cum honoris & opum neglectu: vulgi sensum aspernatur; nihil ad ostentationem, sed ad conscientiam cuncta referens: nec mercedem ex aliorum sermone, sed suis è factis petens, altiora sectandô, & cœlo digna. Æquam servat in omnibus mentem, & ad dura occallescit. Utque nón est temerarius, se inconsultâ audaciâ periculis ingerendô; ita nec pavidus & formidolosus ea excipiendô; non murmurat, non conqueritur in rebus asperis, sed ferendo pervincit; admittit quandóque lacrimas & gemitus, non ejulationem & lamentationem; injurias non vindicat, ne maledicendô quidem; sed omnia Dei voluntati, tanquam divinæ testimonia amicitiæ, transcribit. Quem impavidum & imperterritum nec amor vitæ, nec metus mortis, aut quævis alia terricula de gradu dimovent; nullis illecebris emollitur: nemini blandus, nul-

Quis fortis.

nulli adúlans, ſtat in ſe inconcuſſus & imperturbatus, quippe cui nihil accidit vel lætabile nimis, vel nimiùm illætabile ac intolerabile.

Abjectio animi. *Contrarium* agunt fracti, molles, & puſilli animi, intumeſcunt rebus ſecundis, ſubſídunt in adverſis, ad inopina percelluntur & contremiſcunt, neſciúntque, quò ſe vertant, effeminati & trepidi ad quemvis ſtrepitum. Preſſi aliquâ calamitate, implent omnia querimoniis, plorant indecenter, ejulant, lamentantur: ægrimonia ſe emaciant, ſícque, impatientiâ ſuâ ærumnas conduplicandô, ſuccumbunt.

Audacia ſtolida. Stultè tamen & *ſtolidè audaculi* dum cupiunt defugere notam timiditatis, in contraria currunt: offerunt audacter ad negotia, quibus ſunt impares, fretíque temeritate provocant pericula, quæ poterant evitari; nec relinquunt aliquid inauſum, unde fit, ut recedant pudore dedecoris, & probri confuſi, vix ampliùs mutire aut hiſcere auſi.

Discrimen inter fortem & ignavum De cœtero inter virum *fortem* ſeu ſtrenuum, & languidum, *ignavum* deſidem hoc quoque diſcriminis eſt. Ille, quæ muneris ſui ſunt, agit gnaviter: hic deſerit negligenter; ille officium ſollicitè exequitur, hic ſocorditer; ille ſedulò, hic remiſſè: ille quietè, hic tumultuariè: ille conſideratè, hic præcipitanter: ille ſeriò ac diligenter, hic oſcitanter, properanter, feſtinanter, raptim, obiter, curſim, levi brachiô, perfunctoriè ac deſultoriè: ille tempeſtivè & ordinatè, hic intempeſtivè & confuſè: ille nihil cunctandô, hic omnia procraſtinandô. Ille nullibi non viget, hic nullibi non friget, nunquam non variat, jam reſtitans, jam reſultans, intermiſſáque reſumens, mox iterum deponens; dixeris illum Marpeſiam cautem inter aſſultantes undique fluctus ſtabilem; hunc arundinem quolibet

bet vento agitatam. *Desiderius.* Hæc ad vivum à te depicta sunt; sed cedò, quis inhabitat arcem illam in monte positam? *Mercurialis.* Themis Justitiæ antistita cum filia sua Astræa & frequenti familia. Eò concedamus, &, quantùm peregrinis conceditur, interiora lustremus.

CAPUT LXXIII.

Justitia.

JUstitia, patentiore significatu, est Virtutum omnium complexio; restrictiore, Virtus est, suum cuique tribuens; haud dubiè præstantissima; quippe quæ homines à mutuis injuriis avertit, civitates erigit & custodit, regna eminere & florere facit, pacémque in orbe constituit. Eam docti variè partiuntur; audiamus illos; nam qui benè distinguit, benè docet. Primò *Naturalis* appellatur, per quam naturâ solùm aut ratione ductrice, quod æquum est, præstamus. *Justitia Naturalis.*

2. *Legitima* (JC. *Legalis*) conformiter Legibus, ex constitutione Principis aut populi auctoritate latis, agit ea, quæ conducibilia sunt communitati, adstringendi ad parendum subditos seu subjectos per Senatusconsulta, plebiscita, decreta, edicta, constitutiones Principum, responsa prudentum, seu breviùs, Virtus est respiciens bonum commune cùm in decernendo & gubernando, tùm in obtemperando. Cujus pars est Æquitas, seu ἐπιείκεια, ab εἰκεῖος, decens, Latinis, æqua Legis) non tàm secundùm verba quàm ex mente Legislatoris) interpretatio, de qua etiam suprà. Huc pertinent Consuetudines laudabiliter à Majoribus introductæ, & usu roboratæ, *Legitima.*

Distribuens. 3. Hinc oritur Justitia *Distribuens* (JC. *Distributiva*) observatrix convenientiæ seu proportionis Geometricæ in dividendis & dispertientis muneribus, prœmiis, oneribus inter personas Reipubl. pro cujúsque dignitate & merito.

Commútans. 4. *Commútans* Justitia (JC. *Commutativa*) æquum cuíque reddit in mutuis commutationibus, contractibus, pactis, &c. secundùm proportionem arithmeticam, seu æqualitatem & congruentiam rei datæ ad acceptam. Hujus partes sunt Emptio, Venditio, Usus fructus, Usus nudus seu solus, Locatio, Conductio, Depositum, Pignoris occeptio, Fidejussio, Promissio simplex, Stipulatio, Transactio, &c.

Vindicans. 5. *Vindicans* seu Puniens (JC. *Vindicativa*) vim & injuriam vel defendendô propulsat, vel eam in nocentes aut sceleratos animadvertendô castigat.

Virtutes Justitiæ annexæ. Religio. *Virtutes* Justitiam comitantes sunt: *Religio*, quâ DEO, tanquam omnium Creatori ac Domino, debitum cultum & honorem tam internè quàm externè exhibemus; quod fit eum æstimando supra omnia, laudando, promptis non minùs quàm supremis obsequiis colendo; ejusdem amicos ritè venerando, sacrificia, vota, juramenta reverenter faciendo, nósque totos ei consecrando; quæ omnia vulgari vocabulô *Pietatem* vocamus; hanc Ascetici libri *Devotionem* appellant, quæ apud Latinos execrationem significat & diras. Religioni adversatur *Superstitio*, quæ est cultus vitiosus veri vel falsi Numinis; éstque duplex; *alia*, cultûs indebiti sive incongrui, cùm Deus verus colitur, modô non licitô, tribuendô ei cultum vel falsum & perniciosum, vel superfluum; *alia* est, ratione rei cultæ, cùm scilicet cultus, Deo debitus, rei creatæ defertur. Sed de his alibi plura. Huc revocatur *Pœnitentia*

Superstitio *Pœnitentia.*

tia, quæ est Divini Juris læsi reparatrix, quâ delicti admissi pœnitudine ducimur, &, per dolorem ac detestationem illius, ablatum quasi, Deo honorem reddere studemus, cum proposito emendationis; accedente vel ultro susceptæ afflictationis vel imperatæ satisfactionis opere; *brevius*, dixeris esse detestationem peccati, cum efficaci voluntate, Deo per illud offenso, satisfaciendi.

In comitatu Justitiæ posteriùs sequuntur istæ.

1. *Pietas*, quæ est contestatio nostri amoris erga illos, à quibus vitam accepimus, nempe Deum, (de quo paullò antè) parentes, patriam, cives, & eos, qui nobis parentum locô debent esse, scilicet sanguine junctos; contraria Impietas. *Pietas.*

2. *Observantia*, & veneratio Majorum, vel ætate, dignitate, sapientiâ, virtute præcellentium, quibus omnibus exhibitio cultus & honoris debiti præstanda; *adversatur* irreverentia & despectio. Hujus assecla est *Obedientia*, seu prompta voluntas parendi Superiorum præceptionibus, eorúmque jussa exequendi, reclamante *Inobedientia*. *Observantia.*

Gratus animus (quibusdam Gratitudo) est, quâ beneficia ab aliis in nos profecta agnoscimus, æstimamus, laudamus, & datâ opportunitate ac facultate, remunerari & rependere, redhibere, reddere, referre decernimus. Seu *breviùs*; Virtus est, quâ bene meritis non gratiam habemus solùm & agimus, sed etiam, cùm possumus, referimus. Contrarium agit *Ingratitudo* (*Val.*) seu animus ingratus. *Gratitudo.*

Liberalitas (benignitas, largitas, beneficentia, munificentia) ea, quæ decenter & moderatè acquisivit, sine tenacitate erogat, pro modo scilicet facultatum, & quibus oportet. Munificus sponte donat, Liberalis rogatus; ille majora, iste minora. Opponuntur Prodigalitas & Avaritia. *Liberalitas.*

inter jocantes etiam tua dicta & facta exorna facetis leporibus festivísque jocis. Ne sis tetricus, neque protervè dicax: ille nec profert, nec ipse ferre potest liberales jocos ac jocationes: hic lacessit alios scommatibus & dicteriis, cachinnatur inficetè, & arridet omnibus morionum ritu; civilitatis est subridere & renidere blandè: derisorum deridere stolidè: scurrarum scurrari sordidè: sannionum contemptim habere alios, exhibere despicientiam & ludibria distortis labris, exertâ linguâ, digitis in ciconiam formatis, aliísque sannarum generibus.

Concordia. *Concors* ut dicaris, vive tranquillè cum convictoribus, contubernalibus, civibus, popularibus, seu conterraneis, *Plin.* nemini invideas successûs fortunatos, potiùs congratulare; subortas simultates inveterascere ne finas: ne transeant in odium & inimicitias: rixosorum est contendere, altercari, vivere in jugi discordia: querulorum queritari, & nunquam non de aliis conqueri.

Mansueti actiones. *Mansuetus* fueris, si nec irritabilis, nec inexorabilis: non effervescens in iram, sed eam cohibens: non reponens injurias, sed sufferens. Læsit te quis? utere conniventiâ, & pudefacies illum; si pœnitet fecisse, da veniam, ignosce, & condona culpam. Si offendisti ipse, ne pudeat agnoscere offensam; offensum verò affari & deprecari, non simulatè, sed ex animo, id quidem est sibi devincire omnes.

Iracundus. At *iracundus* & sui impos, excandescens illicò, & fremens, furens, minitans, maledicens, imprecans diras, criminantem recriminans, verberantem reverberans quid proficit? perturbat res magis & exasperat alios ad belluinam sævitiam, quæ denique in homicidia erumpit; sed apage furias ejusmodi.

Gen-

Generosus animus est compos sui, tametsi indi- *Generosus animus.*
natur indignè factis, & obloquitur malevolis, non
men stomachatur (certè non ma è sectum ob un-
uem;) infensus si est alicui, non ideò infestus,
itiis irascitur, non personis: mavult esse mitis,
uàm trux; benignus, quàm dirus; pacare
mnes, irritare neminem; atque ita concordare
m omnibus, discordare adversùs neminem.
uibus omnibus con'equeris Virtutem, quam *Tul-
us* moderatricem permotionum appellavit, mo-
ímque & mediocritatem, quâ honestatem & de-
s conservemus, ac teneamus; contrà qui agunt,
temperantes & incontinentes dicuntur. *Desiderius.*
ihil omisisse videris earum rerum, quæ ad Tem-
rantiam pertinent. *Mercurialis.* Summatim con-
axi, quæ latissimè explicari possent, si temporis
viæ ratio permitteret. Vides hanc columnam?
osuit eam pro limite Fortitudo, cujus fines nunc
gredimur.

CAPUT LXXII.

Fortitudo.

OStensum est de rebus, quæ invitabili & pel-
laci jucunditate seducunt à tramite recti;
sequitur, ut noverimus, quid præstandum,
e nos abducant illa, quæ conferrent difficultati-
us, periculis, casibus adversis. Atque hîc opus
st Fortitudine, quæ non tantùm ardua strenuè sus-
pit & aggreditur, sed sustinet etiam; adeóque
rmitate animi ad superanda quæcunque difficilia
n Virtute exercenda & vitio defugiendo occur-
entia; quâ scilicet adversantia omnia propter ho-
estatis finem, aut fortiter patiendô, toleramus, aut
nstanter agendô vincimus, ita, ut nec indignô

timore nec temerariâ audaciâ ab officio deflectamus, qualiacunque ſint mala, quæ nos incurrunt, animi, corporis, honorum, opum, &c.

Fortitudinis partes

Partes, quas *Fortitudo* complectitur, ſunt *Fiducia* ſeu Fidentia, ſeu ſpes boni ardui conſequendi, aut mali ſuperandi auſpice Deô, Virtute duce. Ei ancillatur *Securitas* ſeu Tranquillitas, excludens curas inutiles, ſedánsque vanos metus in re adverſa perferenda & exantlanda. Utrúmque Extremum eſt *Diffidentia* ſeu meticuloſa Confiſio; & *Præfidentia*, ſeu nimia, & ſupra vires ac facultatem Confidentia.

Magnanimitas.

Magnanimitas eſt rerum magnarum appetitio & exantlatio, ac humilium & caducarum contemptio, nihil præclarum præter ſolam Virtutem ducens ac ſuſpiciens, cœtera tanquam peritura deſpiciens. Cui adverſatur *abjectio* animi, habentis cum vulgo in magnis, quæ puſilla & minuta ſunt. *Magnificentia* eſt grandium virorum; operum & ſumptuum ad publicam utilitatem aut Dei honorem effectio, & adminiſtratio ampla ac ſplendida.

Patientia.

Patientia eſt rerum adverſantium, honeſti cauſſâ, voluntaria ac diuturna perpeſſio, ita, ut quod tolerandum eſt, id feratur, ſi non hilariter, aut valdè promptè, ſaltem non gravatè, & cum triſtitia moderata.

Æquanimitas.

Æquanimitas (vulgò Longanimitas) pectus munit, ne ob remotionem mali dilatam, aut boni ſperati conſecutionem, mœſtitudine obruatur. Utriusque adverſaria eſt *Impatientia* & *Excandeſcentia.*

Perſeverantia.

Perſeverantia (Virtutum coronis, corona & conſummatio) firmat animum, & ſtabilit in bono, non obſtante moleſtiâ, quæ ex illius diuturna continuatione naſcitur; ſeu eſt continuus vitæ tenor, & perpetuitas in honeſtis & laborioſis.

Conſtantia.

Conſtantia non tantùm perfert & obdurat, perpetien-

iendô mala, longitudine temporis molesta; sed etiam stabiliter superat Virtutis impedimenta, unde unde advenientia; quæ non rapitur alienô proluviô; si quis tamen meliora ostendat, cedit, & sequitur, cogitans, satiùs esse regredi, quàm malè progedi.

His se opponit *Levitas* & *Inconstantia*, quæ citò a proposito resilit; item *Pertinacia* & *Pervicacia* sensum suum obstinatè retinens, seu in re animo concepta persistens, inconvenienter rationi.

Harum Virtutum actiones in summam & praxin hic contrahes; ut dicas, virum esse *fortem* & *constantem*, animíque excelsi, qui adversùs omnia vitia dimicat, seipsum vincit, sibi imperat: qui nec extollitur prosperis, nec dejicitur adversis: nec consternatur ad casus repentinos, sed quærit viam, aut eos declinandi prudenter, aut, si videt inevitabiles, perrumpendi intrepidè; honesta præfert utilibus, etiam cum honoris & opum neglectu: vulgi sensum aspernatur; nihil ad ostentationem, sed ad conscientiam cuncta referens: nec mercedem ex aliorum sermone, sed suis è factis petens, altiora sectandô, & cœlo digna. Æquam servat in omnibus mentem, & ad dura occallescit. Utque non est temerarius, se inconsultâ audaciâ periculis ingerendô; ita nec pavidus & formidolosus ea excipiendô; non murmurat, non conqueritur in rebus asperis, sed ferendo pervincit; admittit quandóque lacrimas & gemitus, non ejulationem & lamentationem; injurias non vindicat, ne maledicendô quidem; sed omnia Dei voluntati, tanquam divinæ testimonia amicitiæ, transcribit. Quem impavidum & imperterritum nec amor vitæ, nec metus mortis, aut quævis alia terricula de gradu dimoveat; nullis illecebris emollitur: nemini blandus, *Quis fortis.*

 nul-

nulli adúlans, ſtat in ſe inconcuſſus & imperturbatus, quippe cui nihil accidit vel lætabile nimis, vel nimiùm illætabile ac intolerabile.

Abjectio animi. *Contrarium* agunt fracti, molles, & puſilli animi, intumeſcunt rebus ſecundis, ſubſidunt in adverſis, ad inopina percelluntur & contremiſcunt, neſciúntque, quò ſe vertant, effeminati & trepidi ad quemvis ſtrepitum. Preſſi aliquâ calamitate, implent omnia querimoniis, plorant indecenter, ejulant, lamentantur: ægrimonia ſe emaciant, ſicque, impatientiâ ſuâ ærumnas conduplicandô, ſuccumbunt.

Audacia ſtolida. Stultè tamen & *ſtolidè audaculi* dum cupiunt defugere notam timiditatis, in contraria currunt: offerunt audacter ad negotia, quibus ſunt impares, fretíque temeritate provocant pericula, quæ poterant evitari; nec relinquunt aliquid inauſum, unde fit, ut recedant pudore dedecoris, & probri confuſi, vix ampliùs mutire aut hiſcere auſi.

Diſcrimen inter fortem & ignavum De cœtero inter virum *fortem* ſeu ſtrenuum, & languidum, *ignavum* deſidem hoc quoque diſcriminis eſt. Ille, quæ muneris ſui ſunt, agit gnaviter: hic deſerit negligenter; ille officium ſollicitè exequitur, hic ſocorditer; ille ſedulò, hic remiſſè: ille quietè, hic tumultuariè: ille conſideratè, hic præcipitanter: ille ſeriò ac diligenter, hic oſcitanter, properanter, feſtinanter, raptim, obiter, curſim, levi brachiô, perfunctoriè ac deſultoriè: ille tempeſtivè & ordinatè, hic intempeſtivè & confuſè: ille nihil cunctandô, hic omnia procraſtinandô. Ille nullibi non viget, hic nullibi non friget, nunquam non variat, jam reſtitans, jam reſultans, intermiſſáque reſumens, mox iterum deponens; dixeris illum Marpeſiam cautem inter aſſultantes undique fluctus ſtabilem; hunc arundinem quolibet

bet vento agitatam. *Desiderius.* Hæc ad vivum à te depicta sunt; sed cedò, quis inhabitat arcem illam in monte positam? *Mercurialis.* Themis Justitiæ antistita cum filia sua Astræa & frequenti familia. Eò concedamus, &, quantùm peregrinis conceditur, interiora lustremus.

Caput LXXIII.

Justitia.

Justitia, patentiore significatu, est Virtutum omnium complexio; restrictiore, Virtus est, suum cuique tribuens; haud dubiè præstantissima; quippe quæ homines à mutuis injuriis avertit, civitates erigit & custodit, regna eminere & florere facit, pacémque in orbe constituit. Eam docti variè partiuntur; audiamus illos; nam qui benè distinguit, benè docet. Primò *Naturalis* appellatur, per quam naturâ solùm aut ratione ductrice, quod æquum est, præstamus. *Justitia Naturalis.*

2. *Legitima* (JC. *Legalis*) conformiter Legibus, ex constitutione Principis aut populi auctoritate latis, agit ea, quæ conducibilia sunt communitati, adstringendi ad parendum subditos seu subjectos per Senatusconsulta, plebiscita, decreta, edicta, constitutiones Principum, responsa prudentum, seu breviùs, Virtus est respiciens bonum commune cùm in decernendo & gubernando, tùm in obtemperando. Cujus pars est Æquitas, seu ἐπιείκεια, ab ἐπιεικὴς, decens, Latinis, æqua Legis) non tàm secundùm verba quàm ex mente Legislatoris) interpretatio, de qua etiam suprà. Huc pertinent Consuetudines laudabiliter à Majoribus introductæ, & usu roboratæ. *Legitima.*

Distribuens. 3. Hinc oritur Justitia *Distribuens* (JC. *Distributiva*) observatrix convenientiæ seu proportionis Geometricæ in dividendis & dispertientis muneribus, prœmiis, oneribus inter personas Reipubl. pro cujúsque dignitate & merito.

Commútans. 4. *Commútans* Justitia (JC. *Commutativa*) æquum cuíque reddit in mutuis commutationibus, contractibus, pactis, &c. secundùm proportionem arithmeticam, seu æqualitatem & congruentiam rei datæ ad acceptam. Hujus partes sunt Emptio, Venditio, Usus fructus, Usus nudus seu solus, Locatio, Conductio, Depositum, Pignoris occeptio, Fidejussio, Promissio simplex, Stipulatio, Transactio, &c.

Vindicans. 5. *Vindicans* seu Puniens (JC. *Vindicativa*) vim & injuriam vel defendendô propulsat, vel eam in nocentes aut sceleratos animadvertendô castigat.

Virtutus Justitiæ annexæ. Religio. *Virtutes* Justitiam comitantes sunt: *Religio*, quâ Deo, tanquam omnium Creatori ac Domino, debitum cultum & honorem tam internè quàm externè exhibemus; quod fit eum æstimando supra omnia, laudando, promptis non minùs quàm supremis obsequiis colendo; ejusdem amicos ritè venerando, sacrificia, vota, juramenta reverenter faciendo, nósque totos ei consecrando; quæ omnia vulgari vocabulô *Pietatem* vocamus; hanc Asceticí libri *Devotionem* appellant, quæ apud Latinos execrationem significat & diras. Religioni adver-*Superstitio* satur *Superstitio*, quæ est cultus vitiosus veri vel falsi Numinis; éstque duplex; *alia*, cultûs indebiti sive incongrui, cùm Deus verus colitur, modô non licitô, tribuendô ei cultum vel falsum & perniciosum, vel superfluum; *alia* est, ratione rei cultæ, cùm scilicet cultus, Deo debitus, rei creatæ defer-*Pœnitentia.* tur. Sed de his alibi plura. Huc revocatur *Pœnitentia*-

tia, quæ est Divini Juris læsi reparatrix, quâ delicti admissi pœnitudine ducimur, &, per dolorem ac detestationem illius, ablatum quasi, Deo honorem reddere studemus, cum proposito emendationis; accedente vel ultro susceptæ afflictationis vel imperatæ satisfactionis opere; *brevius*, dixeris esse detestationem peccati, cum efficaci voluntate, Deo per illud offenso, satisfaciendi.

In comitatu Justitiæ posteriùs sequuntur istæ.

1. *Pietas*, quæ est contestatio nostri amoris erga illos, à quibus vitam accepimus, nempe Deum, (de quo paullò antè) parentes, patriam, cives, & eos, qui nobis parentum locô debent esse, scilicet sanguine junctos; contraria Impietas. *Pietas.*

2. *Observantia*, & veneratio Majorum, vel ætate, dignitate, sapientiâ, virtute præcellentium, quibus omnibus exhibitio cultus & honoris debiti præstanda; *adversatur* irreverentia & despectio. Hujus assecla est *Obedientia*, seu prompta voluntas parendi Superiorum præceptionibus, eorúmque jussa exequendi, reclamante *Inobedientia*. *Observantia.*

Gratus animus (quibusdam Gratitudo) est, quâ beneficia ab aliis in nos profecta agnoscimus, æstimamus, laudamus, & datâ opportunitate ac facultate, remunerari & rependere, redhibere, reddere, referre decernimus. Seu *breviùs*; Virtus est, quâ bene meritis non gratiam habemus solùm & agimus, sed etiam, cùm possumus, referimus. Contrarium agit *Ingratitudo* (*Val.*) seu animus ingratus. *Gratitudo.*

Liberalitas (benignitas, largitas, beneficentia, munificentia) ea, quæ decenter & moderatè acquisivit, sine tenacitate erogat, pro modo scilicet facultatum, & quibus oportet. Munificus sponte donat, Liberalis rogatus; ille majora, iste minora. Opponuntur Prodigalitas & Avaritia. *Liberalitas.*

Amicitia. *Amicitia* est mutua duorum vel plurium inter se benevolentia, Virtute fundata, & bonorum communicationi conjuncta, non sine affabilitate & comitate sermonis. Cujus tres sunt species: Naturalis erga sanguine junctos: Socialis, quam consuetudo vitæ conciliavit: Hospitalis, quâ ex aliqua commendatione aut literis cum hospitibus conjungimur.

Veracitas. *Veritas* seu Veracitas est, quâ quis verbis & factis se talem demonstrat, qualis in se est, dum, quod clausum est pectore, etiam sermone promit, & rebus ostendit. Opponitur Hypocrisis seu simulatio, quæ est significatio falsi in factis, animô fallendi; mendacium contra mentem loquitur; adhærent astutia, dolus, fraus, fucus, verborum ambiguitas, vulgò Æquivocatio. Sed Sinceritas nihil agit affectatè, simulatè, apparenter, dicis causâ; omnia potius ex vero & bona fide; cui jungit se Fidelitas, facta conformans promissis & dictis; Infidelitas est adversa.

Actiones Justitiæ. Sed nunc justitiæ & Virtutum ei subjectarum *actiones* plusculùm describamus. Nemo nostrûm nascitur sibi uni: necessitas cohabitandi consociat omnes trinâ lege, quâ quisque obligatur, 1 *lædere neminem.* 2 *tribuere suum cuique.* 3 *prodesse insuper, cuicui datur.* Justus igitur non vendicat sibi, quod alterius est; nec usurpat, insciente illô aut invitô: quod habet apud se depositum, reddit fideliter, non abnegat, multò minùs abjúrat: fraudare enim est æquè scelestum esse, ac furari. Quod *commodatò* accepit, idem redhibet, non aliud, & quidem citra damnum: pro eo verò, quod est *mutuatitium* (mutuò datum) restituit, quidem aliud, paris tamen æstimationis.

Si quis à te mutuatur, ei mutua; maximè si sti-

pu-

pulanti adstipulatus es: postula tamen *chirographum* seu syngrapham, aut *pignus*, aut *hypothecam*, aut aliam cautionem: quia opus est cautelâ ob mortalitatem & lubricam fidem hominum.

Cùm debitum exolvitur, expunge nomē *debitoris*, tradéque illi *apocham*, quâ testeris, esse tibi solutum, & te accepisse solutionem; aut des *acceptilationem*, quâ testificeris, esse tibi satisfactum, quocunque inter vos conventô modô, *F. stus*.

Injurius est sibiipsi, qui se obruit ære alienô, ut tandem cogatur cedere bona sua creditori: aliis verò injuriosus est, qui exigit, fœneratoris more, illicita fœnora supra sortem: sed qui pauperat debitorum *anatocismu*, (id est, usurâ ex usura) nequissimus usurarius est.

Tu potiùs age justè, appete nihil alieni, sta firmiter tuis promissis & pactis (sive ultro quidpiam condixisti, aut transegisti cum quopiam: sive exoratus, & quibuscunque conditionibus aut exceptionibus (si non sint mutatæ:) neque da ansam cuíque expostulandi tecum.

Jam in *dispensandis* bonis serva itidem, quod æquū & justum: collauda, commenda, promove laudabiliter agentes; reprehende, objurga, floccipende illaudabiles: miserosce delinquentium inscienter, aut præter voluntatem, seu fragilitate naturæ, imputáque errores imperitiæ & incogitantiæ; nec exprobra rigidè, aut impropera; sed, sponte suâ facinorosis, succense; eos verò, qui peccant alienô instinctu vel impulsu, non extra culpam ponito.

Pro *impetrando beneficio*, ne pigeat petere obnixè, aut etiam supplicare submissè: superbus enim mendicus nihil emendicat: importunus flagitator est odiosus, obtinet nihil: si petitum justa de causa negatur, ne obtunde, ne admurmura, ne maledic.

Si ad-

Si adsunt *competitores* beneficii, da digniori majus, indigniori minus, indigno nullum; pro beneficiis in te collatis à quocunque, ostende grati animi significationem, quod fiet, benefactum agnoscendô, prædicandô, pensandô, redhostiendo; aut saltem agendô gratias, si non potes referre: munera enim remunerari sæpe non licet; quod si tibi quis aliquid largiatur non rogatus, haud respue pertinaciter, ne videaris aspernari, tibíque vitium agrestis, inflati, ingrati animi objectetur.

Et quia viro bono & frugi haud satis est obesse nemini; sic quærit prodesse, cui cui potest præstatione gratuitorum officiorum. Quare tu, siquis indiget consiliô, aut te consulit, da ei consilium: si indiget solatiô, solare: si subsidiô, subveni: si ope, opitulare: si patrocinio, patrocinare: suggere aliquid nescienti, si tibi succurrit; seu venit in mentem: eum, qui te opperitur, ne morator: & cuicunque potes gratificari ullâ re, ne gravator; sic demereberis gratiam; inofficiosi est, velle rogari aut exspectari.

Dives es? esto igitur erga amicos munificus strenis & donariis; erga peregrinos hospitalis; erga pauperes liberalis; (etiamsi pecuniosus non sis, imperiti tamen etiam de modico, si non largiter; at liberaliter) erga miseros sis misericos, non irridendô infortunium eorum, sed commiserandô: & sic non addendô afflictionem afflictis, sed adimendô.

Si præterea fueris *obsequens*, obsequiosus *Gell.*) observans, reverens, venerans erga superiores: officiosus erga pares: lenis & placidus erga inferiores; parabis tibi amicitias veras, nec eris contemptui aliis, ut solent fastuosi, tumidi, parasiti; quin osores ipsos tibi conciliabis.

Verax

Verax ut habearis, accúra: quod obtinebis, mentiendô nunquam; nihil affingendô cuiquam, nihil promittendô oretenus; non jurandô facilè; si autem jurâsti; juramentum servandô, seu factis colendô: mendax enim, & qui dejerat, & pejerat, habet hanc pœnam perjurii, ut tandem ampliùs non credatur nec jurato, nec juranti.

Amicitiam cole non tam emolumenti, quàm virtutis causâ; sit morum similitudo, sed honestorum; diffue & dissolve, quod malè contractum; in eo, quod bene coalitum, persevera non fidus minùs, quàm constans. Ut ameris, ama, tèque amabilem redde: secretum ne prodas: delinquentem mone, vel etiam amicè objurga, vicissim ab eo corrigendus; obsequium parit gratiam, sic tamen, ut videas, cui fidas; verbô; sis amicus, sed usque ad aram.

Ad *Dei obsequia* promptum te exhibe, cave, nequid absurdè de eo sentias, deliramenta hæreticorum contemne; decentia ab illo pete; eum adora mente prostratus & corpore, tanquam auctorem & datorem bonorum omnium; ei *laudes* persolve, *sacrificia* exhibe, ejus *sacramenta* suscipe, *oblationes*, *decimas*, *vota*, *gratiarum actiones* redde. Cave, ne graviùs ipsum offendas, & si offendisti, detestare, offensam, meliora propone, & ad peccati expiationem ac satisfactionem venire contende; Cœlites venerare: quotidie in teipsum descende, dicta, facta, cogitata recognosce, conscientiam excute; siquas lapsiones atque culpas reperisti, dole, & Deum precare, quò tibi propitius ignoscat; siquid ex virtute gestum, gratus age, & auxilium perseverandi ac progrediendi in bono pete.

Desiderius. In hac arce sedem credo posuisse *Gratias*, ita oculos meos & mentem in se converterunt omnia,

omnia, quæcunque occurrebant. **Non incolæ duntaxat** ædium, sed muta etiam simulacra loqui videbantur. Hoc mihi, velim, explices in digressione ex hoc palatio, quid sibi velit signum hoc grande portæ supercilio insistens, cui faciem albus obvelat pannus? *Mercurialis.* *Fides* est, quam Cicero dictorum conventorúmque constantiam appellat; nomen habet inde, ut fiat. Velamen indicat, eam debere esse tectam & secretam, nec ullâ proditione frangendam. *Desiderius.* Intelligo. Et illæ tres virgines ex lapide fictæ quid innuunt, quòd inter se connexæ sint; quarum una aversa, quasique à nobis discedens est; aliæ duæ, vultu converso, quasi ad nos accedere videntur. *Mercurialis.* *Gratiæ* sunt Latinis, Græcis *Charites*, beneficii dati acceptique Symbola, quibus docetur, ex uno merito sequi alterum: & pro una gratia exhibita, velutique à nobis abeunte, plures ad nos ab aliis redire. Plura ne pete; neque enim urbanitas permittit, aliena in domo, otiosos oculos diutiùs circumferre. Exeamus per atrium, & ab hoc Gynæceo divertamus ad Andronem. *Desiderius.* Quid ibi visuri? *Mercurialis.* Adolescentes morum elegantiâ spectabiles. *Desiderius.* Hîc ego totus fieri cupiam oculus. *Mercurialis.* Et auris quoque; eamus.

CAPUT LXXIV.

Civilitas morum.

Morum compositio & *elegantia* spectatur in lingua, gestu, motu, incessu, & toto coporis habitu; in convictu & familiari consuetudine, & in omni actione, cujus regula est *Decorum* illud, quod Græci *τὸ πρέπον* appellant. De quo ante-

antequam incipiam fari plura, bonam abs te veniam precor, si tibi, moribus polito juveni, minutias quasdam pueriles persequi videar; nam & pueris prodesse cupimus. *Desiderius.* Omitte præfationem. Quæ puer didici, juvenem meminisse juvabit. *Mercurialis.* *Decorum* corporis in motionibus membrorum consistit, ita, ut *caput* (nam ab hoc ordiendum est) nec sit impexum, nec muliebriter comptum, nec lendium aut vermiculorum sordibus fœdum. Coma non sit prolixior, & frontem tegens; nec humeris involitet, ut cæsaries dici possit; nec capillitium concussô capite discutiendum; nec caput ipsum unguibus scabendum aut scalpendum; nec illud quatiendô petita neganda; nec aures fodiendæ. *Decorum Capitis.*

Oculi ne sint torvi, quod est truculentiæ: non vagi & volubiles, quod est insaniæ: non improbi & procaces, quod est impudentiæ: non immodicè elati, quod est superbiæ: non limi, quod est suspiciosorum & insidias timentium: non immoderatè diducti, quod est stolidorum: non conniventes & crebrò nictantes, quod est inconstantium: non stupentes, quod attonitorum: non nimis acres, quod iracundorum: non innuentes & loquaces, quod est impudicorum: sed placidi, verecundi, compositi, demissi, nec in vultum, quocum loqueris, sed sub mentum defigendi. *Oculorum*

Supercilia exporrecta, non adducta, quod est torvitatis: non sublata, quod arrogantiæ: non in oculos depressa, quod malè cogitantium. *Frons* sit hilaris & explanata, non in rugas contracta, non mobilis, aspera, obducta, perfricta. *Nasus* ne rugosus; *Nares* mundæ, & ab omni mucoris purulentia alienæ; pituita strophiolô excipienda, aversô paullisper corpore, & declinatô; quod ipsum facien- *& Faciei*

faciendum, si incidat sternutatio, postquam resalutandi, qui salutem precati sunt; non operâ datâ sternutamentum iterandum, nec vocis tinnitus aut sonitus intendendus. *Malæ*, seu genæ sint ingenuo ac nativo pudore tinctæ, non rustico suffusæ. Os non prematur, nec hiet, nec porrigatur, sed leniter osculantibus se mutuò labris conjungatur. In *oscitatione* si non datur deflectere vultum, linteolô aut volâ tegendum os, & crucis imagine signandum veteri Catholicorum more; oscitans ne loqui pergas. Omnibus *arridere*, stultorum est: nullis, stupidorum; subridendum seu ridendum ore clausô, modicè apertô. Dedecet in cachinnos effundi, aut hinnitum ridendô edere, aut illas usurpare voces: risu diffluo, diffilio, emorior. Hilaritas exprimenda, ut habitus oris ne dehonestetur; nec animus dissolutus arguatur. Quòd si risus teneri nequeat, modestè id fiat, manu aut mappulâ faciem tegendô; sine causa ridere, morionum est. *Labra* non mordenda, nec lambenda; ne sint nimis compressa, ne nimis diducta. Aversus *exspuito*, ne quem conspuas, aspergásve. Siquid per screationem aut exscreationem purulentius ejeceris, pede contere, ne cui nauseam moveat; id si non licet, sputum mucciniô excipito, non resorbeto. Fœtentem in alios fumum ne ructandô vel eructandô exhales; indecóri sunt ructus & ventris sonitus; quid dicam oris vomitus? ab imo pulmone pituitam trochleis ne adducas. Inter loquendum ne identidem subtussias, seu tussiculis interpositis ne loquaris: nec clariùs, quàm natura postulat, nec alicui in faciem tussias. *Dentes* sint mundi, & sæpius purâ aquâ eluendi; siquid iis inhæsit, lentisci vel officuli cuspide eximendum est, non cultellô & unguibus.

Cùm

Cùm *loqueris*, cave, ne præcipites fermonem, aut hæsites linguâ, aut palato immurmures; sed distinctè, clarè, articulatè consuescito proferre verba; in his nullus sit aculeus, nulla inurbanitas, nulla offensio; ne alteri verba suppedites, tanquam indiserto: ne interpelles, ne exsibiles aut obstrepas: ne præsentium attentionem aliorsum traducas; nihil nimis deprime & extenua; néve extolle; ne nimis propè consistas, ut animâ ipsum contingas, quocum loqueris, ne cubitô tangas; nihil fare castis indignunm auribus: ne levia, abjecta, frivola, anilia. Jusjurandum ne audiatur ex ore tuo. De sacris, divinis ac cœlestibus rebus loquere timidè, non audaciter: parcè, non effusè; considératè, non temerè: religiosè, non impiè, non scurriliter, &c. Si nominanda res, quæ nauseam aut pudorem movere possit, circuitione utendum. *Sermo.*

Jam *Cervix* non sit inflexa, nec in alterum humerum vergens, sed molliter erecta; *Scapulæ* non adducendæ, nec humerorum alter attollendus, & alter deprimendus, sed æquô libramine temperandi. *Brachia* non in tergum detorquenda; non manus in illa rejiciendæ. Ne ansatus incedas, sublata & curvata brachia ad latera admovendô; ne manibus gesticuleris, &c. *Cervix.* *Scapulæ.* *Brachia.*

Non *sedendum* distractis aut divulsis genibus, aut sibi mutuò impositis; nec standum divaricatis tibiis ac distortis; sedenti coëant genua, stanti pedes, aut certè modicè diducantur; pedibus ne ludito. *Incessus* non sit fractus, non præceps, non vacillans; nec nimis lentus, nec nimiùm festinatus, nisi urgeat necessitas, & tum etiam, quantum fieri poterit, decóris non obliviscendum. Ne sedendô in alterum inclines; inflexurus genua, rectô corpore, reductô *Sessio.* *Incessus.*

aliquantùm pede dextro, utrúmque poplitem mediocriter curva. Ne passus amplos facito, aut pedes altiùs attollito, at cum sonitu in terram deponito, aut tibias collidito; neque vacilles pedibus, sed in vestigio primo consiste. Membra, quibus natura pudorem addidit, diligenter tegenda. Vestis sit munda & composita; in vestitu mediocritas & decentia commendatur; sit is conveniens statui, & ab omni levitate remotus.

Congressus. In *congressibus*, dignis honore de via decede, caput aperi, poplites etiam, si persona gravior, inflecte; quoties aliquis te alloquitur, compone te in rectum corporis statum; vultus nec tristis sit, nec torvus, nec impudens, protervus, instabilis, sed hilari modestiâ temperatus. Cum æqualibus loquere amanter & comiter: cum majoribus reverenter ac paucis, titulum honoris subinde repetendo; galerus sub axillis non tenendus, sed ante pectus: ausculta loquentibus, ipse ne loquaris, nisi rogatus, præsertim apud viros auctoritate pollentes. Siquid obscœni dicitur, frontem contrahe, aut compone vultum, quasi non intellexeris. Ne cui obtrectato, ne temet anteponito, ne tua jactato, ne aliena despicito. Cave, imiteris homines morosos, asperos, intractabiles, quibus plurima facillimè displicent; in minutissimis rebus inveniunt, quod cavillentur. Raró quemquam blandè salutant, aut humaniter colloquuntur, aut placidè aspiciunt, aut sedatè respondent; sæpe negant, quod alii affirmant; quódque ipsis benevolè & officiosè fit, aut offertur ab aliis, id importunè atque inurbanè aversantur; verbô, non placet id, quod placere deberet.

Jam plurimùm etiam refert, nôsse conditiones personarum, quibuscum agas; an mores faciles, difficiles, aperti, tecti, molles, duri, rigidi, præfra-

fracti, agrestes, præproperi, malè benéque tardi. Siquid impetratum ab altero aut ei persuasum volueris: aditus ad agendum capta: opportunitatem temporis observa; reputa tecum, pectus humanum mare esse quoddam, fluctuantibus undis assiduè agitatum; huic non antè te & negotia tua committas, quàm naturam ejus, malaciam, tranquillitatem, ventos secundos exploraris; velis an remis utendū sit, considera. Verba ne finas effluere, nullô animi conceptu formata & maturata. Attende, quale sit, quod tractatur; quô vultu viâque ad tui consecutionem propositi enitendum. Siquid petendum, in consilium verborum adhibe gratiam: juverit sæpè necessitatem duntaxat indicâsse: aliquando circuitione, quam Rhetores *Insinuationem* vocant, erit opus. Facilius obtinet, qui grati animi studium præ se fert. Rusticitatis est, negate, antequam rogeris: aut beneficii pretium nimiâ morâ vel æstimatione excandefacere. Contrà, reprehensione non caret facilitas in concedendo, undè dona vilescunt. Festina promissio libertatem perdit: persubens concessio pœnitudinem adducit. Vitiosè promittitur petitúrve, quód vel præstari non potest, vel non decet. Postulatorum repulsa aliàs verbis & rationibus est præmolliendà; aliàs consensus in petita, dilatione temporis moderandus: aliàs abnuendum per internuncium, non sine officiorum de cetero pollicitatione; aliàs monstrandum consilium, quò suis petitor commodis prospicere possit aliundè. Siquid duriusculè agendum, id necessitate facti mitigandum. Comitas conciliat amorem: demissio & patientia pacem ac concordiam; vilis aliorum æstimatio odium & contemptum. Extrema nunquam non fugienda: nam ut virtus & veritas mediô consistunt locô; ita

morum quoque civilitas : quæ, si est immodica, aulicam affectationem sapit ; si nimis parca, rus olet. Æquè in vitio ponendi vir stolatus & mulier barbata. Plura huc pertinentia te docebit superior dissertatio, de quatuor Virtutum Moralium actionibus instituta.

Porrò in liberalibus lusibus requiritur alacritas, lætitia, modestia, vivacitas, vigor animi ; virtute, non fraude vincendum ; remissionis caussâ, non lucri. Dehonestant ludum nimia insolentia, clamor, turba, gesticulationes stultæ, dolus malus, mendacium, pervicacia, rixarum parens.

Convivatio. In *Convivio* quid agendum ? Ornant illud modestia, hilaritas, verecundia, taciturnitas, urbanitas. Consecraturus mensam, orationem seu precationem profer articulatim, non præcipitans verba. Ad nomen Jesu genu flectito. Inter postremos manus lava ; &, quidem invitatus, accumbe, ante alios mantile seu mappulam ne explica ; nec manum admoveto patinæ ; siquid datur lautius, recusato modestè & verecundè : si instabitur, accipe, & age gratias ; mox, decerptâ aut resectâ particulâ seu portiunculâ, præmissâ excusatiunculâ, quod reliquum est, illi reddito, aut alicui proximè assidenti. Siquis præbibit, bene illi precare ; sed ipse bibito modicè. Si non sitis, tamen admove cyathum labiis. Quæ ante te sunt in disco vel cochleari, sume, vel fuscinulâ, prout videris alios præivisse. Citra plenam saturitatem refice corpus ; post epulas Deo dicendæ gratiæ.

Rusticitas in mensa. *Rus amandandi* sunt, qui illoti & sine precatione ad mensam accedunt, recedúntque ; aut sedent ad eam innitentes cubito, aut incurvô corpore ; qui panem non scindunt, sed digitis de illo frustilla defringunt, aut plus abscindunt, quàm absumere decre-

creverunt,aut eum decorticant. Item,qui post accubitum statim in paropsidem involant, irruúntque; bolos fervidos & inexploratos in os ingerunt; aut, quod haustum est cochleari,pleniore spiritu afflant; qui digitos in *jura* seu embamata intingunt, (non accipiunt bucceâ panis fuscinulæ affixâ) aut eos salino indunt; aut,si eos contaminaverint,lingunt; aut siquid dulcius iis adhæserit, lambunt; qui bolos immittunt, ut buccæ utrinque tumeant: aut diductis labiis porculorum mandentium sonos imitantur; aut equorum bibentium, cùm potum sumunt; aut bibunt ore plenô: vel dum loquuntur; qui palatum interius ac dentes linguâ perpurgant: qui dentes, sine ullâ intermissione, adusque sudorem exercent: qui nugantur manibus, ludunt cultellô, & in quadra aliquid cælant: qui oculis circumactis alios observant; qui pulpamenta in ossibus hærentia non rescindunt cultrô, sed abrádunt, aut dentibus avellunt; qui præmorsum panem aut cibum præmansum vel ambésum in ore reponunt, aut juri intingunt: qui semésa aut abrása ossa sub mensam abjiciunt: qui putamen ovi non cultellô, sed unguibus purgant, & albumen excipiunt non pane, sed pollice; qui vorant & tuburcinantur, séque farciunt, tanquam si distensione rumpendi; & siqua alia sunt,ut sunt innumera agrestium & incivilium contra urbanitatem peccata.

Decórum in templo.

In *Templo* totus corporis habitus ad religionem componatur; facies ad altare, animus ad Deum dirigendus; cùm præteris ædis sacræ fores, aut crucis imaginem,reverentiam exhibe; intra templum coram ea te prosterne in utrumque poplitem.

In schola.

In *Pædagogio*, aut *Schola*, sive phrontisterio adolescens taciturnus assideat, & decenter compositus corpore; nullis susurris lectionem interturbet;

 offi-

officii admonitus, ne protervè responsét; ingenium præbeat docile & tractabile: dictata libenter excipiat: narrata præterlabi ne sinat; excerpta memoriæ mandet. *In cubiculo.* Nec minùs in *cubiculo* honestas & verecundia sit cordi, nihil inciviliter, nihil impudicè fiat: nihil denudetur, quod mos & natura tectum esse voluit; priusquam cubitum concedat, ingeniculans, *Lamprid.* vel humi, vel in genuali subsellio, acta, dicta, cogitata diurna discutiat, Deo pro beneficiis acceptis gratias erat, erratorum veniam cum dolore & emendationis proposito petat; Nec ante corpus in cervical reclinet, quàm frontem & pectus, crucis figurâ signârit Tum quietus jaceat,&(Medicorum quidem consiliô) nec pronus, nec supinus, sed dextrô incumbens lateri indormiat & obdormiscat. Septem horas dormiſſe satis. Dies auspicandus à precibus, & actionum primordia à Deo capienda. Sed nunquid hæc verbosiûs quàm vel nostræ ferat professionis ratio, vel optima tua à teneris unguiculis institutio? Quidquid ex his redundat, illis me debere arbitrabar, qui cùm & à natura & à fortuna satis instructi sint liberaliter, illiberales tamen sunt moribus, illepidi, insulsi, invenusti, inconcinni, malè tornati, bardi, &, velut ex hara prodeuntes, non sine magnorum virorum justissima querela. Olim (ut hoc addam) tres puer habebat matres, *unam*, quæ peperit: *alteram*, quæ mammam dabat: *tertiam*, quæ educabat; prioribus ego duabus nomen suum & munus relinquo; tertia feminas comat; pueros, quibus hæc canimus, permittat viris. Ganymedes nolo & Adones fuso aptiores quàm calamo; sed Julos per ignem euntes, hoc est, viriliter excultos, &, qui à parentibus & educatoribus discant virtutem, verúmque laborem. Verùm recedamus

damus ab his nucibus (in quibus tamen nucleus honestatis includitur;) ad suas nos pyxides, ampullas, & guttos Medicorum natio vocat; imprimis gallum paremus gallinaceum, quem Æsculapio, Valetudinis præstiti, immolemus. Morborum agmina jam antè præterivimus incolumes, nunc familiam Galeni & Hippocratis inspiciamus, quos, ajunt, homines, esse homini Deos. *Desiderius.* Talis non erat Diaulus ille, de quo Martialis:

Nuper erat Medicus; nunc est Vespillo Diaulus;
Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.

Mercurialis. Aculeatè in Medicastrum, non Medicum; cujus officium est, ut *tutò*, ut *celeriter*, ut *jucundè* curet. Illud hîc agamus, & quæramus, cur neglectô doctrinæ ordine, omissis Oeconomicis & Politicis, tanquam Ethices partibus, *Medica* tractemus? *Desiderius.* Quæstioni tumet respondebis tuæ. *Mercurialis.* Cùm *Oeconomica* & *Politica* plurimùm ab usu & experientia pendeat, tantisper eas semoveamus; & scientias, quæ contemplandô magis acuunt intellectum, persequamur. En in Aula Academica ingredimur Medicorum Auditorium. *Desiderius.* Mihi satis erit, à primo salutâsse limine. *Mercurialis.* Quid refers pedem? Seu Latinè seu Græcè loquantur, intelligemus; sin aliter; exclamabimus: ô Celse, Celse! *Desiderius.* Te doctore vel antrum Sibyllæ subibo. *Mercurialis.* Tu tantùm vide, foliis ne carmina mandes. In digressu non possum non tecum communicare totius Compendium Ethicæ. *Desiderius.* Qui? *Mercurialis.* Epictetus duabus voculis tradidit: *ἀνέχου καὶ ἀπέχου*, sustine & abstine. Quorum alterô monemur, ut adversa fortiter toleremus: alterô, ut ab illicitis temperemus voluptatibus. *Desiderius.* Paucis omnia dixit.

Caput LXXV.

Medici, cum Pharmacopœis & Chirurgis.

SI corpus hoc noſtrum ita haberemus natum, ut invaletudini & mutationi obnoxium non eſſet, ſed ſemper conſtitutum bene, integrum, & in optima permanens habitudine; nullâ prorſus arte ad id vel incolume conſervandum, vel è morbo recreandum, reſtaurandúmque indigeremus. Quia verò mutatur continenter, patitur, & ad interitum tendit; nec conſtitutionem illam, cum qua extitit minimè vitioſa, retineri poteſt, omni operâ & procuratione prohibendum eſt à lue morborum, in eáque, quâ licet, ſoſpitate conſervandum.

Morbos accerſi (accerſiri) intemperantiâ quis dubitat? Unde, teſte Senecâ, Medicina paucarum quondam fuit ſcientia herbarum; deinde ad hanc pervénit tam multiplicem varietatem. Neque mirum eſt, tum illam minus habuiſſe negotii, firmis adhuc ſolidíſque corporibus, & facili cibô, nec per artem voluptatémque corruptô. Qui poſtquam cœpit non ad tollendam, ſed irritandam famem quæri, mille peſtes corpus humanum inundârunt.

Artis Medicæ diviſio.

Valetudo ſuſtentatur partim notitiâ ſui corporis, & obſervatione earum rerum, quæ aut obeſſe ſolent, aut prodeſſe: partim arte medicandi. *Hæc* verò tribus conſtat partibus; *prima* morbos avertit; *altera* ſanitatem tuetur; *tertia* reficit valetudinarios; ſeu quod idem eſt, *curat, præſervat, conſervat. Generalis Medicinæ diviſio* eſt in *Hygiaſticam* ſeu Hygienam, & *Therapeuticam*, illa valetudinem in mor-

morbos pronam erigit : hæc lapſam reſtituit. Quibus ſerviunt tres aliæ ſcientiæ. 1 *Phyſiologia*, complectitur notitiam elementorum & corporis, maximè humani ; ídque per *Botanicam*, *Chymicam*, & *Anatomen*, ſeu diſſectionem animalium. 2 *Pathologia*, morborum nomenclaturas, ideam, ſtaturam ſeu ſtatum, naturam, differentiam, aliáque pathemata declarat. 3 *Simiotica*, continet morborum tàm ea, quæ malum patefaciunt, ſigna, quæ *Dilotica* vel *Pathognomonica* dicuntur : quàm ea, quæ morborum eventus docent, & *Prognoſtica* vocari ſolent. *Therapeuticen* iterum diſtribuunt in *Diæteticam*, quæ ſanat per rationem *Diætæ* ſeu victûs ; & *Chirurgicam*, quæ medicâ & peritâ manu morbos externos ab homine depellit ; & *Pharmaciam* ſeu *Pharmaceuticam* (pharmaceutria eſt venefica) pharmacis ſeu medicamentis curat. *Deſiderius.* Hem, quot vocabula in Græcia nata ! *Mercurialis.* Ubi Medicina & aliæ ſententiæ altæ & educatæ.

Rurſus *Medici* vel ſunt *Empirici*, hoc eſt, ſolâ experimentorum obſervatione nixi ; vel *Methodici*, reſpicientes duntaxat ad morborum cauſas & indicationes, poſthabitâ experientiâ ; vel ſunt *Dogmatici*, conjungentes rationem experientiæ : Ex his alii dicuntur *Galenici*, qui modum Galeni in medendo ſectantur per potiones medicatas, catapotia, emplaſtra, variáque medicamenta tàm *Simplicia* (quæ ſine admiſtione alterius rei, ut ſunt plantæ, animantes, terra, aqua, parantur) quàm *Compoſita* ſeu ex Simplicibus mixta ; alii appellantur *Chymici*, (à Græca voce χημεία, quæ eſt auri argentíque præparatio ; vel à χυμὸς, liquor) ſive Hermetici, (ab Hermete Triſmegiſto) ſive Paracelſiſtæ à Paracelſo, ſive Spagirici, (ἀπὸ τοῦ σπᾶν ſeu σπάω, educo, & *Medicorum partitio.*

co, & ἀγείρειν, conflare, quod in extrahendo five feparando fubtiliores partes à craffioribus: & eos congregando five coagulando ars Chimica feu Chemica aut *Chimiatria* occupetur;) hi caloris vi & artificiosâ manuum operatione parant feparandô pura ab impuris, mirabili fubtilitate, medicamina, quæ vocant ipfi *fpiritnofa*, extrahendo intimas rerum vires, (*quintam effentiam* nominant) quæ cùm tenaciores fint, quàm ut feparari poffint tundendô aut macerandô, opus eft igne, à quo per clibanum & uftrinam convertuntur aut *in fpiritum* & *oleum*, quod fit eliquandô (off. *diftillandô*) aut in *flores* (ita loquuntur) fublimandô; aut in falem feu pulvisculum eas redigendô (off. *calcinandô*;) defudántq; in emolienda medicina *catholica*, præfentanea adversùs omnes invaletudines. *Anatomici* corpora mortuorum incídunt, vifcera patefaciunt, & membratim & articulatim omnia examinant. *Clinici* olim dicebantur quafi lecticularii, qui, lectulis ægrotantium asfidentes, diætâ curabant & phármacis; ars ipfa *clinice*. Hodie *clinicæ* funt feminæ, decumbentibus infervientes. Primi Medicorum *Archiatri* vocantur.

Medicamentorum alia intra corpus recipiuntur; *alia* foris admoventur, ut varia unguentoru m linimenta. Omne *auxilium* fen præfidium corporis (ita *Celfus*, Medicorum Cicero, medicamina vocat) aut demit aliquam materiam, aut adjicit, aut evocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, aut durat, aut mollit. Demitur materies fanguinis detractione, cucurbitulâ, dejectione, vomitu, frictione, geftatione, abstinentiâ, fudore, fputô, exercitatione corporis.

Medicus fanis aut minùs rectè valentibus præfcribit *diætam*, ægris *pharmaca* valenita, præfentia, effica-

efficacia. Diæta est optima medicina, quippè securissima, & sine violentia, dum docet moderari cibum & potum, somnum & vigilias, repletionem & exinanitionem, corporis & animi commotiones, nequid istorum admittatur ante naturale desiderium, nec extendatur ultra satietatem, nec adhibeatur aliter, quàm expediat.

Medens, cùm visit ægrotum, (quidam sunt ægri magis ægritudine animi, quàm infirmitate corporis,) non aggreditur medicationem temerè, ut solent circumforanei medicastri, circulatores, ophióphági, veterinarij & mulomedici; sed indágat priùs morbi speciem, sedem, causas non tantùm ex relatione decumbentis, quâ parte quid doleat; sed ex aliis indiciis; nempe, ex læsione functionum, quæ demonstrat statum animalis facultatis. *Officium Medici.*
2 ex arteriarum pulsu & tactu, qui prodit, quomodo se habeat vitalis facultas. (sitne pulsus seu percussus venarum vegetus, remissus, lentus, incitatus, æquabilis, inæquabilis, formicans, vermiculans, variè subsultans, & micans, quam Medici *caprizantem* appellant. 3 ex inspectione lotii, (in matella vel matellione vitreo) quod detegit constitutionem facultatis naturalis; ubi advertitur ad colorem, copiam, paucitatem, mollitiem, duritiem, quam *consistentiam* vocant.

Deprehensô *statu* facultatum, instituit *prógnosin*, sitne morbus lethalis, an salutaris, an anceps; observandô varios affectus, habitus ad difficultates corporis, symptomata, pathemata, paroxysmos, (accessiones & decessiones morbi) iísque præcognitis, irremediabilem seu immedicabilem, relinquit intactum; salutarem aggreditur medelis confidenter; & conservat *naturalia*, quæ videt superesse in ægrotante; ut natura corroborata juvet propellere

lere inimica sibi; demúmque insit seu incipit oppugnare illa, quæ vocant *præternaturalia*; jam *diæteticis* (sæpe enim graves morbi solâ curantur abstinentiâ & quiete) jam *pharmaceuticis*; jam *chirurgicis*; & accúrat, ut medicamina comprehendant, respondeant, proficiant, juvent, vincant; (vulgò *operentur*) attendítque gnaviter, quando morbus incessit; increscit, gravescit, subsistit, minuitur, inclinatur, in summo incremento est, veterascit, &c. Æger ægrescit, motiunculis tentatur, malè habet, ægrotat, graviter laborat, meliusculus esse incipit, convalescit, sanescit, consanescit.

Diæta. *Diæta* reficit diminutas vires: non tantùm moderatione alimenti & quietis, sed & externis fomentis, refocillationibus, (fomentationibus Ulp.) & frictionibus ac suffitu, seu suffimentis & suffitionibus, non odoramentis, atque apophlegmatismis seu commansis, (vulgò *masticatoriis*) qui sunt remedia vel in ore retenta, vel manducata, aut linguæ subdita.

Pharmaca. *Pharmacis* profligat ea, quæ molesta sunt, tum humores commovendô & alterandô, (*Ovid.*) tum evacuandô; tandem membra roborando (vulgô *confortandô.*)

Alterantia. *Alterantia* remedia sunt, quæ calefaciunt aut frigefaciunt, humectant aut siccant; tum verò ut peccans materia possit faciliùs educi, vel attenuat & discutit eam: vel incrassat: vel emollit, relaxat, & solvit: vel adstringit, attrahit, obstruit, obstínat, indúrat, prout res postulat.

Evacuantia. *Evacuantia* sunt, cùm per dejectionem relaxant, inaniunt, solvunt, ut sunt vomitoria, seu vomitum cientia; & purgantia seu carthartica, aut extergentia, (Med. *extersoria*) sive per urinam, ut sunt diuretica; tum sudorifera & sternutationem excitantia (Med. *sternutatoria*:) & gargarismi, quibus liquor palatô agi-

agitatur, retinetur, vomitúrque, ita humores eliminantur exitiosi. *Antidota* item & *alexiphármaca*, quibus pelluntur mortifera venena (Med. *peremptoria:*) inter quæ theriaca est præsentissima; & amuleta, quibus depelluntur fáscina & veneficia.

Roborantia sunt, quibus aliquod membrum peculiariter corroboratur: ut pectus asthmaticis, (Med. *Thoracicis*) cor cardiacis, ventriculus stomachicis, jecur hepaticis, lien spleneticis, renes nephriticis, articuli arthriticis, &c. stupefacientia & soporifera fallunt sensum, oblitterandô dolorem. *Roborantia.*

Invaletudine profligatâ, sanitatéque recuperatâ Medicus celebrat *soteria* cum revalescente, qui illum remuneratur *sostris*. Sed restitutio, quâ quis magis relevatur, quàm integrè convalescit, facit *valetudinarium*, aut obnoxium infirmitatibus; aut, quod pejus, *clinicum* seu lectulo affixum; sive, quod pessimum, *recidivum*, id est, denuò recidentem in morbum.

Utuntur Medici in suis præscriptionibus (quas *vulgò Recepta vocant*) votis hujusmodi. ℞. Recipe. ℔ libram; ß semis; ℥ unciam; ʒ drachmam; ℈ scrupulum; gr. granum; g. guttulam; p. pugillum; m. manipulum seu fasciculum; ana, de singulis tantundem significat. Vocant autem id basin, quod est primarium inter Ingredientia, seu compositionem constituentia; reliqua adjuvantia & corrigentia. *Notæ Medicamentorum.*

Juxta quas formas *Pharmacopœus* (aromatarius, myropóla, pigmentarius, unguentarius) præparat & componit medicamenta (in quibus pretio excellunt & virtute, lapis Bezoar pulveratus; aurum, uniones, & gemmæ potabiles (in *ergasterio*, vulgò *laboratorio* liquatæ) includítque liquida guttis & ampullis: arida ligneis capsis, capsulis & capsellis, pyxi-

pyxidibus & pyxidiculis; reliqua fictilibus ferliis ac fideliis; vel stanneis lagenis, variísque narthecíis, myrothecis, alabastris, & vasis unguentariis; & circumponit in pharmacopolío (officina pharmaceutica, taberna aromataria, myropolío) per forulos & repositoria, adscriptâ cuivis suâ, nomenclatione. Idem ex herbis alíisque rebus éliquat aquam, aliósque succos in clibano seu fornacula (vulgò distillatoria) superimpositô turbine, seu metâ fumariâ; quædam infusionibus diluit, & macerat.

Comportat verò medicamentariam materiam undecunque, ut nec aver etur ipsa rerum excrementa: imò toxica; quippe nihil est, quin contineat aliquid medicamentosi: potissima tamen partem desumit ex herbis, ideóque oportet esse *botanicum*.

Chimici. *Chimici* seu Chemici medicinas suas parant multa digerendô, stillatim eliquandô, sublimandô, rarefaciendô, condensandô, ignem reverberandô, extrahendô, solvendô, coagulandô, fermentandô, figendô, ídque variis instrumentis, vasis, vasculis, receptaculis, conchis, furnulis, circulationibus, &c.

Balneum maris seu *Mariæ* vocant; quando res dissolvenda, inclusa vasi, aquæ calidæ in aheno (*diploma* vocant) contentæ imponitur; *Balneum roris* quando vas aquam non tangit, sed à calore ascendente cálefit, solvitúrque res in illo. Operationis autem Chimicæ duo sunt genera; *Solutio* seu *Dissolutio*; & *Coagulatio*, seu Chimicô vocabulô *Calcinatio*. *Corrosionem* vocant, cùm res coagulata per spiritus corrodentes in calcem reducitur; *Vaporationem*, cùm per furnum *calcinatur*, ut loquuntur; hoc est, in calcem seu salem redigitur; *Reverberatio* est igni-

ignitio, corpora in subtiliorem calcem reducens; *Elevatio* seu *Sublimatio*, quando partes subtiles elevantur, & in summitate considerantur. *Elevatio humida*, est destillatio, quâ partes humidæ in halitus extenuatæ, è siccis separantur. *Descensio*, cùm partes subtiliores descendunt. *Exaltatio* res in puriorem virtutis gradum transponit. *Extractio* est digestio è corporea concretione, partes subtiliores relictis fæcibus dissolvens. *Fermentatio* est fermenti cum re fermentanda *incorporatio*, ut ipsi cum *Solino* loquuntur. Apud eosdem Ignis *flammans* est, qui metalla excoquit, purgat, liquéfacit; *Torrens*, qui recrementa metallorum separat; *Candens*, quô metalla ponunt exuvias; *Corródens*, quô rediguntur in calcem. Ignis Græcus aquâ non extinguitur. Secundùm eosdem omne Mixtum constat Sale, Sulphure, Mercuriô; Id quod v. g. in ligno aquosum est, *Mercurius* dicitur: quod oleáginum, *Sulphur*: quod siccum calore concrescit, (ut ex ligno, cinis) *Salem* dicunt; sic in ovo vitellus est Sulphur, albumen Mercurius; putamen Sal.

Quibus operationibus eliciuntur primò *Decocta*, seu *Decocturæ*, quibus paullatim aliquid coquendô diminuitur; ut Succi, *Fluidæ medicinæ*. Secundò Balsama, Extracta, Tincturæ; quæ dicuntur *Medicinæ Molles*. Arabes vocant *Elixir*, Quintam illam *Essentiam*, seu Spiritum, ex auro, herba, aut vino extractum. Tertiò Pulveres, seu Trituræ, medullam variarum rerum artificiosè pulveratarum includentes; unde officinis dicuntur *Magisteria*, quasi peculiari arte confecta; súntque *Medicinæ Siccæ*. Ex quorum omnium mistura porrò parantur Medicinæ *Compositæ* multiplices, intus vel extra corpus usurpandæ.

Intus

Medicina intus sumenda. *Intus sumuntur* potiones ex aqua, melle & saccharo condítæ; (*Iulépos* vocant) & serapia, (vulgò *syrúpi*) & linctus, paullò concretiores, tamen fluxi, sorbitiones videlicet & potiunculæ medicatæ; tum illinctus seu eclimata mollicula, (vulgò *electuaria*) bolus, (ut nominant *purgatorius*) theriaca, & variæ conditúræ seu condíta; inter quæ dicuntur officinis *Conservæ*, quæ valetudinem conservant; deinde catapotia, (*pilulæ* vulgò) pastilli, trochisci, (*rotulæ*) globuli aromatarii, crustulæ orbiculatæ, conquadratæ &c. vulgo *morselli*; & varia scitamenta solida.

Medicamenta extrinsecus applicanda. *Foris applicantur* mollicella, *linimenta* & *unguenta*; *cerâta* & *emplastra* (in massam coacta, & igni præmollienda) spissiora; & *cataplasmata*, ex viridibus herbis decoctis & contusis facta; oculis *collyria*; dentibus *dentifricia*; ventri *fomenta*; medio corpori *epi bemata* seu *malagmata* (duritiei emolliendæ comparata;) ano sive sedi *clystéres* (clysteria, enemata;) & *balani* sive glandes, vulgò *suppositoria*; *insessiones* etiam, & *sacculi*, quibus insidet æger.

Chirurgus. *Chirurgus* (chirurgiæ vel rei chirurgicæ peritus, *vulnerarius*) manum suam *Medico* commodat, in morbis potissimùm externis, & *noxiis* corporis curandis; quarum *quinque* sunt *genera*. 1 cùm quid *extrinsecus læsit*; ut in vulneribus. 2 cùm quid intra seipsum *corruptum est*; ut in cancro. 3 cùm quid *innatum* est; ut in vesica calculus. 4 cùm quid *increvit*, ut vena, quæ intumescens in varicem convertitur. 5 cùm *quid deest*; ut cùm curta pars est aliqua. Hinc & *curationes chirurgicæ* dividuntur in quinque classes. In *prima* sunt cancer, bubo, hernia. In 2 vulnera, plagæ, offensiones, allisiones, percussiones, contusiones, concussiones. In 3 ulcera &

ra & fiſtulæ. In 4 fracturæ oſſium, & rupturæ. In 5 luxationes & extorſiones articulorum.

Chirurgus medetur *ferrô*, *igne*, *emplaſtris*; ferrô quidem, dum ſecat ſive lanceolâ ſive ſcapellô *phlebotomo* venas: Mediam, (vulgò *Medianam*) Cephalicam, Baſilicam, & quæ inter indicem & minimum digitum ducitur, vulgò *Salvatella*, omnes ſecundùm longitudinem brachii è capite deſcendentes, &c. mittitque ſanguinem *phlebotúmeno* (*Phlebotomus* eſt ipſe potiùs Chirurgus) diligenter cavens, ne ſcalprô nervum attingat, vel arteriam violet aut incídat, aut *ſectiunculas*, *percuſſiones*, vel *ictus* repetat. Vulnuſculo linteolum vinô madefactum imponit; ubi ſatis ſpiſſeſcentis ſanguinis detractum eſt, & exceptum pelvi, ſubjectis *excipulis*, deligat brachium, illúdque ſenſim intorquendô inſerit mitelleæ ſericæ, de collo alterius pendenti; ſi periculum eſt λειποθυμίας ſeu defectionis (vulgò *deliquii*) *phlebotúmenum* in lectulo reponit; acetô tempora perungit, balſamum naribus állinit. (Noxius à phlebotomia ſomnus eſt.) *Exſecat* autem verrucas, aliásque partes excreſcentes: & *aperit* abſceſſus ſeu apoſtemata: *radit* oſſa ſcabra: *limat* prominentia: ſerrâ *réſecat* emortua; aut *pérforat*, (ob ſubtus latens pus) perurítque putridas carnes cauteriis, aperítq; fonticulos cauſticis medicamentis, ad erivandos humores pravos. *Ambuſta* (cùm urédo afflavit brachium aut pedem) uſtione vel frigore ſanat. Chirurgi munia.

Idem reponit ſuis locis membra *luxata*, ſeu emota, vel *extorta* ſuis ſedibus, & compagibus: aut *prolapſa*. *Intorta* verò, *curva*, *gibboſa* reducit ad nativam figuram & ſtatum; adhibens quandòque habenulas tractorias, eximit è vulneribus feſtucas, teſla, & alia, forinſecus illata; deinde ſupprimit, exſaniat, depúrat (*Prompt.*) ſaniem ſeu pus expri-

mendô; tum linamentis subindè *vulsis* (seu è concerptis linteis) & *rasilibus* (seu ex lanugine linteorum erasis) turundis, lemniscis, cuneolis, complet; deinde imponit *hapsos* seu lanulas, & obligat; postea glutinat, jungit, (quandóque suendô seu *sutura*) & committit *labra* (margines, oras) vulnerum seu plagarum, donec se contrahant, & coëant, crustam induant, cicatricem recipiant; aut in ulceribus caro *sinus* impleat, ruptâ *pustulatione*, *consolidat* ossa juncta, inductione calli: adhibens, ubi opus est, *deligationem*, quæ in *luxatu* & *fractu* fit partim *circumligatione* & constrictione per scandulas seu tabellas ligneas, aut bracteas ferreas; partim *fasciatione* spleniorum & pittaciorum, (sunt hæc fasciæ latiores) & tæniarum ac habenularum, quæ sunt fasciolæ angustiores. Pejora sunt vulnera, quæ collisa, quàm quæ discissa.

Medicamenta Chirurgica. *Medicamenta Chirurgica* sunt varia; nam quædam sunt *suppuratoria*; quæ suppurationem seu puris materiam commovent: quædam *repellentia* fluxiones: quædam *glutinantia* & siccantia: quædam cicatricē *ducentia*, vel ad eam perducentia. quædam sanguinem *sistentia*: quædam *exulcerantia* cutem: quædam *depascentia* callosam & superfluam carnem: quædam eandem *producentia*, vulgò *incarnantia*: quædam *deglabrantia* & depilantia, ut dropax & psilotrum; quædam *erugantia*: quædam *hydragóga*, seu hydropicorum aquam inanientia: quædam *diapasmata*, è siccis pulveribus conflata, & in odoris etiam gratiam, quandóque inspergenda: quædam *errhina* naribus indenda: quædam *crustifica*, (Græcè *escharotica*, *emplastica*,) *vulneraria*, &c.

Supellex Chirurgica. Jam *supellex Chirurgica* quàm est multiplex? *Xyrothéca*. (capsula novacularia *Junio*) minora contitinet

finet instrumenta, ut sunt cultri tonsorii, seu novaculæ, forpiculæ, dentifrangibula seu odóntagræ, in quibus nominatiores, quas vocant, *ungulam caprinam* & *pedem anserinam:* terebella, scalpella, hami simplices & duplicati: specilla varia, in quibus vulneraria adhibentur ad perscrutationem vulnerum: alia ad meatus angustos explorandos & aperiendos: *ligula* & *spathulæ* ea vocantur specilla, quibus illinunt unguenta & emplastra: *siphunculis* inspersunt humores: *clysteribus* immittunt enémata; *radulis* & *limis* radunt scabritiem jungendorum ossium: *dipyrénum*, specillum molli lanâ prætectum, faucibus immittunt in angina. *Alphonsinum* est ferramentum, ab Alphonso Chirurgo inventum ad vesicam & alia interiora perscrutanda, apertum, clausum, parvum, magnum, mediocre; collô vel rostro anserinô, gruinô, ciconinô. *Modiolus* vocatur *Celso* ferramentum concavum & teres, cujus usus in exscindendo osso parvo: *terebrâ* in magno. *Forpex deceptoria* dicitur, quæ intra vulnus recepta diducitur ad sinus dilatandos; Forpicum usus & formæ variæ; sunt enim rostris seu mucronibus rectis, curvis: cavis, solidis, lævibus, denticulatis seu serratis, orbicularibus, ad purgandas vulnerum oras, extrahendas sagittas, & globos plumbeos. *Cátheter*, g. cathetèris, *Celso* est fistula ænea argenteáve aperiendo meatui urinario; *Pyulcus Galeno* instrumentum, ad pus exinaniendum: & *scolopomacharium* ad vulnerum radices exsecandas: & *phacóti*, scalpra cuspide lenticulari, ad lævigánda fracta ossa. *Meningophylaces*, *eidem* videntur esse instrumenta dextrè eximendi ossicula fractæ calvariæ, ne lædantur *meninges*, seu membranulæ duæ, cerebrum circumquaque continentes. *Syringótoma* sunt ferramenta ad exscindendos fistu-

fistularum seu ulcerum sinus, & callosos abscessus *Cauteria* seu instrumenta Caustica serviunt ustioni, ad exiccandum, amputandum, erivandum. *Cataracta* ex illis dicuntur, quibus fluxus oculis perniciosus avertitur. *Serrulæ* adhibentur ad resecanda ossa; præter alia machinamenta & ferramenta Chirurgicis officinis nota. Inter quæ Pontanus noster vol. 3. part. 2. progym. 54. memorat *Vertibula, Terebra torculata, Tenacula camulata*; quæ quid sint, nec exponit ipse, nec alii, quos hac de re legi.

Chirurgorum gregales sunt *Iatraliptæ*, qui unguentis & perfrictionibus curant; *Ophthalmici*, seu Medici Ocularii, oculis medentur; *Lithótomi* calculos vesicæ exscindunt.

Sed jam claudamus rivos, sat prata biberunt. Et forsan, plus satis pro instituto nostro. Hæc attuli, ut ne imperitiùs cum Medicis loquamur: útque ea, quæ ab ipsis vel fiunt, vel fieri præcipiuntur, pro modulo nostro intelligamus. *Desiderius.* Falleris, si putes, hæc æquô prolixiora fuisse mihi: audiendô, contraxi sitim audiendi. Alius, quàm adhuc fueram, Artis æstimator Medicæ, ex hac Schola Æsculapii discedo, quam ego dignam judico, cujus Auctor sit Deus Apollo, qui de se:

Inventum Medicina meum est, Opiférque per Orbem
Dicor: & herbarum subjecta potentia nobis.

Mercurialis. Plura ne addamus. Nam nescio, quô potentiore digitô aurem mihi *Jurisprudentia* vellicat: & ad suos, quos ostentat, *Codices* & *Pandectas* respicere jubet. *Desiderius.* Pareamus *Legibus*.

Caput

Caput LXXVI.

Jurisprudentia & Jurisperiti.

JUrisprudentia ſeu Juriſperitia (quæ eſt juſti & injuſti, ad res divinas & humanas pertinentis, ſcientia) nomen habet à Jure. *Jus varii ſignificatûs* eſt. Nam 1. eſt idem, quod juſtum & debitum, ſeu æquum & debitum, ortum videlicet habens ex aliqua obligatione. 2. ſignificat idem, quod Legitimum, ſeu, quod eſt Legi tanquam regulæ conforme & adæquatum. 3. eſt facultas ſeu poteſtas aliquid agendi, obtinendi, disponendi, utendi ſine culpa: cujus poteſtatis violatio injuriam conſtituit. 4. accipitur pro ſententia Judicis. 5. pro Lege; nam Jus per apócopen eſt quaſi *juſſum*. 6. pro ſcientia Legum; ad quam ut perveniatur, ſciendum eſt, *Jus* ſeu *Legem* eſſe rectam agendorum, aut omittendorum rationem, in bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgatam. *Juris varia ſignificatio.*

Hoc modô *Jus* (ſive *Lex*) in *Naturale* & *Poſitivum* diſtribuitur; *Illud* eſt hominis menti à Deo per lumen naturæ inditum, quô honeſtum ab inhoneſto ſecernitur. Ad quod revocatur *Jus Gentium*, ſeu quod auctoritate omnium ferè populorum conſtitutum; v. g. Legatos non eſſe violandos; vim vi licere repellere, &c. Jus *Poſitivum* (ita loquuntur *JCti*) vel liberâ Dei vel hominum voluntate poſitum eſt, & ab ea dependet. Et hoc dividitur in *Jus Divinum* ac *Humanum*; *illud* eſt à Deo proximè latum ad gubernandos homines, prout corpus aliquod politicum conſtituunt; continétque præcepta Veteris & Novæ ſeu Evangelicæ Legis; in Veteri quidem ſeu Moſaica de Moribus, ceremoniis, ju-

diciis; in Nova de Sacramentis. Mandatum *Humanum*, ab hominibus est sancitum & traditum, continétque *Ecclesiasticum* seu *Canonicum*; & *Civile* seu *Politicum*.

Et hujus quidem Juris sex recensentur species à Justiniano 1. *Lex* de qua suprà. 2. *Plebiscitum*, quod à plebe, cum auctoritate, statutum. 3. *Senatusconsultum*, quod Senatus jubet atque constituit. 4. Principum *Placita*, quæ Princeps per epistolam constituit; vel cognoscens decrevit; vel edictô præcepit. *Rescripta* sunt, quæ consulentibus respondet. 5. Prætorum *Edicta*; quod etiam Jus Honorarium vocatur, quod, qui honores seu Magistratum gerunt, ei dent auctoritatem. 6. *Responsa* Prudentum, hoc est, sententiæ, & opiniones eorum, quibus permissum erat, de Jure respondere; nam antiquitùs constituti erant à Cæsare, qui Jura publicè interpretarentur, cum auctoritate, à quorum responsis Judici recedere non licebat; fuerúntque *Jurisconsulti* appellati.

Jus Canonicum.

Jus *Canonicum* seu *Pontificium* (dictum à cánone seu regula, quâ homines ex Statutis summorum Pontificum, & Conciliorum Ecclesiæ, diriguntur ad rectam vivendi normam, & finem beatitudinis æternæ) constat quatuor libris principalibus. *Primus* vocatur *Decretum*, collectum à Gratianô, Monacho Ord. S. Benedict. circa annum D. 1150. in quo sunt Statuta diversis Conciliis & SS. Patrum auctoritatibus firmata. Secundus *Decretales*, (Epistolæ scilicet Consultantibus, à Pontificibus rescriptæ) editæ circa annum Chr. 1231. Tertius dicitur Liber *Sextus*, nempe post quinque *Decretales* compositus à Bonifacio Pont. & promulgatus circa annum 1298. Quartus sunt *Clementinæ* (nimirum *Consti-*

tutiones) per Clementem Pont. V. conceptæ, & poſtea propoſitæ annô Domini 1321.

Sunt autem in his libris varii *Tituli*, *Rubricæ*, (verba, charactere rubente expreſſa.) *Diſtinctiones, Canones, Capitula, Cauſæ, Quæſtiones, paragraphi, Verſiculi*, quæ ſic notantur: Lib. librô. d. di. diſ. diſtinctione. can. vel C. canone. c. vel ca. capitulô. cauſa ſolis exprimitur numeris. q. quæſtione. §. paragraphô. v. vel, verſ. verſiculô. Clem. in Clementinis, &c.

Jus *Civile* eſt, quod quæque ſibi Civitas aut populus peculiare conſtituit. Origo Juris Civilis profluxit à XII Romanorum tabulis æneis, quibus Leges inciſæ annô U. C. 302. Inde, ſubſecutis longè temporibus, poſt varios Legislatores, & Legum Auctôres ac Interpretatores, tres prodierunt Juris Cæſarei, *Codices*: Gregorianus, Hermogenianus, & Theodoſianus, â ſuis Collectoribus ſic appellati. Poſtea Juſtiniani Imperatoris juſſu & curâ, totum *Jus Civile* quatuor voluminibus comprehenſum eſt, circa annum CHR. 530. qui dicuntur Libri *Legales*, ſeu *Corpus Juris Civilis*; & ſunt *Pandectæ*, (à πᾶν & δέχομαι, quaſi omnia continentes) ſive *Digeſta*, quibus Leges & Statuta Romanorum prolixiùs diffuſa digeruntur. Diſtribuuntur verò Digeſta in tria volumina: *Digeſtum Vetus*, *Novum*, & quod appellant *Infortiatum*, quaſi valdè fortes Leges contineat, ridentibus Grammaticis. Sequitur *Codex Juſtinianéus* quô *Sanctiones* & diverſa *Mandata* Imperatorum continentur. Tertius principalis Liber Juris, appellatur *Novellæ* vel *Authenticum*; Novellæ quidem, quia in eo collectæ Novæ Leges tam ab Juſtiniano, quàm ab Anteceſſoribus latæ; quæ poſtea dictæ ſunt *Authentica* ſcilicet Statuta, quia

Jus Civile.

cum optima fide ex Græco in Latinum traductæ. Ubi notes *Authenticum* esse volumen; *Authenticam* verò esse legem antiquo Juri superadditam, & Codici insertam. Quartus Liber nuncupatur *Institutiones Justiniani*, quæ sunt Introductio quædam ad Jus Utrúmque. Ad Novellas adjunctus est Liber *Feudorum*, (dicitur etiam *Collatio* decima) *Feudum* verò est vocabulum Gothicum & Longobardicum, quasi à fide deductum, éstque genus clientelæ, quô vel *dignitas*, vel *vectigal*, vel *prædium* aliquod eâ lege alicui datur, ut & ipse, & ipsius posteri atque heredes, beneficii auctorem perpetuò agnoscant, & quasi pro patrono colant; ejúsque caput, existimationem & fortunas tueantur. Quibus accedunt posteriorum Pontificum & Imperatorum *Constitutiones*, quarum illæ dicuntur *Extravagantes*, quæ vel Juri Canonico vel Civili non sunt insertæ.

In quibus omnibus libris prout variæ sunt divisiones in *Collationes*, *Titulos*, *Rubricas*, *Tractatus*, *Leges*, *Textus*, &c. ita notis brevioribus signantur in hunc modum. tom, id est, tomus. li. id est, liber. tex. textus. ff. Digestis. V. vetus Digestum. N. novum. Instit. Institutionibus. C. Codice. c. capite, authen. authenticâ. auth. authenticô. Coll collatione. gl. glossâ. Col. columâ. Can. Canone. Con. Conciliô. rub. rubricâ. tr. tractatu. § paragraphô. L. lege. vers. versu, & versiculô; ver. verbô ℞. respondeo. Q. Quæriturq quæstione, ar. vel a. articulô. opp. oppono. J. U. D. Juris Utriúsque Doctor. JCti. Jurisconsulti. P P. Patres. Pont. Max. Pontifex maximus. DD. Doctores, &c. quorum responsa maximam partem consitant auctoritatibus, quas vocant Allegationes.

Jurisprudentiæ finis. Nunc verò paullò pluribus Artem Juris & Æqui persequamur. Datur Jurisprudentiæ opera, ut ne desint,

desint, qui sciant præstare humanam Societatem salvam à dissidiis 1 *vinculorum*, quibus consortio illa continetur. 2 *casuum*, quibus labefactatur. 3 *remediorum*, quibus restituitur. *Vincula* sunt jura triplicia: *Personarum, Rerum, Actionum.*

Jus Personarum est potestas personæ in personam, cujus vi, una præest, dicitúrque sui juris; altera subest, ideóque juris est alieni; quare huc spectat maritalis potestas super uxorem: patria super liberos: *tutelaris* (vulgò *tutoria*) super impuberes; potestásque Magistratûs super subditos. *Jus Personarum.*

Jus Rerum est, quô persona quæpiam habet potestatem in quampiam rem; éstque vel *Dominium*; cùm res tenetur jure proprietatis; (JC *proprietarius* dicitur) vel *Possessio*; cùm tenetur ab eo, qui usumfructum habet, hoc est, jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ earum substantiâ: (JC. *usufructuarius*) vel *Servitus*; cùm persona vel res est alteri obstricta, ut ex ea vel fructum percipere, vel aliquid circa ipsam impedire possit, ut jus stillicidii, luminis, tigni immittendi; in prædio rustico iter, actus seu via, quâ quis pedes vel eques commeare potest. *Jus Rerum.*

Jus Actionum est factum quoddam obligans eum, qui admisit illud: Sive sit *Conventio*, quâ duo vel plures consentiunt in aliquid dandum, vel faciendum; séve obligant ad præstandum; ut fit in stipulatione, pollicitatione, & quocunq; pactô, aut contractu; sive sit *Delictum*, quô admissô oritur jus pœnæ inferendæ, &c. *Jus Actionum.*

Casus, â quibus venit dissolutio, vel labefactatio humanæ societatis, sunt; aut invasio alieni juris; aut desertio proprii; aut violatio contractuum; quorum summa est, *do, ut des*; *facio, ut facias*; vel

do, ut facias; vel *facio, ut des*: ex illo enim trino casu origo omnium litium.

Remedium est, ut restituatur unumquódq; in suum locum secundùm præscriptum Juris: quod, præter superiùs positas divisiones, est *Municipale*, seu privatum uniuscujusque Civitatis; *Provinciale*, quod proprium provinciæ cuipiam. Jus *Prætorium* seu *Honorarium*, quô Prætor corrigit vel supplet quædam in Jure Civili utilitatis publicæ causâ. Jus *Publicum*, quod ad statum rei communis spectat; *Privatum*, quod ad singulorum commodum. Jus *Singulare*, quod contra communem civilium ordinationum tenorem, propter aliquam naturalem æquitatis rationem, certâ constituentium auctoritate, est introductum; vocatúrque *Privilegium*. *Brevius*: est Lex privata seu privatis facta. Jus *Consuetudinis*; quod in morem vetustas publicâ approbatione perduxit; unde & Jus *non scriptum* dicitur; aliud *scriptum*, & tabulis impressum. Jus *summum* seu strictum, seu apex Juris, est Jus inflexibile, & minimè foro deserviens; impropriè verò illud dicitur summum, quod prædurâ interpretatione trahitur ad species factorum inconvenientes. *Æquitatis Jus*, seu æquum & bonum, est humanior & benignior Juris interpretatio. Dum autem aliqui controversantur inter se, de suo Jure, ejùsque sensu, itur ad *Jurisconsultos*, seu Juris Interpretes aut Jurisprudentes; inter quos qui excellunt, Juris *Antistites* appellantur; aliquando consulitur illorum Academicum Collegium, ut id, quod in Jure dubium seu controversum, (Juris controversias) legitimis responsis explanent. Inter quos si & tu nomen profiteri velis, & cum nomine scientiam: ante omnia illos, quos dixi, Constitutionum Libros (sunt

(sunt enim quatuor) tibi pernoscendos putes ; sunt in iis prima Juris præcepta : *honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.* Indidem disces, quæ Juris vocabulis subjecta sit significatio ; nam absque hac quid erit Jus nisi rus, confusum & sentibus perplexum ? Quibus ut te implicationibus per varias artes & scientias liberem, vide, quem laborem susceperim. *Desiderius.* Agnosco gratus. *Mercurialis.* Theologiæ nunc inibimus sacraria. *Desiderius.* A quibus exesse jubentur profani, inter quos me censeo. Ego verò ; si quid liceret. *Mercurialis.* Edissere. *Desiderius.* Si liceret ex hoc Utriusque Juris Lycéo mihi paullò peritiori abire. *Mercurialis.* Peritiori ? An nescis, quomodo canes è Nilo bibant ? transcurrendô. Non sumus Hesiodi, unâ qui nocte dormiendô sive in Helicone, sive in Papiniani, Ulpiani, Bartoli, aut Baldi auditorio, Apollinis Themidísve sacerdotes evadamus. *Desiderius. Non tam aversus equos animo Sol jungit ab isto*, ut spes mihi adeò ridiculas faciam ; id te exoratum eo, ut, quando frigida illa duo verba *Meum* & *Tuum* non frigefaciunt, mndò, sed nescio, quâ antiperistasi, incendunt omnia litibus ; mihi non gravatè, vel transcursu tantùm, exponas potiores earum rerum sive *definitiones*, sive *descriptiones*, quas non Jurisconsulti modò versant ore & calamô, sed *Leguleji* quoque ad ignorantium ruborem crepant. *Mercurialis.* Scio, quid petas, & memini, me quoque aliquando subruisse, hæc audientem nec satis intelligentem. Adesdum animô ; percensebo, quidquid in hoc Legum & Jurium negotio communiùs se offerre solet; sic tamen, ut quemadmodum in nullius juravi verba Magistri, ita siquid aliter illi sentiant, & loquantur, mihi fraudi es-

di esse nolim, habeo, quos sequar. Tu me audi. *Desiderius*. Tuo suspensus ab ore.

Leges. Ordiendô à *Legibus*, præter suprà memorata, ajunt *Jus intelligentes*, *Legem* esse præceptum commune, justum, stabile, ac sufficienter promulgatum; *brevius*; Juris & Æqui regulam. Legis *relaxationem*, seu exemptionem ab ea, vocant *Dispensationem*, publicâ scilicet auctoritate factam. *Legislatione* Lex *fertur*, conditur, sancitur, statuitur, sciscitur, jubetur. *Abrogatur*, antiquatur, aboletur, cùm robur ei obligandi adimitur. *Derogatur* illi, cùm pars aliqua ei detrahitur. *Obrogatur* ei, cùm alia fertur Lex, priori abrogandæ. *Declaratur* interpretatione, ipsam in certo quodam casu carere vi obstringendi; id si fiat à Legislatore, dicitur interpretatio *Authentica*; si ab aliis, *Æquitas*, seu Ἐπιείκεια; si præter aut contra eam, constans & durabilis alicui gratia conceditur, est *Privilegium*. Lex colitur, servatur, observatur, frangitur, rumpitur, perfringitur à *legirupis*, per *legirupionem*, ut *Plautus* loquitur. *Exlex* vixit sine Lege, aut nulli obstrictus Legi. *Legitimum*, quod conforme Legibus.

Vetus Legislatio. Olim quemadmodum Magistratus Romani creabantur *Comitiis*; ita Leges quoque ferebantur. De quibus, in observantiam Antiquitatis, hæc accipe. *Comitium* erat Romæ locus in foro, quò populus cùm litium, tùm Comitiorum causâ coire solebat; ubi multa visenda: ut carcer, quem Tullianum appellabant. 2. Rostra, seu capacissimum suggestum, è captivarum navium rostris exstructum, ac postea templum nominatum. 3. Statuæ plurimæ deorum ac hominum. 4. Puteal Libonis, quod ara fuit, quam tenentes manibus Judices jurabant, se ex animi sententia judicaturos. *Comitia* verò erant Conventus populi; *Curiata* quidem, hoc est, ex Curiis,

Comitia Romanorum.

quas

quas Romulus ex tribubus tribus, in decem partes, ob curam Reipublicæ habendam, dictas & divisas, constituit; quæ deinde, ad suffragium dandum, secundùm censum & ætatem curiatim evocabantur. *Centuriata* Comitia erant, cùm centuriatim seu per singulas ceuturias suffragatio fiebat, & quidem in Campo Martio extra urbem. *Tributa* inibantur Comitia, cùm plebs sine patriciis, secundùm Urbis regiones & locos, tributim, seu per tribus, posteriore ætate multùm auctas, ad suffragandum vocaretur. Leges antequam ferrentur, priùs scriptô exponebantur publicè per *trinúndinum*, hoc est, tres nundinas, seu dies viginti septem. Exindè præmissis *auspiciis* (scilicet avium *inspectione*, *observatione* de cœlo, *tripudiô* sive terripaviô, aut solistimo, de quibus cap. seq.) ibatur in Comitia. Sin' ea non placerent, *obnuntiabant* Augures, & impediebant. Quid, quòd & *morbus Comitialis* (epilepticus) diem ceteroquin Comitialem, seu gerendis comitiis aptum, vitiabat. Factâ sortitione circa ordinem dandi suffragii, (in qua prima Centuria seu Tribus, dicebatur *Prærogativa*;) ante lationem diribebantur seu distribuebantur *tabellæ duæ*, in quarum altera inscriptum littera A, id est, *Antiquo, nolo*: In altera U. R. *Uti rogas*, id est, *approbo*. Quæ deinde cistis, urnis seu sitellis per pontes angustos collocatis injiciebant, & ad ineundum suffragantium numerum dirimebantur, seu exemptæ recognoscebantur. Legem laturi suasurívе *rogabant* populum seu Quirites, ut discederent in suas classes, ac irent in suffragia, (inde Legis *rogatio*;) quæ si Tribunis non arridebat; tum *intercedebant*, hoc est, sese opponebant solenni verbô: *veto*, aut *vetamus*, impediebántque lationem Legis. Denique quod plures Tribus, Centuriæ aut Curiæ comprobâssent, sanciebatur,

ita

ita quidem, ut quod Populos Romanus (cujus pars vilior *plebs* dicebatur) ratum habuisset, ejus Patres Conscripti sive Senatores fierent *auctores*, hoc est, confirmarent; omnésque Cives juramentô confirmarent. Denique Lex sive Centuriata, sive Curiata seu Tributa in æs incidebatur. Hîc nota, *Depontanos* olim dictos, senes Sexagenarios, qui de ponte dejiciebantur, hoc est, suffragiô, quod in ponte ferri solitum diximus, privabantur. *Desiderius.* Probè cepisse mihi videor, quæ de Juribus & Legibus generatim edisseruisti. *Mercurialis.* Quædam etiam speciatim attingam; ausculta.

Vocabulorũ Juris explicatio.

Qui de Jure & Justitia disputant, ita ferè solent loqui. *Dominium* habere dicitur, cui Jus est (nisi Lex obstet) de re aliqua tanquam sua perfectè disponendi; sive Jus illud sit in re, sive ad rem. Jus *prius* habet, cui potestas adest, rem aliquam, tanquam propriè suam, legitimè vindicandi. *Posteriore* præditus est, cui datur actio in personam, quæ rem illam possidet. *Dominium Directum*, si est in rem solam; *Utile*, si in solos fructus. *Jurisdictionem* obtinet, qui auctoritate & eminentiâ pollet super alios, ad eorum regimen & gubernationem. *Servitus* est subjectio, quâ quis vel ipse vel res ipsius obstricta est: alteri ad fructum ex ipsomet, vel re ipsius, percipiendum. *Possessio* est detentio rei, adminiculô corporis, animi, juris. Alia bonæ dicitur fidei, alia malæ. In *possessionem mittitur*, cui ratione damni crediti, seu infecti, hoc est, nondum facti, quod tamen futurum timetur, rerum custodia à Prætore mandatur, non ut possideat, sed ut in possessione sit. Malæ fidei possessor *incubare* & incubator dicitur.

Acquisitio dominii

Acquiritur verò *dominium* variis modis. Vel *bellô*, ut est præda & spolia, ac peculium, quod dicitur

Castren-

Castrense; vel *casu* & *fortuitò*, ut inventione thesauri; (pro *derelictis* habentur, quæ dominus eâ mente abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit; *bona incerta* sunt, quorum dominus nequit reperiri aut cognosci.) *Vel industriâ, labore, arte, naturâ*; ut venatione, opificiô, agricolatione, &c. Vel *præscriptione* seu *usucapione*, quod fit per continuationem temporis Lege definiti. Vel *pactis* seu pactionibus, conventis, conventionibus duorum aut plurium inter se, unde nascatur alterutris obligatio: quæ si utrinque oritur, *Pactum* seu *Contractum Onerosum* JCti vocant. Quod aliquando ipsâ rei traditione perficitur, ut in *Deposito*, *Commodato*, *Mutuo*, *Permutatione*, *Pignore*, *Donatione*; aliquando scripturâ seu *instrumentô* literarum legitimè factô: aliquando *verbis*, seu certâ ac conceptâ contrahentium formulâ, unius interrogatione præcedente, alterius responsione subsequente, ut in stipulationibus fit. Sed in Emtione, Venditione, Locatione, Conductione sufficit, consensus quovis modô exteriùs utrinque explicatus. Et hi sunt dicuntúrque *Contractus nominati*; alii vocantur *Innominati*, quia peculiare nomen non habent, nempe: *Do, ut, des*, &c, quemadmodum antè intellexisti.

Per fortunam aut industriam.

Vel præscriptionem.

Per varia pacta.

Quòd si pactum uni tantùm parti onus & difficultatem adferat, vocatur *Gratuitum*; ut est Promissio liberalis & spontanea, non sine acceptatione illius, cui promissum est factum, etsi nondum secuta sit traditio. Quidam nudam promissionem, quæ nondum acceptata, malunt vocare *Pollicitationem*. *Donatio* est doni alicujus in aliquem collatio, nullô cogente jure facta. *Antidórum* est remuneratio obsequii seu beneficii accepti, grati animi causâ. Donatio, *mortis causâ*, est revocabilis ante mortem; secùs *Donatio inter vivos*; cùm dominium jam

Per donationem.

jam sit in alios translatum, solô remanente usu fructûs, *pactum nudum* vocant, quod Jure Civili necdum est roboratum; quod si robur obtineat, appellatur *vestitum*; cùm nimirum pactum vel ex alterutra sit parte præstitum, vel stipulatio accesserit: vel facta contestatio & fides per scripturam, ut si Creditori *Debitor* profitetur debitum per *syngrapham*, (syngraphum) chirographum, tabulas & alias nominum factorum cautiones. *Creditor* verò per *apochan* seu acceptilationem testetur, satisfactum esse sibi à Debitore; unde chirographarius utérque dicitur.

Per aditionem hereditatis. Acquiruntur etiam res aditione hereditatis, seu per *Testamentum* aut Testamentariis tabulis, quibus aliquis, vi ultimæ seu supremæ voluntatis, ab altero instituitur heres: est ergo *Testamentum* justa mentis contestatio in id solenniter facta, ut post mortem valeat. Testamentum *Clausum* vocant, quòd Notarium & Testes lateat id, quod in eo continetur; *Nuncupativum*, quod noverunt Testes, qui, solenni formâ, debent esse septem, iidémque testabiles; resignatur Testamentum, cùm aperitur. *Codicillus* appellatur illa scriptura, quâ voluntas quidem extrema declaratur, sed nulla fit heredis institutio. *Legatum* JCtis est donatio à Testatore relicta, & ab herede post mortem illius præstanda ei, cui donatum est, quem *Legatarium* vocant. *Fidecommissum* significare solet Legatum seu hereditatem ita alicui commissam esse, ut alienari non possit aut relinqui aliter, quàm Testator ordinaverit. Latini vocant heredes & hereditatem *fiduciariam*. Testamentum *Holographum* est ipsius auctoris manu totum scriptum. *Improbum*, quod contra Leges; *Inofficiosum*, quod contra merita; *Inhumanum*, quod contra pietatem. Ordo in Testamentariis tabulis est iste.

1 præ-

1 præfatio. 2 legata, etiam pia. 3 institutio heredis. 4 substitutiones secundorum heredum, qui olim dicebantur. In ima cera scripti. 5. Testatoris dispositiones. 6. clausula generalis. Intestabilis est, qui jure Testamentum facere non potest;

Fit etiam rerum *Acquisitio per mutuum*, quando res ita traditur in usum alteri, ut restituere teneatur tantundem ejusdem rationis. *Usura* lucrum est ex mutuo ideo præcisè, quia mutuum est (seu ex mutuo quà mutuo) sine respectu vel *damni emergentis* (seu detrimenti ex re mutuò data obventuri;) vel *lucri cessantis* (hoc est, emolumenti consecuturi, si mutuatum non esset;) adeóque usura est lucrum seu pecunia, quæ in fœnore sorti vel præter sortem accedit. *Sors* est ipsa *pecunia*, quam creditores fœnerantur, dicitur etiam *summa*, seu *caput* fœnoris. *Interusurium* est usura medii temporis. Usura usuræ est lucrum ex usura non soluta, Græcis ἀνατοκισμός; quanquam vocabulum usura accipitur etiam pro usu & familiaritate. Usura *hebdomatica* Judæorum est, qui octavô quoque die tantum exigunt, ut annô absolutô unus florenus usuram ferat dimidii floreni, unde Wucher à Wochen. Apud Græcos erat menstrua, seu usura centesima, quâ de centum florenis fœnori cedebant duodeni, & centesimô mense explebat sortem. *Unciaria* usura centesimô primô annô exhaurit summam. *Quincunx* Centesimæ seu Quincuncialis usura est, quoties ex centum nummis quinque in usuram veniunt quotannis. Et hæc est usura seu fœnus Germanis usitatum, & Imperialibus conforme Legibus. *Semissis Centesimæ*, sex parit nummos; bes verò octo. JCtis quædam usura est *aperta*, alia *palliata*. Per mutuū.

Acquirimus etiam res per *emptionem* & *venditionem*, dum *emptor* tenetur dare pretium pro merce: Per emtionem.

venditor tradere mercem pro pretio; per pretium intelligitur pecunia: per mercem res quævis pecuniâ æstimabilis. Est autem pretium *naturale* seu vulgare, quod vulgò mercibus imponitur; *summum*, supra quod cariùs vendi non possunt; infimum, quô minus absque detrimento exigi non potest; *medium*, quod inter utrúmque consistit; *justum seu legitimum*, quod à potestate publica, ob bonum commune, est taxatum. *Venditor* tenetur emptori de evictione, ut si quis rem emptam vindicet ab emptore tanquam suam. *Retractus gentilitius* est jus revocandi venditionem rei immobilis à consanguineo. *Negotiatio* est, quando res emitur eô fine, ut pluris vendatur. *Monopólium* est, cùm unus vel plures efficiunt & consequuntur, ut ipsi soli genus aliquod mercium vendere queant.

Sed jam de *Censibus* agamus, seu *Reditibus* annuis, ex quibus aliorum implentur marsupia, aliorum depleantur. Olim *Census* erat facultatum cujusvis civis æstimatio, secundùm quam vel tributa pendebantur, vel etiam honores distribuebantur, & equitum gradus distinguebantur. Unde Poëta:

Janua pauperibus clausa est, dat Census honores.

Hinc capite censi, qui solis capitibus censebantur, & duntaxat numerum faciebant; qui & *Ærarii* & in *Cerítum* tabulas dicebantur relati, hoc est, qui ademptô jure suffragii pro capite suo, tributi nomine, æra pendebant. Quòd si quis Eques esse volebat, in facultatibus possidere debebat quadringenta sestertia seu quadringenties millies sestertios, sive decem millia Philippeorum. Census senatorius duplô erat major.

Per Census. Communiter *Census* JCtis est Jus percipiendi annuam pensionem, seu reditum ex re, aut persona alterius; qui aliquando *reprimi* potest, capitalem sum-

summam redhibendô; pro lubitu vel Censum dantis, vel recipientis; aliquando *perpetuus* est. Litteras, quibus alter alteri de Censu pendendo obligatur, *Ulpianus Censuales* vocat.

Cambium verò quid esse putas? *Desiderius.* Rem & vocabulum peregrinum. *Mercurialis.* Ita est; quanquam nonnemo putet hanc, elegantem & antiquam esse vocem. Ego malo *Collybum* cum Græcis dicere, quando vel unum genus pecuniæ permutatur cum altero, sive de præsenti per *collybistas* seu nummularios aut argentarios: vel per litteras ad exteras nationes transfertur & transportatur. *Per Cambium.*

Locatio & *Conductio* fit, cùm aut persona aut res aliqua ad usum vel fructum pro pretio conceditur; *Locatur* enim vel se vel rem suam pretiô utendum *dat*: aut faciendam *suscipit*; quod Latinis dicitur *redimere*; *Conductor* est, qui operam illius emit. Elocatio ultra novennium appellatur *Emphyteusis*, (Latinè insitio, vel plantatio; quia ab initio sterilia tantùm in culturam concedebantur,) quæ est concessio rei immobilis secundùm utile dominium, pro pensione seu obsequio certis temporibus præstando. *Emphyteuta* est, cui conceditur. Feudum (de quo jam suprà) Latinis beneficium; requirit fidelitatem & obsequium ab ipsa persona exhibendum, qui vulgò *Vasallus* seu *Feudatarius* dicitur. Latinè *Beneficiarius* seu *Cliens.* Unde prædium *beneficiarium, clientelare.* Romani dicebant dare mancipio fundum, in fidem suam accipere clientem, injicere manus fundo mancipato; mancipio accipere, fidem patroni sequi, in fidem se conferre: obsequium vel clientelam exuere; feudum paternum, illis jus gentilitium. *Per Locationem & Conductionem.*

Per Pactum Societatis. *Pactum Societatis* est conventio inter aliquos, conferendi in communem quæstum & damnum, secundùm rationem contributionum. *Ludus* certamen duorum aut plurium ad animi oblectationem, eâ tamen conditione, ut victori cedat res ab utróque deposita, secundùm Leges sive ex fortuna, sive industria pendentes. *Per Sponsionem.* *Sponsione* contenditur de veritate vel eventu rei alicujus cum lucro ejus, qui verum conjecit. *Per Depositum.* *Depositum* vocatur & res ipsa, quæ alicui custodienda traditur: & *Pactio*, quâ aliquid traditur custodiendum, ut integrum restituatur. *Per commodatum.* Sed *Commodatum* aliquid, ad solum usum gratuitò conceditur. *Fidejussio* est alienæ obligationis in se susceptio, si, qui debet, fide non constiterit; huic accedit alieni periculi *Præstatio*, quam *Assecurationem* vocant. Unde phrases: præstare alicui securitatem: cavere alicui pecuniam: satispræstare, cavere per satisdationem, cautionem præstare, interponere, offerre, pecuniarum cautiones, prædes, vades, sponsores, fidejussores dare, item satis accipere, satisacceptio, &c. *Appromittit*, qui pro alio promittit: appromissor; JC. *expromissor*. *Pignus* creditori in securitatem seu cautionem datur. *Hypotheca*, (quia in re immobili) sine traditione, nudâ conventione continetur; hinc illa: res pignoratitia, pignoratio, pignus capere, accipere aliquid pignori; pignorare, pignorari, oppignorare, seu pignori dare.

Obligatio restituendi. Intellexisti modos acquirendi? Nunc rationem & causas disce *restituendi*; cùm videlicet per *Restitutionem* reparandum est damnum alicui injuriosè illatum; sive ea injuria pertineat ad bona fortunæ, per furtum rem auferendô alienam, occultè & fraudulenter, scilicet invitô meritò dominô; quæ ablatio si fiat apertè per vim, est *rapina*; si Principis fisco aut

aut ærario publico, *peculatus*; si loco sacro aut rei sacræ, *sacrilegium*; si liberi abstrahantur à parentibus, *plagium*: si fama (quæ bona multorum de alterius moribus existimatio) violatur, est *maledicentia* & *obtrectatio*, vulgò *detractio*; si honor (qui est testificatio excellentiæ, alienô animô conceptæ) lædatur & imminuatur verbis, est *convitium*, si scriptô, *libellus famosus*; si factis, *contumelia*. Nec minùs satisfaciendum pro injuriis corpori illatis, per mutilationem, occisionem, &c. Animal, quod *pauperiem* fecit, seu damnum intulit, *noxæ deditur*, hoc est, vivum traditur. In communionem damni & obligationem Restitutionis vocantur, qui geminis his, ex antiquitate petitis, versiculis indicantur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quidid tu adhæc? Nunquam pridem obtundo? *Desiderius.* Ah, quem te memorem? Vastam Pandectarum Iliadem in nucem contraxisti. *Mercurialis.* Ridete, quidquid domi risuum est. An tu hunc Vocabulorum Juris indiculum comparas Poëmati Homerico, minutissimi characteris artificiô in nucis angustias, sine ulla integritatis labe contractô? ô mentis albæ hominem! Quin potius actutum nos hinc auferimus, antequam in varias controversias & lites de verborum significationibus incidamus. Reflecte oculos. *Desiderius.* Quorsum? *Mercurialis.* En stridet cardo, ultro panditur janua; confidentium in nos mittuntur oculi. *Desiderius.* Quorum? *Mercurialis.* Quos Minóes, Rhadamanthos, Æacos dixere Veteres. *Desiderius.* Intelligo? Judices sunt, qui velatis olim pingebantur luminibus.

Mercurialis. Experieris Argos esse, non Tiresias; ingrediamur ad illos.

Caput LXXVII.

Judices, Judiciarius ordo seu forma, Executio Sententiæ.

JUdiciorum æquitas & administratio continet Reipublicæ incolumitatem & conservat; nam per illam suum cuíque constat jus & securitas, dum reprimitur violentia, & animadvertitur in violatores ac injurios rerum usurpatores, implorandô Leges, & adversùs eos provocandô, aut saltem testatò denuntiandô ac contradicendô, (JCtis protestandô.

Forma Judicii triplex. Forma Judicii triplex est. 1 per *amicabilem Transactionem* seu Compositionem controversiæ. 2 per *Juridicialem* in disceptando *ordinem* (JCtis *Processum*) seu Judicium strictum. 3 per *rigidam Executionem*, auditâ scilicet & discussâ lite, vigorem rei judicatæ ad effectum perducendô.

Per amicabilem transactionem. *Amicabiliter* componuntur controversiæ inter partes, sumendô *arbitrum* (*Judicem Compromissarium*) dum vel adiguntur ad eum; vel ultro se interponit honorarius disceptator, in quem compromittunt, (unde *Compromissum* & *Compromissores*) se acquieturos ejus arbitrio, seu arbitrario judicio, secundùm æquum & justum, qui quandóque dicitur Sequester, vulgò *Mediator*.

Per Ordinem Judicialem. Si non allubescunt compositiones pacificæ, & collibet experiri jure, sectantur forum, & Judex Legitimus, (JC. *Competens*) habens scilicet Jurisdictionem vel *Ordinariam*, vel *Delegatam*, aut etiam *Subdelegatam*, (nimirum recipiens judicialem cognitionem, ab altero sibi commissam) præsidet, armatus auctoritate publicâ, instructúsque ministeriis

steriis Apparitorum, Accensorum, Præconum, Viatorum, &c. exercet Judicia die fastô, abstinet nefastô, aut cùm per *justitium* dictio juris est intermittenda.

Actor (litem seu judicium intendens) olim in jus non vocabat tantùm, sed ducebat, trahebat, rapiebat *Reum*; (contra quem in judicio agitur, quíque defendit aut propulsat actionem;) id hodie fit contra manifestè (*notoriè*) improbum; petítque decídi causam, vel de *simplici & plano*, sine libello & ambagibus altercationum, hoc est, sine strepitu, figura & solennitatibus Judicii Ordinarii (JC. *Processu summariô*;) aut acturus *ordine legitimô* (*Juridicô Processu*) seu Lege, intendit ei litem sive actionem, impingítque seu scribit dicam, jus postulans, seu vocans in jus; unde postulatio & delatio nominis. *Accusator* strictè est, qui alterius nomen defert in causa criminali; *actor* in civili; utérque cum onere probandi; quod *Denuntiatori* impositum non est; *Calumniator* accusat de eo, quod juridicè ostendere non potest.

Sunt autem formulæ variæ constitutæ pro varietate actionum, quibus aliquis jus suum persequitur in judicio; quarum alia *Civilis*, quâ suam quisque privatam aut injuriam aut commodum, ob alteriùs delictum aut noxam, persequitur. *Criminalis*, quâ de capitali fraude aliquis arcessitur ob vindictam publicam procurandam. Rursus aliud judicium seu actio dicitur *JC. Possessorium*, ubi non de proprietate rei agitur, sed solùm de ejus possessione; *Petitorium*, ubi de dominio disceptatur; illud est *Facti*; hoc *Juris*. Ubi attendendum, ut rectè edantur *postulata*, ne cadatur formulâ. Actionum diversa sunt genera, prout varia vel sunt pacta, vel delicta; v.g. commodati, depositi,

Caput LXXVII.

Judices, Judiciarius ordo seu forma, Executio Sententiæ.

JUdiciorum æquitas & administratio continet Reipublicæ incolumitatem & conservat; nam per illam suum cuique constat jus & securitas, dum reprimitur violentia, & animadvertitur in violatores ac injurios rerum usurpatores, implorandô Leges, & adversùs eos provocandô, aut saltem testatò denuntiandô ac contradicendô, (JCtis protestandô.

Forma Judicii triplex. Forma Judicii triplex est. 1 per *amicabilem Transactionem* seu Compositionem controversiæ. 2 per *Juridicialem* in disceptando *ordinem* (JCtis *Processum*) seu Judicium strictum. 3 per *rigidam Executionem*, auditâ scilicet & discussâ lite, vigorem rei judicatæ ad effectum perducendô.

Per amicabilem transactionem. *Amicabiliter* componuntur controversiæ inter partes, sumendô *arbitrum* (*Judicem Compromissarium*) dum vel adiguntur ad eum; vel ultro se interponit honorarius disceptator, in quem compromittunt, (unde *Compromissum* & *Compromissores*) se acquieturos ejus arbitrio, seu arbitrario judicio, secundùm æquum & justum, qui quandóque dicitur Sequester, vulgò *Mediator.*

Per Ordinem Judicialem. Si non allubescunt compositiones pacificæ, & collibet experiri jure, sectantur forum, & Judex Legitimus, (J.C. *Competens*) habens scilicet Jurisdictionem vel *Ordinariam*, vel *Delegatam*, aut etiam *Subdelegatam*, (nimirum recipiens judicialem cognitionem, ab altero sibi commissam) præsidet, armatus auctoritate publicâ, instructúsque ministeriis

steriis Apparitorum, Accensorum, Præconum, Viatorum, &c. exercet Judicia die fastô, abstinet nefastô, aut cùm per *justitium* dictio juris est intermittenda.

Actor (litem seu judicium intendens) olim in jus non vocabat tantùm, sed ducebat, trahebat, rapiebat *Reum*; (contra quem in judicio agitur, quísque defendit aut propulsat actionem;) id hodie fit contra manifestè (*notoriè*) improbum; petítque decídi causam, vel de *simplici & plano*, sine libello & ambagibus altercationum, hoc est, sine strepitu, figura & solennitatibus Judicii Ordinarii (JC. *Processu summariô*;) aut acturus *ordine legitimô* (*Juridicô Processu*) seu Lege, intendit ei litem sive actionem, impingítque seu scribit dicam, jus postulans, seu vocans in jus; unde postulatio & delatio nominis. *Accusator* strictè est, qui alterius nomen defert in causa criminali; *actor* in civili; utérque cum onere probandi; quod *Denuntiatori* impositum non est; *Calumniator* accusat de eo, quod juridicè ostendere non potest.

Sunt autem formulæ variæ constitutæ pro varietate actionum, quibus aliquis jus suum persequitur in judicio; quarum alia *Civilis*, quâ suam quísque privatam aut injuriam aut commodum, ob alteriùs delictum aut noxam, persequitur. *Criminalis*, quâ de capitali fraude aliquis arcessitur ob vindictam publicam procurandam. Rursus aliud judicium seu actio dicitur JC. *Possessorium*, ubi non de proprietate rei agitur, sed solùm de ejus possessione; *Petitorium*, ubi de dominio disceptatur; illud est *Facti*; hoc *Juris*. Ubi attendendum, ut rectè edantur *postulata*, ne cadatur formulâ. Actionum diversa sunt genera, prout varia vel sunt pacta, vel delicta; v. g. commodati, depositi,

empti, venditi, mutui, pigneratitii, de evictione, de dolo, metu injusto, &c. Sic de vi, de ambitu injuriarum, &c. Actio in rem dicitur Vendicatio vel Vindicatio; in personam Condictio.

Dehinc *Reus* citatur vel ad tribunal Prætoris in *Prætorium*, vel ad subsellia Judicum in *Dicasterium*; idque vel per Præconem; vel Libellum; vel Edictum (quod vocat *Proclama*;) nec rarò *peremptoriè*, tollendô seu perimendô tergiversationem, ut, si citatus non venerit, contumaciæ condemnetur; qui aut prætendit rationes, (JCtis *Clausulas*) ut declinet forum, vel legali exceptione, vel privilegiô, (JC. *declinatorium fori*) aut se sistit indictâ seu dictâ die, quod est obire vadimonium, seu in jus ambulare, & comparere; aliquando non sine testata aut præmissa contradictione, sive id faciat per se, sive per Procuratorem, (*Mandatarium*) Advocatum, (qui jus in judicio suggerit, & præsentiam suam commodat;) aut *Syndicum*, (qui ab aliquo collegio aut communitate ad causam agendam delectus est. Actor *vadatur* Reum, sponsione illum obstringendô, vadimonium se non deserturum. Vicissim Reus petit ab Actore *satisdationem*, vel per pignora; vel fidejussores, aut cautionem, (ut vocant, *juratoriam*) hoc est, promissionem jurejurandô firmatam, fore, ut in judicio ad usque litis exitum permaneat, quò possit ipsum; si iniquè in judicium tractus sit, reconvenire pro restituendis seu refundendis & resarciendis Expensis; & de judicato solvendo, si condemnatus alter fuerit.

Exinde *Judex agit Judicium*, perficitur *Accusatio* & *Inficiatio*; (Excusatio, Defensio) accusatô aut fatente, liti cedendô, aut excusante objectam culpam, vel diffitente; oblatô priùs ab Actore libellô, qui continet *intentionem litis*, seu cardinem causæ;

ſæ; ubi iterum locus *excludendi* actionem, (JC. *excipiendi contra*) opponendô Excluſionem vel Exceptionem: aut *Dilatoriam*, actionem in tempus differendô, extrahendô, protelandô; aut *Peremptoriam*, actionem omninò perimendô & elidendô.

Poſtquam lis ab Actore intenta ſeu facta eſt; ſequitur *Depulſio* ſeu *Reſponſio* Rei. Ex utróque oritur *Conteſtatio litis* ſeu Conſtitutio Judicii, factâ affirmatione unius & contradictione alterius litigantis; editúrque juramentum evitandæ calumniæ. Inde pervenitur ad *Probationes* (rationes, confirmationes, demonſtrationes) & teſtimonii dictiones, dum producuntur teſtes idonei ſeu legitimi, ac jurati; (ſi non ſufficiat auctoritas eorum, & aſſertio nuda) hoc eſt, mares, puberes; non infames, non perjuri, viles, inopes, inimici, ſanguine juncti, domeſtici, ſocii criminis; *teſtes*, cùm nullâ excluſione ſubmoveri poſſunt, dicuntur omni *exceptione majores*. Sed jusjurandum præſcribitur verbis conceptis, ne jurator eludat per voculas ambigui ſignificati, ſeu amphiboliam, vulgò *Æquivocationem*. Poſtea exhibentur *Inſtrumenta* ſeu autoritates publicæ, videlicet conſignationes, tabulæ, litteræ authenticæ, (JC. *Documenta*) Syngrapha, Chirographa, Apochæ, libri rationum, pacta & conventa, &c. Tertiò adducitur ipſius *Rei Confeſſio*. Quibus accedunt jusjurandum, Præjudicia ex re judicata; Fama per rei evidentiam aut vehementem opinionem, aut conjecturam, ac *præſumptionem* hominis.

Eſt autem *triplex Probatio*. 1 *Minor*, quæ rem perfectè non demonſtrat, ſed indiget delatô juramentô. 2 *Major*, ſcilicet per duos teſtes (in Cauſa Criminali debent eſſe omni Exceptione Majores) 3 *Maxima* & indubitata.

Inde conficiuntur Interrogationes ſuper articulis (JCtis *Interrogatoria*) ſeu rebus, quæ ad cognitionem Actionis inſtitutæ neceſſariò requiruntur, ſecundùm circumſtantias ſeu adjuncta cauſæ & perſonarum; ad quæ Inducti Teſtes jurandô reſpondent, quod JC. eſt *Deponere juramentum*, unde *Depoſitiones* & *Atteſtationes*; quæ omnia Reus refellit, elevat, explicat, infirmat, redarguit, dum adferendô Exceptionem eludit Adverſarii argumenta (JC. *excipit contra.*) *Exceptio* ab Actore refellitur *Replicatione*; huic à Reo opponitur iterata ac repetita refutatio ſeu redargutio, vel nova jurium productio, (vulgò *Allegatio*) quæ dicitur *Duplicatio*; huic ab Actore objicitur *Triplicatio*; quam excipit *Quadruplicatio*, & interdum *Quintuplicatio*.

Sequitur Concluſio cauſæ, & latio ſeu pronunciatio ſententiæ; quæ vel eſt *Abſoluta* (JC. *Definitiva*) definiendô & determinandô controverſiam, dum ſecundùm alterum decernitur; alter cauſâ cadit ſeu lite; dum illi adjudicatur, huic abjudicatur; ille abſolvitur, hic condemnatur. Vel, quæ non eſt de ſumma controverſia, ſeu de negotiô principali aut cauſâ, de qua diſceptatur, ſed de quæſtione, ſuper ea incidente, JCti *Interlocutoriam* vocant. Si non *liquet*; pendet lis, pronuntiatur ampliùs, hoc eſt, ampliatur, protrahitur, prorogatur judicium. Aliquando Res *comperendinatur*, actionem in perendinum ſeu tertiam diem ptotollendô ac differendô. Antequam ſententia fertur, Præſes requirit vota ſ. ſuffragia *Aſſeſſorum*, ratáque habet; communi Decreta ſententiâ, nec retractans, nec reſcindens.

Executio ſententiæ. Promulgatâ deciſione cauſſæ, fit *Executio*; niſi *Dilatio* impetretur vel *Interceſſione* ſeu Interpoſitione: vel *Supplicatione* alicujus; aut pars condemnata pe-

ta petat recognitionem causæ, aut appellet, seu provocet, (intra statuti temporis terminos, qui nominantur *Fatalia*) ad *Judicium superius*, in quo finis controversiæ imponitur; nec *vitilitigatores* impunè relinquuntur.

Quæ omnia priùs calamô excipiuntur per Scribas, Actuarios, Notarios, Libellarios, Tabelliones, Formularios, Amanuenses, Exceptores cursim scribentes, Logographos, Dicographos, (JC. *commentarienses*) brevitérque & succinctè annotantur in codicibus scripturæ primæ seu *Protocolli*; (sic dicti, à colla prima seu glutine, quô olim glutinabuntur libri) aut *Protocóli*, (quasi à primo membro, nam κῶλον, membrum) unde postea diligenter exscribuntur, & perscribuntur, ac in *Acta* referuntur. Quorum scriptorum aliud Originarium; (vulgò *Originale*) aliud Transumptum, seu Exemplum, (vulgò *Vidimus*;) *Authenticum* est, cui vel de Jure, vel de Consuetudine, plena fides habenda. *Protocólum.*

Cœterùm idonei, incorrupti & integri *Judicis* est, intelligentem esse Juris & Æqui; & attentum ad ejus *Punctum*; inflexibilem, severum, religiosum, non admittere clancularias delationes; quæstiones non confundere; non prolatare causas extrahendô diem, sed insistere: non sufferre perplexitates, & Sycophantias vulturum seu rabularum forensium, injustè aliquem judiciô vexantium; vel *prævaricandô* adversam partem juvantium & cum ea *colludentium*; sed rejicere; non præjudicare inauditâ causâ; aut sinistrè præconceptâ, condemnare absentem aut indefensum; nec propendere favore aut odiô huc vel illuc, sed medium esse, & partis neutrius; non corrumpi largitionibus, *Officium Judicis.*

(un-

Inde conficiuntur Interrogationes super articulis (JCtis *Interrogatoria*) seu rebus, quæ ad cognitionem Actionis institutæ necessariò requiruntur, secundùm circumstantias seu adjuncta causæ & personarum; ad quæ Inducti Testes jurandô respondent, quod JC. est *Deponere juramentum*, unde *Depositiones* & *Attestationes*; quæ omnia Reus refellit, elevat, explicat, infirmat, redarguit, dum adferendô Exceptionem eludit Adversarii argumenta (JC. *excipit contra.*) *Exceptio* ab Actore refellitur *Replicatione*; huic à Reo opponitur iterata ac repetita refutatio seu redargutio, vel nova jurium productio, (vulgò *Allegatio*) quæ dicitur *Duplicatio*; huic ab Actore objicitur *Triplicatio*; quam excipit *Quadruplicatio*, & interdum *Quintuplicatio*.

Sequitur Conclusio causæ, & latio seu pronuntiatio sententiæ; quæ vel est *Absoluta* (JC. *Definitiva*) definiendô & determinandô controversiam, dum secundùm alterum decernitur; alter causâ cadit seu lite; dum illi adjudicatur, huic abjudicatur; ille absolvitur, hic condemnatur. Vel, quæ non est de summa controversia, seu de negotiô principali aut causâ, de qua disceptatur, sed de quæstione, super ea incidente, JCti *Interlocutoriam* vocant. Si non *liquet*; pendet lis, pronuntiatur ampliùs, hoc est, ampliatur, protrahitur, prorogatur judicium. Aliquando Res *comperendinatur*, actionem in perendinum seu tertiam diem ptotollendô ac differendô. Antequam sententia fertur, Præses requirit vota s. suffragia *Assessorum*, ratáque habet; communi Decreta sententiâ, nec retractans, nec rescindens.

Executio sententiæ. Promulgatâ decisione caussæ, fit *Executio*; nisi *Dilatio* impetretur vel *Intercessione* seu Interpositione: vel *Supplicatione* alicujus; aut pars condemnata pe-

la petat recognitionem causæ, aut appellet, seu provocet, (intra statuti temporis terminos, qui nominantur *Fatalia*) ad *Judicium superius*, in quo finis controversiæ imponitur; nec *vitilitigatores* impunè relinquuntur.

Quæ omnia priùs calamô excipiuntur per Scribas, Actuarios, Notarios, Libellarios, Tabelliones, Formularios, Amanuenses, Exceptores cursim scribentes, Logographos, Dicographos, (JC. *commentarienses*) brevitérque & succinctè annotantur in codicibus scripturæ primæ seu *Protocolli*; (sic dicti, à colla prima seu glutine, quô olim glutinabuntur libri) aut *Protocóli*, (quasi à primo membro, nam *κῶλον*, membrum) unde postea diligenter exscribuntur, & perscribuntur, ac in *Acta* referuntur. Quorum scriptorum aliud Originarium; (vulgò *Originale*) aliud Transumptum, seu Exemplum, (vulgò *Vidimus*;) *Authenticum* est, cui vel de Jure, vel de Consuetudine, plena fides habenda. *Protocólum.*

Cœterùm idonei, incorrupti & integri *Judicis* est, intelligentem esse Juris & Æqui; & attentum ad ejus *Punctum*; inflexibilem, severum, religiosum, non admittere clancularias delationes; quæstiones non confundere; non prolatare causas extrahendô diem, sed insistere: non sufferre perplexitates, & Sycophantias vulturum seu rabularum forensium, injustè aliquem judiciô vexantium; vel *prævaricandô* adversam partem juvantium & cum ea *colludentium*; sed rejicere; non præjudicare inauditâ causâ; aut sinistrè præconceptâ, condemnare absentem aut indefensum; nec propendere favore aut odiô huc vel illuc, sed medium esse, & partis neutrius; non corrumpi largitionibus, (un- *Officium Judicis.*

(unde judicium nummarium) ſed decernere ſimpliciter ſecundùm *Acta* (vulgo *Allegata* & *Probata*) ac cauſarum merita ; abſolvendô innocentem, damnandô ſontem, etiam ad *refuſionem Expenſarum*, ne potervia maneat impunita; ſed ut luat, qui peccavit, ſive in ære, ſive in corpore.

Denique quod ad *Executionem pœnalem* attinet, prout Delictorum (quô nomine etiam Crimina comprehendimus) ſunt diſcrimina, ita & pœnarum, ſuppliciorum, mulctarum, quibus noxiæ pro varietate Communium & Municipalium coërcentur ab iis, qui vel *merum* habent *Imperium*, ſeu jus & poteſtatem gladii, ut olim Romæ quæſitores rerum Capitalium; vel *mixtum*, hoc eſt, conjunctum cum jurisdictione, ſeu juris dicendi licentia non tantùm in rebus capitalibus, ſed etiam privatis. *Delicta* porrò vel committuntur circa *rem ſacram*, ut eſt ſchiſma, hæreſis, apoſtaſia, perjurium, blaſphemia, Simonia, ſacrilegium, ſepulchri violatio; vel circa cauſas profanas eáſque publicas; ut *crimen læſæ Majeſtatis*, cùm ſubditus adverſùs Principem aut Remp. perduellis eſt, aut rebellio, ſeu contumacia ſeditioſa, ambitus, conjuratio, collegia illicita, receptationes facinoroſorū, peculatus, (furtum pecuniæ publicæ) annonæ flagellatio. Circa *perſonas privatas*, plagium, (abſtractio liberi hominis) vulneratio, homicidium, prævaricatio, (cauſæ malitioſa proditio) tergiverſatio, ſeu cauſæ per accuſatorem deſertio; calumnia, concuſſio ſeu injuſta terroris injectio; raptus; (feminæ abductio libidinis cauſâ) impudicitia varia; crimen expilatæ hereditatis, repetundarum, furti. *Delicta communia* circa cauſas privatas & publicas: Prava ſuaſio, injuria in alterius contumeliam admiſſa, libellus famoſus, pictura famoſa, rapina, damnum præter

terjus datum, scilicet à quadrupede, quod suprà diximus, pauperiem vocari; damnum contra jus vel injuriâ datum, incendium, effractio, expilatio domorum, vis seu violentia alicui illata, crimen falsi in scriptura, vel instrumento, (mutando, delendo, radendo, celando, supprimendo, &c.) in moneta, testimonio, partûs subjectione, nominis mutatione, &c. veneficium, magia, ariolatio, &c. *Delictum*, quod *certum* nomen in Jure non habet, *stellionatus* dicitur, (à stellione, animali fraudulento) éstque fraus omnis, dolus malus, & impostura, ut si, v. g. quis, re aliquâ venditâ, postea aliam tradat, quam antè ostenderat, aut rem jam alicui obligatam iterum obliget alteri, &c. Delictum impropriè dicitur, quod sine dolo, sed non sine *culpa* admittitur, quæ tunc est *lata*, quando omittitur diligentia & circumspectio, quam passim homines ejusdem conditionis adhibere solent; *levis*, est omissio diligentiæ, quam diligentiores; *levissima*, quam non nisi diligentissimi impendunt.

Scelerosis infliguntur atroces pœnæ, ut alii deterreantur à sceleribus; ubi lictor rapit, loris ligat, vinculísque vincit sceleratos, injiciens manibus manicas, pedibus compedes vel pedicas, collo numellas, (collaria, bojas) & detrudens aliquos in ergastula, ut, compediti inter ergastularios, exequantur servilia opera, alios includit nervis, & exponit erectis in propatulo cippis: (Menianô infami) alios tradens carcerario custodiendos in carcere, & enervandos fame, squalore, pedore. Quidam prohibentur exire domô, quod JCti vocant *Custodiam privatam* seu domesticam, *Cicero* manûs injectionem.

Mitiùs torquentur, quibus pollex inter duo ferramenta premitur; enormes malefici traduntur car-

carnifici, subjiciuntur quæstioni, imponuntur equuleo, prægravantur ponderibus, distringuntur & distorquentur fidiculis, aliísque modis, (si confiteri nolint citra tormentum, (JCtis *torturam*) ut in confessos, demum supplicium constituatur juxta promeritum.

Scorta & scortatores cæduntur virgis & flagris: impudicis prostibulis inuruntur stigmata seu cauteria infamiæ, unde viri feminæquè stigmatiæ seu stigmatici; uti & proditoribus ac falsariis. Saccularii, manticularii, abigei, depeculatores mulctantur fustibus seu fustuariô, aut mulctâ, vel strangulantur suspendiô, in patibulo suspensi; præsertim effractores, directarii, vecticularii. Alicubi & furum socii (JCtis *complices*) ac receptores æquiparantur compilatoribus ipsis, afficiúnturque æquali noxâ, pro varia tribunalium ratione.

Mœchi, (alicubi) raptores, plagiarii, homicidæ & rei læsæ Majestatis decollantur, gladiô aut securi percussi; latrones, sicarii, piratæ, sacrilegi, crurifragiô plectuntur, rotâ contunduntur, ejúsque radiis, elisis artubus, innectuntur & intexuntur; sed olim affigebantur cruci, seu furcæ. Parricidæ verô, fratricidæ, insuebantur culeo cnm serpente, (aut cum cane & gallinaceo) aquísque mersi, suffocabantur. Principum interfectores discerpuntur quadrigis in diversum actis; bona verò illorum confiscantur ac publicantur; incendiarii, harioli, sagæ, striges & veneficæ cremantur super rogum: blasphemi elinguantur.

Calumniatores maligni, obtrectatoresque, & qui libellis famosis, anonymè scriptis, immerentes traducunt ignominiosè; itémque convicti perjurii, mutilantur aliquô membrô; aut condemnantur ad metallifodinas: (latomias, lapicidinas) vel ad triremes;

remes; aut exterminantur, ac proscribuntur, seu relegantur cum infamia, sive in locum *certum*, dicendi *exules*: sive ad vagandum, *extorres*; ut sic etiam Respublica liberetur purgamentis. Porrò exulum tria sunt genera, videlicet *Interdicti* igne & aquâ; *Relegati*, seu ad tempus amandati à patria; *Deportati*, & certis loci limitibus perpetuò circumscripti. Minora delicta puniuntur Girgatho (*Suidæ*) seu catastâ clathratâ.

At crudelitas est, carnificinam exercere, dum immani cruciatu miseri (non rarò insontes, ut olim martyres Christi, & hodiè quoque) distenti torquentur, donec compago ossium divulsa membratim crepet, & singulæ ossium comissurę distrahantur; vel ungulis, uncis, obeliscis, forcipibus, rastris, pectinibus ferreis, scorpionibus, plumbatis, taureis sulcantur & dilaniantur; vel laminis ignitis & facibus aduruntur, seu ustulantur; liquatô plumbô perfunduntur: super testaceis fragmentis volutantur, aut in ollam pice, oleô, sulphure, resinâ bulliente impletam elixandi conjiciuntur; aut assantur, & cremantur in craticula, aut lentô igne torrentur; vel prunis inambulare coguntur; aut tunicâ candente, (quam *molestam* vocabant) ac galeâ induuntur; aut sub digitorum ungulis subulæ & acus infiguntur: aut cruribus divaricatis in catasta extenduntur: aut suræ nodosos inter asserculos compressantur: aut ad bestias damnantur; aut melle peruncti, sub ardentissimo Sole, muscarum & culicum morsibus exponuntur; idque extante aliquando geminis è scaphis solô capite; (quod supplicium *scaphismus* appellatur) aut trochleâ in torculari pressantur; aut rotis cultratis discerpuntur; aut vivi terrâ obruuntur, aut longâ fame enecantur, &c.

Tur-

Turcæ ſoleas pedum fuſtibus nervoſè pertundunt; Itali maleficum ſublimè tollunt, relaxatiſque funiculis, pendulum repentè cadere faciunt. Angli ſuſpendiarios (patibularios) deponunt femineces, & tepentia exenterant viſcera; nonnullos trahis illigatos raptant ad ſupplicii locum, capite humum verrentes. Tyrannorum princeps, Nero, Chriſtianos, ferarum pellibus contectos, canibus objecit lacerandos: aut palis per medium transfixos, cuſpidibus ſudium per os emergentibus, in uſum nocturni luminis ardere juſſit. Mezentius quondam mortua corpora jungebat vivis, & ſanie tabóque fluentes, crudeli in complexu, & longâ morte necabat. Jápones, præter crucis & ignis tormentum immane, cingulô tenus hominem immittunt in ſcrobem ſpurcitiis oppletam; vel ſcalæ innexo, certatim aquam infundunt, eámque, admotis ventri duabus tabulis validè agitatis, iterum exprimunt. Quod ex parte quidam noſtrâ memoriâ imitati ſunt, milites dicam, an latrones, qui, circumactô fune conſtringentes arctiſſimè capita, per infundibulum ingurgitârunt undam, donec alvi inſtar tympani intumeſcerent. Alicubi eò proceſſit immanitas, reſupinos ut ligarent, nudóque eorum ventri pleves inverſas, cum vivis gliribus intus incluſis, ſuperpoſuerint, ſupérque pelves ignem exſtruxerint, quô excitati glires viſcera dentibus perfoderent & perroderent; alii apertæ medii corporis cavitati injecerunt avenam in equorum pabulum. Sed pudet hæc, aliáque ſeculorum probra referre pluribus, tantúmque naturæ convitium inferre humanæ.

Deſiderius. Quàm fuit jucundum mihi Judicis officium, Judicii formam legitimámque punitionem abs te intelligere; tam graves & funeſti hoc

genus

genus Phalarides & Busirides meis acciderunt auribus. Efficis profectò hac tuâ dissertatione, ut, quò plus obeo viæ, tantò plus referam oblectamenti, contrà quàm dici solet, longa itinera longa esse fastidia. Est tamen, quod insuper. *Mercurialis.* Quid illud? *Desiderius.* Abundè cùm perspiciam, quidquid hoc causarum est judicialium, mei causâ profectûs & profectionis allatum & agitatum esse; sperare habeo, tuô me ductu: in Veteris Romæ forensia digredi, an regredi posse. *Mercurialis.* Ita fiet, *Desideri*, ut cum cancris instituamus iter. *Desiderius.* Etiam in Legibus retroivimus, sine initæ viæ dispendio; cur in Judiciis non id perinde agamus? *Mercurialis.* Ut video, & tecum mihi disputandum est, & ambulandum. Quod ergo bene vertant veterum Judiciorum Divi Præsides, revisamus illa Romuli tribunalia, sed festinanter; inde pedem ad longè sacratiora Jura relaturi. *Desiderius.* Præ cupiditate volare videor. *Mercurialis.* Ne memoriæ labi imputes, si quædam, jam antè dicta, iterum perstrinxero; malo plusculò longior quàm obscurior esse. *Desiderius.* Præsertim in re Antiquitatis pulvere obsita.

Mercurialis. *Controversiæ* in Judiciis privatis (nam de his nunc loquor) erant triplices. 1. *Personarum* de liberis ac servis, libertis ac patronis, ingenuis ac libertinis; potestate parentum in filios, nuptiis, adoptionibus, capitis diminutionibus ac tutelis. 2. *Rerum*, de mancipationibus, usucapionibus, jure successionibus, hereditatibus, fideicommissis, bonorum possessionibus, arrogationibus (sunt species adoptionis) & bonorum emptionibus. 3 *de Obligationibus*, quæ erant de mutuationibus, commodationibus, depositis pignoribus, stipulationibus, fidejussionibus, emptionibus, locationi- *Veterum Romanorum Judicia.*

bus, societatibus & mandatis, variisque pactionibus nomine carentibus; solutionibus, acceptilationibus, novationibus, delegationibus, furtis, rapinis, damnis injuriâ factis, aut datis; & ipsis injuriis.

Prætores ex tribunali in Comitio jus dicèbant, reddebant, constituebant, dabant diebus fastis, à fando dictis, quibus licebat jure agere, & Prætori sine piaculo fari: *Do*, *dico*, *addico*. Diebus *Intercisis* fas dicebatur certis tantùm horis. *Insignia* Prætoria fuerunt prætexta, sella curulis, hasta, ministri, accensi, lictores, gladius. Cùm Prætor ipse jus dicebat, tum ferebatur decrevisse, dixisse, addixisse, vel absolutè, dedisse; sin' alterum judicare jubebat pro se, tum judicium, judicem, actionem dedisse. Jurisdictio his tribus verbis comprehendebatur; *Dedit*, v.g. bonorum possessionem; *dixit*, v.g. aliquem liberum esse; *addixit*, v.g. in jurecessione. Prætoribus assidebant in judiciis per subsellia adjutores, qui *hasta* (quæ ponebatur seu figebatur in loco judicii) præerant, inter quos Decemviri & Centumviri, &c.

Judicii Ordo hic erat. Primò *Postulatio* actionis, dein *Datio*; Dationem sequebatur *Editio*; hanc in jus *Vocatio*. Actio alia *stricti juris* secundùm Leges: alia *bonæ fidei* secundùm Æquum & Justum. Vocaturus quendam in jus, adhibebat aliquem actionis testem, captâ hominis præsentis aut fortè intervenientis auriculâ, dicendô: Licétne antestari? (id est, possum te testem sumere?) Si testis responderet, licet; tum adversarium etiam obluctantem vel fugientem, manu injectâ, ad Prætorem trahebat. Inde petitâ actione secundùm Leges, postulabat *Actor*, ut sibi liceret in adversarium intendere, sive contra eum agere; *Reus* contrà *Advocatum* posce-

poscebat, qui sibi jus suggereret; Actor autem vadabatur Reum, ut certô se die sisteret. Interea dum res in *vadimonio* fuit; Reus cognitâ actione aut cessit, aut se ad dimicandum contrà comparavit; si cessit; rem pactô aut aliâ transactione composuit, unde in edicto Prætoris: *Pacta conventa*; sin' jure experiri placuit, facta est *intentio litis*, die cognitionis præstitutô. *Vindiciæ*, dicebatur actio, cùm de possessione, seu usu rei, erat instituta; *Vindicatio*, cùm de dominio v.g. fundi. Aliquando Prætor jurisdictionem *Recuperatoribus* mandabat, qui nunc *Delegati Judices* vocantur; *Arbitri* arbitrarias causas cognoscebant; si gravior causa, præsertim Juris, (nam facti levior erat) eam Prætor Centumviris committebat, unde Judicium Centumvirale. Daris Actori judicibus, permissum est Reo, quem ex iis, vel quos, vellet eligere; nam sæpe per alios judicabat prætor, ut dixi. Inde utérque litigator sibi denuntiabat in perendinum, diem. Tertius cùm adesset dies, factum est judicium; jurabátque Judex Jovem lapidem, se ex Lege & animi sententia judicaturum. Litigantes juramentum calumniæ edebant. Pòst Oratorum ac Patronorum orationes, utràmque in partem; si causa ambigua esset, dicebat Judex, sibi non *liquere*; si satis cognita, *condemnabat* aut *absolvebat*. Judiciô in hunc modum peractô, tria alia Judicia sequebantur. Primum de Reo, ídque duplex; nam si pro illo pronuntiatum, *Restitutio* in integrum appellabatur; si contra ipsum; *Addictio* vocabatur, id est, ni judicatum faceret, creditori nexus addicebatur. Secundum de Petitore seu Actore, contra quem *judicium calumniæ* est habitum, cùm, scilicet pecuniâ acceptâ, litem vel falsò intendisse vel prætermisisse coargueretur. *Tertium in Judicem*, si aut dolô malô,

aut gratiâ, aut inimicitiâ sententiam dixisset, unde litem suam facere dicebatur. Pars condemnata *æstimationem litis* præstare cogebatur.

In Judiciis verò publicis agebatur de criminibus, maleficiis, injuriis atrocioribus. *Quæsitores* dicti, qui ea Judicia exercebant, secundùm quæstiones à Legibus præscriptas. In iis Judiciis ubi Oratores se *dixisse* significârant, Præco, elatâ voce, proclamavit: *Dixerunt*. Aliquando ad clepsydram dicendum erat, ubi usurpata illa solennia verba: *Effluxit*, & *Dixi*. Ibi primò deferebatur & recipiebatur nomen Rei, jussu Prætoris in tabulas scriptum, quod est *Reum fieri*, seu Legibus interrogari; cùm plures unum facere vellent Reum, Judicium factum est, uter deferre deberet, quæ res *Divinatio* dicta; in qua de futuro quæritur. Ex multis accusantibus, primus, *Accusator*, ceteri *Subscriptores* dicti; *Dejurata* dein calumnia. Si statim fateretur accusatus, lis ei æstimabatur ut victo; & pœna repetebatur; si inficiaretur, *Delator* ejus, crimina in scripto edebat, & *fidejussores* de persequenda lite dati. His peractis, Judicii dies constituebatur; Reus interea, positâ albâ togâ, atram & obsoletam induebat, barbam & capillum promittebat; Patronos conquirebat.

Exinde, voce Præconis citatus, comparebat; fiebátque *Sortitio* vel *Editio* Judicum; Sortitio quidem, cùm Prætor, aut Quæstionis Judex, præscriptum Judicum numerum ex urna educebat; quô factô, & Reus & Accusator poterat rejicere, quos parùm sibi æquos aut idoneos putabant; quod *Rejectio* dicebatur. In locum horum Judex alios subsortiebatur, & *Subsortitio* dicta est. Editione Accusator ex 450 Judicibus, centum edere seu nominare: Reus ex centum tenebatur edere 50. Inde Cognitio

tio

tio in duas plerúmque actiones divisa; Utráque habuit Accusationem & Defensionem. *Accusatio* potissimùm testimoniis nitebatur, quæ triplicis generis erant. Quæstiones, (testimonia servorum in tormentis) Testes, Tabulæ. Accusator, factâ potestate dicendi, actionem inchoavit. Ubi accusatio perorata, Patroni ad singula capita respondebant, testibus utrínque adhibitis. In *secunda actione* Reus priore locô dicebat, posteriore Accusator. Ubi dixerunt Oratores, Sententiáque erat ferenda, Quæsitor suis Judicibus tabulas distribuit, & ut suas sententias ferrent, in consilium misit, hoc est, jussit ad urnas ire, quibus præerant Custodes, quorum cura attendere, quomodo sortes ex iis ducerentur; aut in eis calculi vel tabellæ à Judicibus deponerentur. Unicuíque verò dabantur tres tabellæ ceratæ; una A *Absolutionis*; secunda C *Condemnationis*; Tertia N L *non liquet*. *Ampliatio* fiebat, cum judices significabant, *non liquere*, id quod ex diribitione tabularum patebat. Prætor, seu Quæsitor condemnaturus, prætextam posuit; ejus formula ferè talis fuit: Condemnationis: *Videtur fecisse; aut non jure videtur fecisse.* Absolutionis: *non videtur fecisse; jure videtur fecisse.* Ampliationis: *ampliùs cognoscendum.* Addebatur utplurimum pœna in condemnatione: *Videtur vim fecisse: atque eô nomine aquâ & igni illi interdico.* Duo consequebantur Condemnationem, *Æstimatio litis*, & *Animadversio.* In Æstimatione litis, si Reus solvendo non esset, ejus bona hastæ atque auctioni subjiciebantur; ea qui emissent, *Sectores* dicti, Redemptorésque bonorum, damnatî vel etiam proscriptî. *Verberationis*, *Coërcitionis*, & *Talionis* curam habuerunt lictores apud Triumviros Capitales, ad Columnam Menianam. *Verberatio* virgis facta, expeditis sci-

licet fascibus, mortis supplicium præcessit; *Fustigatio* in castris usitata; *Talio* est similitudo supplicii seu pœnæ, ut patiatur quis taliter, ut fecit. Ignominia & Infamia erat, cùm quis munerum & honorum jure privabatur. Si Reus absolveretur, duo itidem judicia relinquebantur, (ut suprà indicavi) primum *Calumniæ*, si falsum crimen intulisset accusator; alterum *Prævaricationis*, si cum Defensore collusisset, & alia vera crimina celâsset. Calumniatoribus frons inurebatur funestâ literâ C. Prævaricatores infamiâ notabantur publicâ; furciferi, obnuptô capite, in furcam seu crucem agebantur. *Desiderius.* Ne Apollo quidem Delphicus meliora consulentibus responsa dedit, quàm tu. Veterum mihi Judiciorum formam explicâsti. Memini, cùm Tullianas Orationes manu volverem, quoties in iis hæsitârim, quoties caput scalpserim, & antiquarium rei Judiciariæ Interpretem mihi optârim; modò nactus sum. *Mercurialis.* Si interpretari est rem superficie tenus delineare. Huic viæ ad Veteres remensæ satis est pretii, si ea tibi molesta non accidit: *Desiderius.* Molesta autem? perjucunda & peramœna. *Mercurialis.* Sed enim: Quæ mutata subito rerum hæc facies? Veteris dum Romæ forum obambulamus, subductis repentè Romuli mœnibus, nova Roma caput exerit, & pro Capitolio arcem illam Adriani; pro templo Concordiæ, Vaticanum; pro tribunalibus profanis, sacri Juris sellas ostentat.

Salve sancta Petri sedes, Domus inclyta Divûm,
Relligione potens; Divini Numinis haustus
Tu populis spargis, cœlique sacraria pandis,
Notitiam Verique Dei tu detegis Orbi,
Et sacras statuis Leges; cum Legibus aras.

Te

Te Duce ac Magistrâ, quidquid de Deo ter Opt. Max. scimus ac loquimur, profitemur nos scire ac loqui. *Desiderius.* Sacer horror mihi concutit artus; Major agit Deus, ad majora scienda remittit. *Mercurialis.* Fac, animô constes. Cernis Templum hoc augustum, ingens, centúmque columnis nixum? Hîc illa scientiarum Regina *Theologia* sedem habet, hîc docet. Reverentem intrò feramus pedem, & , quæ summatim tradit, pro ingenio & nostro, & temporis, & itineris, percipere studeamus. *Desiderius.* Aures attentas præbeo; Tu Spiritus alme, Spiritus sapientiæ ac scientiæ, placidus animis illabere nostris.

CAPUT LXXVIII.

Theologia.

Est hæc, si nominis etymon spectemus, sermo de DEO; ob quam causam Metaphysici quibusdam appellantur Theologi; quemadmodum & Poëtæ, quòd Divini Numinis laudes & encomia suis adumbrare carminibus tentârint. Pressiùs, Theologia est studium rerum Divinarum, seu scientia de Deo, partim ratiocinatione, partim cœlesti revelatione nixa. Dividitur autem in eam, quam vocant Positivam; & in eam, quam appellant Scholasticam. Prior nomen inde habet, quòd ponat & stabiliat fundamenta, locósque argumentationum Theologicarum, occupata potissimùm in explicando & interpretando Sacræ Scripturæ sensu juxta auctoritatem SS. Patrum. Qui sensus duplex est; Alter Historicus seu Literæ, (TT. Literalis) qui vel est Proprius, nitens simplici & nativô verborum significatu; vel Metaphoricus, transferens verba ad sensum Improprium. Alter

Theologia divisio.

est Mysticus seu Spiritualis, qui non tam in verbis quam rebus, per verba significatis, continetur. Et hic est triplex. 1 Allegoricus, significans Christum vel Ecclesiam militantem. 2 Tropologicus, seu Moralis, spectans mores. 3 Anagogicus, respiciens vitam in cœlo æternam. Omnes faciunt ad verbum Dei in se fœcundum fructuosè exponendum. Theologia Scholastica, seu Dogmatica, aut Didactica, quæ & Speculatrix; magis in cognoscendo quàm agendo consistit; dum Conclusiones & Consequentias suas accuratiùs & more Philosophicô speculatur, & ad prima Principia reducit. Hæc latiùs sumpta, prout Religionis Dogmata enixiùs perscrutatur, uberiúsque propugnat, distribuitur in Polemicam seu Controversam, (vulgò Controversisticam) quæ mysteria fidei contra Hæreticos defendit; & Moralem, seu eam, quæ de Moribus (vulgò Casibus Conscientiæ) agit, ex theoria deducens praxin, dum ex principiis Theologicis docet declinare à malo, & facere bonum, explicandô ea, quæ ad directionem conscientiæ pertinent. Alia divisio est in Theologiam Mysticam & Asceticam, (quæ in affectibus maximè consistit) ac Symbolicam, quæ per figuras & symbola explicatur.

Primus Senrentias, ex SS. PP. ad fidei dogmata spectantes, collegit libris quatuor Petrus Lombardus Parisiensis, circa annum Christi 1140. quam ob causam eum Magistrum Sententiarum appellant; quem deinceps alii subsecuti sunt; inter quos eminent D. Thomas Aquinas, cognomentô Doctor Angelicus. Floruit circa annum D. 1268. unde Schola Thomistarum; & Joannes Duns, origine Scotus; claruit circa annum 1294. qui Do-

ctor

ctor Subtilis audit cum Sectatoribus suis. Prior Opus suum Theologicum, quod Summam vocavit, tres in partes divisit. In Prima agit de Deo & Angelis. Secundam divisit in duas alias, quarum priorem nominavit Primam Secundæ; alteram verò Secundam Secundæ. In illa disputat de fine hominis, ejúsque actibus, vitiis, ac peccatis, itémque de legibus & gratia; in ista de Virtutibus tam Theologicis quàm Moralibus. In Parte Tertia de DEO Homine (seu Divini Verbi cum humana Natura communicatione, quod Sacratissimum Mysterium Græci ἐνανθρώπησιν, Latini Incarnationem vocant;) & de Sacramentis.

Differunt ergo Theologi, juxta methodum S. Thomæ in Parte ejus Prima, de Existentia DEI, (ut loquuntur) quomodo videlicet existat ac sit; quî cognosci queat; quæ sit ejus natura, quæ proprietates, attributa, perfectiones; quomodo simplex; excludens omnem compositionem; unus non admittens numerum aut consortem: summè bonus, infinitus, immensus, immutabilis, æternus, nulla cognitione exhauriendus, (T T. Incomprehensibilis) ineffabilis; cognoscendus tamen intuitivè (ut T T. loquuntur) seu clarè videndus à Beatis per Lumen Gloriæ. Ipse verò scit & videt omnia, quæ facta sunt, & fient, fieríque possent vel absolute, vel sub conditione. Et hæc vocatur TT. Scientia Media seu Hypothetica, vulgò Conditionata. Ejusdem voluntas alia est Beneplaciti, quæ si sit simpliciter & absolutè efficax, nunquam frustratur suô fine; quod si merum sit desiderium, frustratur sæpe; hinc enim sunt peccata.

Alia est signi, quâ exterius radiat per præceptum, prohibitionem, permissionem, consilium,

oblationem opis præsentis ad agendum, quid ab Angelo vel homine fieri velit. Hinc oritur Doctrina de Providentia DEI, de desiderio omnes homines salvandi; de Prædestinatione (ut loquuntur) seu Destinatione & efficaci Decreto, transmittendi quosdam ad æternam beatitudinem. (Reprobi dicuntur Præsciti, nequaquam destinati ad supplicia æviterna.) In hac Parte disputatur etiam de Mysterio SS. Trinitatis, de Processiontbus Divinis, earúmque principiis, relationibus, notionibúsque, & speciatim de Personis ipsis Sacratissimæ Triados, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, déque earum missionibus, per quas manifestantur Mundo. Et hæc de DEO. De Angelis verò, qualis eorum natura, perfectio, multitudo, discriminatio, creatio seu inceptio, potentia sese movendi, intellectio, illuminatio, voluntas, status gratiæ & meriti, (viam vocant) peccatum, pœna, ordines, ministeria. Hæc in Parte Prima.

In Prima Secundæ, de Beatitudine, & fine hominis ultimo, qui est DEUS, & ipsius per visionem beantem (beatificam vocant) comprehensionem & fruitionem (ut loquuntur) possessio. De dotibus corporis beati, quod subtile, agile, clarum, nulli corruptioni obnoxium; de præmiis cœlestium civium. Hîc explicatur, qui sint actus humani, & qui ex iis, quomodóque liberi ac voluntarii; qui non voluntarii, qui violenti ac coacti, qui medii seu mixti propter cupiditatem, metum, ignorantiam, incogitantiam; quæ sit ignorantia antecedens, comitans, consequens. Quæ actuum humanorum regula proxima, nempe conscientia, sive ea sit opinans, sive dubia, sive errans. An dentur actus indifferentes, seu adiάφορα, ratione mali aut boni. Quid sit peccatum, & quotuplex;

quæ

quæ differentia, quoad speciem & numerum; quæ ejus macula, quis habitus, quæ pœna damni & sensûs, cur illa æterna; quòd DEUS non sit autor peccati; quomodo lues originaria ab Adamo in posteros propagata sit; quod cupiditatis pravæ (concupiscentiam vocant) motus, qui reprimuntur; vel quibus resistitur, non sint peccatum; quâ ratione, per labem illam protoplastorum, natura sit corrupta & vulnerata. Exinde tractatur de Legibus, quarum ea est conditio, ut sint utiles, autoritate publicâ conditæ & satis promulgatæ; ubi agitur de Legis Mosaicæ obligatione & abrogatione; de Legis Evangelicæ seu Gratiæ inceptione, materia, (quæ maximè est Sacramentorum administratio) & usu, obstrictione ac necessitate sive Præcepti, sive Medii, ut loquuntur, sine quo salus æterna nemini datur; penes quem sit authoritas, humanas ferendi Leges, interpretandi, adstringendi, relaxandi, abolendi, &c. Quæ sint Censuræ, seu Pœnæ Ecclesiasticæ, sive Pontificiæ; Quid in Jure Canonico Excommunicatio, Suspensio, Interdictum. Quid sit Gratia Divina, quæ ejusdem divisiones in Sufficientem & Efficacem; in gratis datam, & gratum facientem, (aliàs Justificantem seu Sanctificantem:) in Excitantem (Vocantem, Operantem, Prævenientem:) in Adjuvantem, (Cooperantem, Comitantem, Subsequentem.) Quid sit meritum de Condigno, quid de Congruo, &c.

Jam in Secunda Secundæ, Virtutes ex Gratia Divina, ceu radice prodeuntes, declarantur; in quibus præcellunt tres illæ, quas Theologicas vocamus, Fides, Spes, Charitas. Fides quidem, cùm sit ex auditu, nobis proponitur per verbum DEI scriptum, & non scriptum, seu Traditiones;

nes; itémque per autoritatem Ecclesiæ, hoc est, summum Pontificem, Conciliáque à summis Pontificibus approbata; & ipsius Ecclesiæ certas notas ac signa, quibus veritas à falsitate discernitur. Est autem fides certissima quidem, obscura tamen; cujus mysteria digna redduntur creditu, cum illis, quas dixi, Ecclesiæ notis, quòd sit Una, Sancta, Catholica, seu Universalis. Hîc disputatur de necessitate actuum fidei sive explicitæ sive implicitæ; de confessione sive professione externa, de vitio opposito, quod est Infidelitas, prout convenit Judæis, Gentilibus, Hæreticis.

Quid in fide erroneum, quid suspectum, quid offendens pias aures, quid temerarium, quid inducens ad aliorum peccatum expenditur. Quomodo hallucinentur Novatores, non distinguentes spem à fide; in quo consistat spei certitudo; cui opponitur desperatio ac præfidentia (vulgò præsumptio.) Hinc gradus fit ád charitatem DEI & hominis; ubi fit mentio duplicis amoris, quorum alter *amicitiæ* seu benevolentiæ, (in quo tamen hoc discrimen est, quòd amicitia apertiùs se exerat) cujus finis est is, cui volumus bene; alter, quem vocant *concupiscentiæ*, illum ipsum, qui amat, respicit. Hîc explicatur ordo amandi alium præ alio; item corripiendi & corrigendi. Huc etiam spectant, quòd Græci dicunt σκάνδαλον, nos offendiculum, ruinam, impactionem vocamus, cùm scilicet quid dicimus, facimus, omittimus, per quod alius inducatur in occasionem ruinæ spiritualis, seu committendi peccatum. Dehinc in disputationem veniunt Virtutes illæ, quas suprà diximus, Cardinales vocari, inter quas plurimum negotii facessit Justitia; huic cùm sit annexa Religio, Virtutum Moralium nobilissima, spectat ipsa quo-

quoque ad hunc locum; sed nos ei peculiarem destinavimus.

Pars Tertia Summæ Thomeæ agit de Verbô Incarnato & Sacramentis, quorum vi & efficaciâ, meritorum Christi participes reddimur. Est autem Incarnatio Naturæ Divinæ cum Humana copulatio ac conjunctio in eadem hypostasi Verbi, scilicet secundæ Personæ SS. Trinitatis, Filii Patris æterni, cujus ille Imago est, & Verbum, quod per Intellectum est genitum; qui, per unionem hypostaticam, nostram assumsit naturam seu humanitatem. Hîc explicatur Christi sanctitudo; quadruplex ejus scientia, scilicet visio beata, scientia infusa, acquisita, & ea, quam per experientiam habuit; libertas ejusdem circa mortem subeundam. Conjunctio cum Voluntate Divina, præmia meritorum Servatoris, ejusque cultus *Latreuticus*; ubi per digressionem de veneratione Cœlitum, SS. imagium, Lipsanorum, &c. Quæ sit communicatio idiomatum, seu attributorum utrique Naturæ, Divinæ & Humanæ, communium. De Sacramentis verò, quomodo sint signa sanctitatis, & simul causæ, dum gratiam & continent, & dignè suscipientibus conferunt, quam Veteris Legis Sacramenta solùm figurabant seu præsignabant; & complura alia, quæ de illorum materia, forma, ministro, effectu, fructúque quæri solent. Sunt autem Sacramenta numero septem; *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, (in qua Transmutatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, à SS. PP. *Transsubstantiatio* vocatur) *Pœnitentia* (quæ constat dolore de peccatis; eorum, coràm Sacerdote, explicatione; & punitione, seu vindictâ criminum, de seipso sumptâ. Huc revocantur *Indulgentiæ*, seu relaxationes & condonationes pœnæ temporariæ,

Deo

Deo pro peccatis ſolvendæ) *Extrema Unctio*, *Ordo* ſeu initiatio miniſtrorum Eccleſiæ, *Matrimonium.* Sacramentalia vocantur, ritus, ceremoniæ, actiones exteriores ac religioſæ, ab Eccleſia approbatæ, conferentes cùm ad decentem ac piam adminiſtrationem & ſusceptionem Sacramentorum; tum ad reliquum DEI cultum obeundum, ut ſunt: Precatio Dominica, Aqua luſtralis, Signaculum SS. Crucis, cerea effigies Agni cœleſtis, Exorcismi, inſufflationes, variarum rerum conſecrationes & benedictiones.

Deſiderius. Quanta rerum Theologicarum ſilva eſt! *Mercurialis.* Videbamur Templum aut Baſilicam ingreſſi, nunc experimur, in, neſcio quod, mare nos delatos eſſe. Petamus littus; & hanc illis velificationem reliquamus, qui, quæ nos curſim raſimus æquora, plenis ingentium voluminum carbaſis ſulcant. Noſtri conſilium itineris nôſti; quocúnque deferimur, hoſpites ſumus. Cæterùm in hoc genus argumentis, dum licet & res patitur, ex Ciceronis & aliorum Latinioris linguæ Autorum arculis verba ſumenda duco; ſed ubi res aliqua vel non extitit, vel certè illis Latii Patribus Patratis nota non fuit, quô, quæſo, pactô nomen ejus extare potuit? Nam quis ferat, ut, cum, neſcio quo, Tulliano ſimiolo, fidem Divinam, voces Perſuaſionem? Ut Excommunicationem, aquâ & igni interdictionem? Ut peccata morituro remittere, ſit Deos ſuperos Manéſque Illi placare? Ut Sacramentum, Paſſio, Redemptor tanquam parùm Romana à Romanorum Religione proſcribantur? *Deſiderius.* Meâ quidem ſententiâ minùs religioſus eſt, quis quis in hac materia verbis æquô religioſior eſt. *Mercurialis.* Amo te de hoc judicio.

Nos cum ſancta Matre Eccleſia & loquamur, & ſapia-

ſapiamus. Id tamen, dabimus operam, ut ſi minùs terſè, non tamen ſordidè locuti videamur. *Deſiderius.* Hactenus de Theologia, quam dixiſti Speculatricem vocari, egiſti; Quæ Practicæ, ſeu Moralis, ſit Methodus & Argumentum, nunc expedi. *Mercurialis.* Hîc in varias itur diſtributiones; quidam digerunt eam ſecundùm ordinem Alphabeticum; alii ferè modum & diviſionem D. Aquinatis ſequuntur, omiſſis, quæ plus ſubtilitatis & ſpeculationis habent. Qui Controverſias Fidei tractant, diverſâ & ipſi incedunt viâ, & Hæreſin, Hydram illam multicipitem, punctim cæſímque adoriuntur. Inſtitutionum Chriſtianarum ſeu Doctrinæ Catecheticæ Summa continetur quinque capitibus. In 1 agitur de Fide & Symbolo Fidei. In 2 de Spe & Oratione Dominica. In 3 de Charitate & Decalogo ac Præceptis Eccleſiæ. In 4 de Sacramentis. In 5. de Officiis Juſtitiæ Chriſtianæ, hoc eſt, de peccato vitando, de virtute ſectanda. Sed de his ſatis. Si quæris, quomodo teſtimonia ex S. Thoma adducta notari ſoleant, obſerva, Summam ab ipſo Theologicam diviſam in Quæſtiones, & has in articulos, ſuis inſcriptas titulis. In his proponit Oppoſitiones; iſtis ſubjungit ſuas Aſſertiones ſeu Reſponſiones (quæ vocantur Corpus;) poſt Reſponſiones ſubdit Solutiones objectorum, hoc modô: S. Th. 1. P. q. 12. ar. 6. ad 1. id eſt, Primâ Parte, quæſtione 12. articulô 6. ad primum argumentum oppoſitum reſpondendô vel dicendô. Si notæ ſint hujusmodi: 1. 2. q. 6. &c. vel 2. 2. q. 3. exprimuntur ita: Prima Secundæ; vel Secunda Secundæ (Partis; quandóque additur in Corp. hoc eſt: in Concluſione ſeu Aſſertione, quam facit S. Thomas: Quid verò dices ad has figuras? D. A. in 4. d. 49. q. 2. ar. 2. Explico: Doctor Angelicus in librum quartum Sen-

Sententiarũ, (nam in quatuor hos libros, commentarios edidit) diſtinctione quadrageſimâ nonâ, quæſtione ſecundâ, articulô ſecundô. Apud Scriptores Theologos reperies varias citationes. v. g. D. 6. ſ. 3. dub. 1. concl. 3 n. 4. vel tr. 6. c. 2. m. 3. h. eſt, Diſputatione ſextâ, ſectione tertiâ dubiô primô, concluſione tertiâ, numerô quartô; vel tractatu ſextô, capite ſecundô, membrô tertiô. Gl. indicat gloſſam ſeu interpretationem. *Deſiderius.* Tot inter nobiles ſcientias, quas methodicè ponis ob oculos cui me applicem, ambiguum copia facit. Paullô ante in Jus Civile inclinabant ſtudia mea, nunc animum ad ſe Theologia convertit. Alter enim vero ſum in bivio Hercules. *Mercurialis.* Erit tempus, cùm alterutrum literæ Pythagoréæ tramitem inibis; id ne inconſulto fiat impetu, luſtremus porrò domos, urbes, regiones, viſuri, quomodo ſe conſocient homines pro mutuo adjutorio, in familias, Reſpublicas, Regna, cujus rei fundamentum eſt Concordia; videamus imprimis, quid Oeconomia repoſcat domeſtica? De Rebus Theologicis recurret argumentum.

Caput LXXIX.

Oeconomica.

Est prudentia de obtinenda felicitate domeſtica, quæ aliàs dicitur bonum familiare, privatum, œconomicum; ad quam tuendam requiritur primùm parare, tum parta tueri. Minima hominum conſociatio, eſt domeſtica; eáque triplex, *conjugalis, patria, herilis*, ritè coalita in unam familiam: quam regunt paterfamilias cum matrefamilias; quibus ſubſunt filii & filiæfamilias, univerſúmque famulitium.

Diſtin-

Distinctio rei familiaris hæc est. Possessio domestica vel est immobilis, vel mobilis; immobilis aut naturalis, aut artificialis; *naturalis* vel *terrestris*, ut ager & hortus: vel aquea, ut lacus, stagnum, piscina, fons; *artificialis*, est domus. *Possessio mobilis* vel est *mensura*, ut nummus; vel *mensurata*, eáque animata vel inanimata. *Animata* est vel homo, ut servus; vel bestia, quæ facit vel ad *nutritionem*, ut ovis, capra, sus; vel ad *laborem*, ut jumenta; vel ad *munditiem*, ut felis; vel ad *custodiam*, ut canis; vel ad *delectationem*, ut psittacus, philomela. *Inanimata* possessio est vel *necessaria*, vel *honoraria*. Ibi sunt ad *victum pertinentia*, ut esculenta & poculenta; & *supellectilia*, eáque partim *vestiaria*, ut vestimenta, lectisternia, mappæ; partim *vasaria*, ut culinaria, cellaria, mensaria; partim *sellaria*, ut cistæ, mensæ: partim *operaria*, ut securis; partim *ignominiosa*, ut matulæ; *honoraria* sunt imagines, statuæ, tapetia. *Distinctio rei familiaris.*

Acquisitio rei familiaris est vel simplex, vel mixta. Simplex est ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria fit labore; éstque vel naturalis, vel artificialis. *Naturalis* est vel *primaria*, ut Georgica, sub qua Agricultura, Viticultura, Horticultura, & Cura silvestris: vel *secundaria*; eáque vel pecuaria, sub qua Pastoritia, Venatoria, Aucupium & Piscatura; vel fossura metallica, vel cæsura lignorum. *Acquisitio rei familiaris.*

Artificialis acquisitio est vel permutatio, vel ædificatio. *Permutatio* est mercatura, fœneratio, & operæ elocatio. *Mercatura* vel est liberalis, eáque tum domestica, quæ dicitur institoria (*Sueton*) & *stataria*; tum externa, quæ est *maritima* seu *nautica*: & *terrestris* seu *vectoria*: vel *sordida*, ut cauponaria. Fœneratio est usura, vel cambium, de quibus cap. 76. *Operæ elocatio* est itidem vel liberalis, vel

vel sordida; illa est, cùm quis operam suam Rei[p.]
locat in officio aliquo publico; hæc in privato, qu[æ]
est mercenaria. *Ædificatio* est, quâ domus acqu[i-]
ritur accommodata familiæ quoad sanitatem, com[-]
moditatem ac jucunditatem: itémque rei famili[a-]
ri servandæ.

Acquisitio extraordinaria vel est *directa*, ut her[e-]
ditas, accretio per alluviem, dos, donatio, inve[n-]
tio thesauri; vel *indirecta*. (*Quintil.*) ut emtio, l[o-]
catio, conductio, lusus, cautio, depositio pign[o-]
ris, & similia. *Acquisitio mixta*, cùm plures mo[di]
acquirendi concurrunt. v. g. occupatione, accessio[-]
ne, ædificatione, confusione, usucapione, usufr[u-]
ctu, parsimoniâ, &c.

Domus. *Domum* faciunt *ornatam* parietes bene fenestr[a-]
ti, albati, picturati, projecturis ornati; *tutam* v[e-]
rò januæ bene obseratæ, fenestræ bene cancellat[æ]
seu clathratæ; *commodam* verò conclavia justæ am[-]
plitudinis bene distincta pro vario usu: nempe ut [..]
ubi convivant domestici, hibernaculum seu hypo[-]
caustum instructum fornace vel caminô; Andr[o-]
nitis seu andron est pro viris; Gynæcéum vel Gy[-]
næconitis pro feminis. Et pro parandis cibis culin[a]
ium refertum supellectili mensariâ cœnaculu[m]
(triclinium, cœnatio) & pro penore asservand[o]
cella (hypogéum, apotheca penuaria seu penari[a,]
promptuaria, (promptuarium) mellaria, oleari[a,]
vinaria, carnaria, farinaria, casearia, granariu[m]
&c. & pro requie nocturna dormitoria; próqu[e]
aliis rebus idonea reconditoria, armaria, arcæ, re[-]
positoria, denique pro transferendis rebus sportæ
cóphini, &c.

Cubiculum habeat lecticas, quarum latera utrin[-]
que lectum sustinentia sunt spondæ, harum pa[r-]
te

tes extremæ, fulcra; quibus superextenta cadurca, aut filô texta, aut lignô coassata; & lectisternia (toralia, sindones lecticariæ;) grabáti (anaclinteria) sunt pro meridiana reclinatione delicatiorum, quam Latini meridiationem vocant: & vasa cum præfatione honoris nominanda, ut matulæ (scaphia) pro vesica levanda; & adstructos secessus pro exoneranda alvo, vulgò *latrinas*: civiliùs dixeris sellas *patroclianas* & *familiares*, *loca communia*: loca, quò eunt *saturi*, seu quò itur ad *requisita naturæ*. Solet è lacunari suspendi cubicularis lucerna, seu lychnus, vel unius elychnii, (monomyxus) vel plurium (polymyxus.) Cubiculo vicinum est *procœtium* seu antithalamus; inde *solarium*, ex quo transitus ad viridaria, ubi ambulacra subdialia, hypæthrum, xystum seu xystus, éxedra, peristilium, diæta, stibadium; nec desunt aviatia, columbaria, gallinaria, & pergulæ & porticus, sub quibus lignorum caudices (segmenta, fragmenta) & *ruta cæsa* reponantur.

Bona *ordinatio contubernii* sita est in distributione rerum & officiorum: ut quæque res in domo suum habeat locum; & quísque locus suam rem, quò pareat statim, quid absit, vel adsit: item quísque domesticus suam functionem, & quæque functio suum agentem, ne, respectandô alius alium, omnes agant incuriosè, omnia tamen sub inspectione *Oeconomi*, (quem etiam procuratorem, curatorem, dispensatorem, promumcondum, subcuratorem, obsonatorem appellare licet) ad cujus curam pertinet non cibatus tantùm & commeatus, (res cibaria ac potoria) sed præcipuè rationes *accepti* & *expensi*; quas, antequam in *rationarios codices* referat, priùs subnotat in *Diariis*. Servit etiam *Ordinatio contubernii.*

in quotidianum usum *talea* seu tessera, (lignum quadratum) in qua numerus vel accepti vel expensi, invecti seu illati & exportati apprimitur, annotatur, inciditur crenis. Et quia aliud est parsimonia, aliud sordities, discendúmque artibus est bonis, non malis, cavebit, ne, nimiùm parcè faciendô sumptum, defraudet genium familiæ, dum sordidè & præparcè de victu quotidiano derádit, & improbè comparcit. *Paterfamilias* curabit, ut omnes noctu *sub clavi* sint: meminerit, se esse *primum mobile*, uxorem & liberos *stellas fixas*, *Saturnum* gravitatem, *Jovem* prudentiam, *Martem* fortitudinem, *Solem* religionem, *Venerem* humanitatem, *Mercurium* facundiam, *Lunam* ubertatem rerum, *Centrum immobile* justitiam. Ab his ad officia conjugum progrediamur.

CAPUT LXXX.

Conjugalis Societas.

BAsis familiæ est conjugium à Deo institutum, (sed nequaquam præceptum omnibus, cùm virginitas sit præstantior connubiô) ad propagationem generis humani; inde enim veniunt legitimi liberi, &, propter hos, famulatus, cum reliquo apparatu œconomico.

Matrimoniô junguntur mas & femina: nec refert, utrùm ille sit juvenis, an viduus, virgo, an vidua; dummodo ambo sint cœlibes & nubiles, nec oppidò dispariles ætate, nec arctiùs propinquitate conjuncti, ne nuptiæ fiant incestificæ; néve ex nobiliore familia denúbant, & innubant in ignobiliorem, quod parit discordiam.

Mas dispicit sibi de femina, ad nubendum habili, (nimiùm juvenculæ, nimiúmque exoletæ, & anus,

anus, sunt illocabiles) quæ honestè nata sit, & pudicè educata, famáque illibatâ: utrùm insigniter dotata aut venusta, an indotata, non adeò curandū; quia dos, sive fuerit *profectitia*, videlicet à parente profecta: sive *adventitia*, nempe à quovis alio proveniens; *parapherna* (JC. *paraphernalia*, sunt proprium uxoris peculium) & *forma* sunt bona fugacia & evanida, & excitant plerúmque *rivales*, quorum alterum ferre repulsam necesse est; dotalia bona compensat virtus.

Postquam adjecerit animum ad aliquam, eámque honestè adamârit, *ambit* ipsam ducere in matrimonium, sive procet seu poscat eam à parentibus per pronubum, aut conciliatricem, (apage lenones & lenas) vocatur *prensator* aut *procus*; quòd si utérque nuptiurientium patrimus est, aut matrimus, nihil tentant insciis parentibus: si his orbi; consulunt *Curatores*. *Prensatio.*

Cùm *Amans* seu *Amator* (*Amasius* & *Amasia*, *Amatorculus* amat leviculè) obtinet, ut sibi *amata* despondeatur, constituuntur & celebrantur *Sponsalia*, confirmaturque *Desponsatio* (quæ est promissio seu stipulatio futurarum nuptiarum) *arrhis*, quas JCti vocant *Sponsalitias*. Solent desponsati, publicè promulgari è suggestu, ne connubia sint clandestina, aut interveniant impedimenta contractum connubialem vel prohibentia, vel etiam dirimentia, & ita fiant innuptæ nuptiæ; qui quidem Contractus Matrimonialis (quæ est stipulatio, seu mutuus consensus de præsenti traditione corporum) apud Christianos evecta est ad dignitatem Sacramenti; nec ritè confici potest, nisi in præsentia Curionis & testium. Ad evitandas lites scribuntur priùs & consignantur tabulis *pacta dotalia*; quibus de dote & reciproca donatione convenitur & cavetur. *Contractus nuptialis.*

Matrimoniô contractô, cujus vinculum est indissolubile, (neque enim more Hebræô aut Gentilium licet repudiare, seu dare *libellum repudii*, aut *polygamiâ* uti) dies dicitur *nuptiis*, quâ copulantur à Parocho; solennique precatione & ceteris Ecclesiæ ritibus junguntur novi conjuges; quam Solennitatem cohonestant utriúsque partis necessarii & *paranymphi*, comitantes sponsam *pronubæq.* eam concinnantes. Canitur *Hymenæus* (Thalassio, Epithalamium) & in *Nymphéo* geniale epulum ac choreæ instituuntur. *Digamus* est, qui secundam uxorem duxit.

Propinquitates. A nuptiis sponsa ducitur in ædes sponsi, fiúntque *repotia*: & tum iste recipit nomen mariti; illa maritæ: eos verò, qui sibi elocârunt natam aut gnatum, incipiunt vocare *socerum* & *socrum*; ipsi ab eis appellandi, *gener* & *nurus*. Qui verò elocant nepotem vel neptem, fiunt *prósocer*, & *prósocrus*, (socer magnus, socrus magna;) qui duxit, *progener*; quæ nupsit, *prónurus*: sed mariti frater est *levir*; ejusdem soror, *glos* (oris;) fratris uxor, *fratria*; sororis maritus, *sororius*; cæteri conjugatorum, *cognati* sunt inter se & *affines*; est & lustrica necessitudo ex baptismo orta, ubi, qui sacrô fonte tingitur, dicitur *susceptus*, quem qui suscipit seu tenet manibus lustrandum, appellatur *patrinus*, (*susceptor*, *pater initialis*, & quia ei nomen imponit, *Onomasta*; vulgò, *Compater*.

Officia Conjugum. *Officia Conjugum* communia continentur amore & auxiliô mutuô, itémque fidelitate conjugali & patientiâ. *Mariti* est, sustentare & protegere uxorem, honorificè de ea sentire: verecundè cum illa vivere, reverentiam potiùs quàm metum sui conciliare, exorbitantem corrigere, quoad fieri potest, suaviter; nec, nisi extremâ necessitate, veni-

venire ad verbera. *Officia uxoris* propria ſunt, eſſe domiportam inſtar teſtudinis, caſtimoniæ ſtudere inſtar Penelopes, diſpenſare labores domeſticos inſtar apiculæ, eſſe *condam* potiùs quàm *promam*; maritum habere pro lege & norma ſua; alienis negotiis ſe non immiſcere; denique non eſſe muſéum hirundinum. Sit concordia inter utrúmque & manſuetudo; uxor ſit viripláca, & obediat; vir imperet, ſed non deſpoticè, neque ſit uxorius, ut illi, qui argentum accipiunt dote, imperium vendunt; ab utróque abſit *zelotypia*, & quamvis *offenſiuncula* quandóq; domeſticæ intercurrant, procul tamen amandetur diſſidium, unde ſit maritus *ſurdus*, uxor *cæca*; denique jura jugalia ab utróque ſtrictè obſerventur. *Deſiderius.* Quod antè de patientia meminiſti, mihi in mentem revocat, neſcio cujus, reſponſum Philoſophi, qui rogatus, cur, cùm magnus eſſet ipſe, parvam duxiſſet uxorem, ſubjécit, ſe ex malis elegiſſe minimum. *Mercurialis.* Democritus is fuit, celebratus à riſu, uti Heraclítus à fletu. Quid ad parentes & cognatos pertineat, porrò diſquiramus. *Deſiderius.* Quod antequam facias, pauca, quæſo, interſeras de veterum Nuptiarum ritibus, nam frequens illorum in Scriptoribus occurrit memoria. *Mercurialis.* Strictim aliqua hîc tangam. Plura cap. 88. Nuptias præcedebant *auguria*; inde nova nupta, quam communi nomine *Cajam* appellabant, deducebatur in domum viri cum *facibus* (hinc tædæ jugales;) ipſa *flammeô* velata, ſeu *obnupta*, (unde nuptiæ) *colum & fuſum* geſtabat; alia ejuſdem utenſilia puer (quem *Camillum* vocabant) in operto vaſe ferebat; uxores quaſi *unxores* ſunt dictæ, quia poſtes januæ maritalis oleô ungebant, dabántque operam, ne limen transgrediendô contingerent pede; ibi aqua ipſis & i-

& ignis offerebatur, ad significandam irruptam connubii copulam quacúnque in fortuna; quibus ceremoniis adhibitus est deus, cui nomen *domidúcus*. Novis conjugibus spargebantur à pueris prætextatis *nuces*, & *Fescennina*, hoc est, lasciva (quæ & prætextata dicuntur) occinebantur carmina, faustáque vota acclamabantur. Divortium cum uxore facturus adimebat ei *claves*, & *res suas habere* jubebat. *Desiderius.* Paucis explicâsti, quod volebam. *Mercurialis.* Imus, & observamus, *Confarreationem* fuisse olim genus Sacrificii inter virum & uxorem, in signum firmissimæ conjunctionis. Contrà, *Diffarreationem*, &c. *Virago* est mulier, moribus viro similis. *Virosa* mulier libidinosa. *Mulierosus* & *uxorius* nimiùm obnoxius & deditus feminis, aut uxori.

CAPUT LXXXI.

Parentes, Liberi, Cognati, &c.

DEUS fœcundat conjugatos sobole, masculâ & femineâ: cujus intuitu fiunt è conjugibus parentes, pater & mater; quidam sunt improles. Cùm tempus est pariendi gravidæ uxori, & Deus avertit casum abortionis, (fœtus in utero conceptus, antequam perfectè formetur, *embryo* dicitur) enititur filiolum, vel filiolam; quandóque gemellos, rarò tergeminos; & postquam peperit, (antea parturiit) fit *puerpera*, latitatura domi tempore puerperii, aliquot à partu seu enixu septimanis, inde prodit, & in aditu templi sacrô lustratur carmine.

Partus.

Obstetrix (deductis *secundis*, vulgò *secundinis*) excipit infantulum tepidulô balneolô, lætatúrque, si videt esse corpusculô integrô, & absque nævo; repo-

Obstetrix.

reponítque in cunis involutum fasciis,& religatum: vagientem autem délinit, cunarum prorsum sursum agitatione, & consópit.

Alma genitrix (aut etiam conducta *nutrix*, nutricula) fovet alumnum suum, reclinem in sinu; amplexatur, osculatur, suaviatur; præbensque ubera fitienti, lactat eum. Pusio ipse lactet, seu succum lactis extrahit labris, seu lac suctu: (*collactaneus* dicitur, qui iisdem mammis nutritur) paulò pòst tamen satiatur seu nutricatur pulte, præmansóve cibô in *pædagogio*. *Gerará* abstergit sordidatum molliculis linteolis, & involvit plumeo lectulo, ne algeat: sæpiusculè etiam impositum ulnis circumgestat, ut assuescat sessitationi. Et quia *submejuli* commingunt & conspurcant lectum, eum *infantaria* identidem repurgat. *Nutrix.*

A lactatione pervenitur ad *ablactationem*, (ut Scriptura S. loquitur, hoc est, removetur lactens ab uberibus) & à cunabulis ad *serperástra* (vehiculum ambulatorium,& subalare puerorum:) ut condiscat ibi manducare cibos solidiores; hîc incedere firmiter, bimulus circiter; ad mucum abstergendum appenditur ei fasciola pectoralis: ad ornatum & pro amuleto bulla. Reliquum infantilis ætatis exigitur lallandô & lusitandô pupis, crepitaculis, ceterisque crepundiis; sed petulanter evagantem aut flentem solent territare *manducô*, fictô terriculamentô. Et sic paullatim masculescit, & in ephebéum deducitur, idémque patrissat aut matrescit. *Pósthumus* dicitur, à morte patris natus: *Cæso*, exsectus matre peremptâ: *Proculus*, patre sene vel peregrè editus: *Cordus*, ultra tempus legitimum in utero gestatus: *Lucius*, primâ luce natus: *Manius* manè. *Vopiscus*, alter ex gemellis vivens. *Opiter*, cui superstes est avus, mortuo patre: *Agrippa*, pedibus priùs excun- *Educatio.* *Diversa puerorum nomina, ratione partus.*

tibus prognatus; *Ancus*, aduncô brachiô puer, nec exporrectu facili: *Expositus* seu *projectitius*, qui est abjectus, ut pereat, vel ab alienis educetur; *Suppositus*, (suppotititius, subdititius) qui pro vero & nativo subditus.

Ex utróque parente eodem nati, vocantur *germani fratres & sorores*: ex eodem patre duntaxat, *semigermani*; ex eadem matre tantùm, *uterini*: ceteri venientes ab eadem progenie, *consanguinei*, (necessarii, propinqui;) è paterna stirpe, *agnati*; è materna, *cognati*: *vitricus* & *noverca* habent *privignos* & *privignas*.

Consanguineorum gradus. Pater tui parentis utriuslibet, est tuus *avus*; mater ejusdem, tua *avia*: porrò horum parentes, tuus *proavus* & *proavia*: istorum, tuus *abavus* & *abavia*; illorum, tuus *atavus* & *atavia*; rursúsque horum, tuus *tritavus* & *tritavia*; qui suprà sunt, vocantur *majores*.

Liberi autem nostri sunt filius & filia: quorum liberi nobis erunt *nepos* & *neptis*; istorum, *prónepos* & *proneptis*; illorum, *abnepos* & *abneptis*; inde sunt *átnepos* & *atneptis*, *trinepos* & *trineptis*; qui infra hos erunt, appellabuntur *posteri* nostri. Hi omnes dicuntur *descendere* in linea stirpis *recta*, aut *ascendere*.

At in *obliqua* sunt tui patris frater, qui est tuus *patruus*; matris frater, *avunculus*; aviæ frater, *avunculus magnus*; proaviæ frater, *avunculus major*; patris soror, *tua amita*; matris soror, *matertera*: supra hos sunt *propatruus* & *proamita*, *abpatruus* & *abamita*; *proavunculus* & *promatertera*, *abavunculus* & *abmatertera*. Duorum fratrum liberi, sunt *patrueles*; duarum sororum, *consobrini*; fratris & sororis *amitini* & *matrueles* (*Ulpiano*,) sed horum omnium indistinctè, *sobrini*.

Offi-

Officium parentum commune, liberos sustentare, & rectè educare, hoc est, instituere ad pietatem & reliquas virtutes erga Deum & homines, assuefacere ad laborem, conformare ad morum civilitatem: retrahere verò ab igna via, protervia, squalore, &c. *Satyricus* monet: *Officium parentum.*

Nil dictu fœdum, visúque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est.

Sed quædam *matercula* solent nimis blandiri & indulgere filiis, (quos *albæ gallinæ* indigitant *pullos*) præsertim unigenitis; quâ corruptelâ illi fiunt immorigeri, tandémque degeneres; in quo genere & patercculi quidam peccant, nam

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, parvóque eadem movet arma fritillô.

Ingenuorum est liberorum, præbere se genitoribus, quippe vitæ suæ post Deum auctoribus, obsequentes ad nutum, præstare iis reverentiam, amorem, opem, & omne genus officii; fugere impatientiam, murmura, responsationes, contumaciam; pervicaciam, & quidquid adversatur pietati, aut dehonestamento est familiæ. *Liberorum.*

Parentum quoque est, colligere liberis *hæreditatem*; *spurios* & *nothos* exhæredes jura volunt, hoc est, expelli ex patrimonio. *Hæres* alius est ex *testamento*; alius ab *intestato*. Ille vel est universalis, sive *ex asse*; vel *ex parte* tantùm (JCtis *partialis*) utérque horum vel est *necessarius* heres (ut sunt omnes in recta linea descendentes &, post hos, ascendentes) nisi sit causa justa aut exheredandi, aut prætereundi; vel non est *necessarius*, hoc est, ad libitum testatoris. Si non sint plures, quàm quatuor, liberi, *legitima portio*, est *triens* hereditatis, hoc est, pars tertia (olim ex lege Falcidia erat quarta) paternæ *substantiæ*, inter eos quatuor, aut *Hæreditas.*

pau-

pauciores, dividenda; si plures sint liberi, *legitima* est *semissis* seu pars dimidia inter ipsos cernenda seu *hercifcenda*, quod idem ac partienda.

Tutores & Curatores.

Si præmaturè demoriuntur, relicturi post se superstites orphanos, addecet constitui testamentô orbitatis præsidium Tutores & Curatores; *Tutores* quidem dantur pupillis, qui sunt *impuberes*, (hoc est, masculi, qui nondum complerunt ætatis annum XVI, puellæ, quæ nondum implêrunt XII;) *Curatores* autem constituuntur puberibus, qui usque ad annum ætatis XXV. vocantur *Minores*. (JCtis *Minorennes*.) *Curatorum* officium est, Indices hereditarios (*Inventarium* JCtis) conficere, & juxta eos, depositâ Tutelâ aut Curatione, (JCtis *Curatelâ*) rationem reddere, nihil esse abalienatum; quare debent operam dare, ut ex bonis immobilibus, hoc est, fundis, proveniant fructus; ut pecunia in annuos reditus convertatur: ut nihil omittatur ejus curæ, qualem diligens paterfamilias propriis bonis adhibere solet.

Cùm ii, qui XXV. ætatis annum explêrunt, (*Majorennes* vocantur JCtis,) hercifcunt bona inter se, *distributio* est penes natu maximum; præelectio penes natu minimum, & sic consequenter. Alicubi primogenitus fit heres ex asse, reliquis sustentatio sufficiens pro conservanda dignitate status & familiæ suæ assignatur, uti fit apud Principes ac Magnates. Hæreditas *jacet* non ádita; *defertur*, quando adire possumus; *adimitur*, cùm heres institutus, postea scribitur exhæres; *aditur*, cùm quis se hæredem esse dictô factóve demonstrat; *repudiatur*, cùm repellitur; *omittitur*, cùm quis se excludi putat. *Heredipetæ* captant hereditatem; *adoptio* est, cùm alienus in filium adscifcitur, seu adoptatur; ísque dicitur *adoptivus*; *abdicatur*, qui è familia & jure filii

filii ejicitur; *emancipatur* filius aut filia, cùm è patria poteſtate exit, & ſui juris efficitur; filia, cùm *elocatur*. Pergamus hinc ad turbam capillatorũ, aut, ſi vis, ad pileatorum. *Deſiderius.* Quid hoc ænigmatis? *Mercurialis.* Ad *heros*, inquam & *ſervos*; hi apud veteres Romanos ex longo capillitio & nudo capite dignoſcebantur ab *ingenuis*, qui ſolebant radi; donabantur pileô, cùm, è ſervitute vindicati, efficiebantur *liberi* & *libertini*, unde ad pileum vocare eſt, ad libertatem vocare. In numiſmatis antiquis altera facies caput feminæ exhibebat, cum inſcriptione: *Libertas*, in altera cernere erat duos pugiones, adjectô pileô; quô Brutus & Caſſius, Cœſaris occiſores, patriæ liberatores indicabantur. *Deſiderius.* Hæc antiquitatis inſperſio præ quovis mihi condimento eſt.

Caput LXXXII.

Heri; famuli.

Familiâ per ſobolem auctâ, vel etiam imminutâ, opus eſt, pro domeſticis ſervitiis, conduci famulos & famulas, reſpectu quorum parentes fiunt *heri* & *heræ*. Olim *ſervi* legebantur & emebantur è captivis, ideóque dicebantur *mancipia*, quia manu capti in bello; ſervorum nati, fuerunt *vernæ*, *vernulæ*, *vernaculi*, (æ, quorum dicacitate quævis procacia dicta, vocantur *vernilia*) perinde in ſervitute manentes, donec eſſent facti liberi per manumiſſionem; atque tunc dicebantur *liberti* & *manumiſſi*, filii autem *libertini*: Apud nos Chriſtianos omnes ſunt *liberi*, quare pauperiores, qui ſerviunt conducti mercede, habentur inſtar clientum & clientarum, ſub patronis & dominis, quos ſibi elegerunt. *Servi.*

Here-

Herorum munus. *Herorum munus* est præbere famulis salarium, aut mercedulam & alimoniam (sive sit diarium, seu victus quotidianus: sive demensum, cibatus menstruus) non malignè & sordidè, ne conquerantur, se *microtrógos* potiùs esse quàm *artotrógos*: distribuere pensa laborum quotidiebus; sed & intervisere, anquísque agat, quod debet, & quomodo; nam oculus domini saginat equum; habenda cura non corporis tantùm, sed & animi; tractandi moderatâ comitate, ut nec sævitiâ alienentur, nec indulgentiâ corrumpantur; dominum suum colant potiùs, quàm metuant; in delinquentes satiùs uti objurgatione, quàm castigatione; idque sine contumelia & acerbitate. In majori familia officia quoque distribuuntur, ut alius sit *janitor* seu *ostiarius*, *atriensis*, *mediastinus*, *scoparius*, *pedisequus*, *anteambulo*, *antecursor*, *cubicularius*, *ab admissionibus interioribus*, *ab epistolis*. &c. Dominæ habent *pedisequas*, *ornatrices*, *implicatrices*, &c.

Munus famulorum. *Officium famulorum* erga dominos continetur *veneratione*, *obsequiô*, *fidelitate*; sint boni & frugi, non cessatores, curiosi, futiles, hárpaces, nugatores, & nugivendi, rixosi inter conservos; exequantur impigrè demandatas operas; præcaveant heri incommoda: ne oggamiant impudenter, nisi velint tractari serviliter, & fieri *mastigiæ*, *verberones*, *flagriones*; (plagipátidæ, *Plauto*,) nihil effutiant rerum domesticarum, quod melius sileretur; nec aliunde in domum inferant; sit in iis celeritas cum ingenii dexteritate, ne videantur cerebrum habere in manu.

Dominorum virtutes. Domini ne sint *Euclíones* & *harpyiæ* œconomicæ, quæ ex ampla familia faciant amplam miseriam; insit ipsis *pietas*, quâ Deus statuitur actionum omnium *omega* & *alpha*; nam Regis ad exemplum, &c. insit *prudentia*, ut sciant, quid, quantúmque in diem,

diem, septimanam, mensem, annum expendere debeant, quid valeant; noverint uti *dissimulatione*, nec omnia ad vivum resecare velint; insit *vigilantia*, *liberalitas* conjuncta cum attentione ad rem familiarem & æquitate erga omnes. Servitutem vel herus servo, vel servus potest renuntiare hero. Atque hæc de Oeconomia domestica, cujus optimus magister est *Usus*, informatrix *Experientia*. Tempus est ex privatorum ædibus procedendi in publicum. *Desiderius.* Sequor.

CAPUT LXXXIII.

Politia: ubi lustramen urbis

Respublica dicitur reductio familiarum multarum sub Regimen unum: eò instituta, ut omnes queant degere tranquillè, & agere sua securè & ordinatè, ne potentior opprimat imbecilliorem. Ad hanc rem opus est *conjunctione domiciliorum*; quæ, si minor, appellatur *pagus*; major, *oppidum*; quandóque *oppidulum*; maxima, *urbs*; quæ differt à *civitate*, quòd hæc constet civibus, illa ædificiis. 2 *Limitatione ordinum*, ut alii præsint cum potestate, & jurisdictione; alii subsint cum subjectionè & obsequela. 3 *certis Legibus* & institutis, quibus omnes & singuli colligantur in unum corpus. *Tria requiruntur ad Rempublicam.*

Forma Regiminis est triplex; quippe administrat Rempublicam 1 alicubi *plebs* ipsa, permutans inter se officia per vices, dicitúrque *Democratia*, seu dominatio populi, 2 alicubi *Optimates*, decitúrque *Aristocratia*. 3 alicubi potitur rerum *unus solus*, dicitúrque *Monarchia*, seu Regnum; ejúsque Dominator, Monarcha. *Oligarchia*, seu paucorum dominatus, habetur in vitio Politiæ; seu Regiminis Politici. *Triplex forma Regiminis.*

Cir-

Habitatio civium. Circumvisamus urbem. Ubi quæritur, quæ sit *habitatio*; an tuta, amœna, commoda. *Tutæ* habitationi servit circummunitio: cùm oppidis extrorsum circumdantur mœnia, fossæ, valla, imò & valli, inter quos intervallum est; introrsum verò pomœrium, quà civibus datur accessus ad munimenta; tandem locis editioribus speculæ, in quibus civici excubitores excubant, vigilésque vigilant. *Portas* solent præmunire bipatentibus valvis, & deinsuper impendentibus *cataractis*, (cancellatis foribus) obsepiréque seu *stabilibus*, seu *subductilibus* (sublicii, versatilibus, pensilibus) pontibus.

Amœnam habitationem facit amœnitas sitûs, pulcher prospectus, decóra fastigia turrium, nitidáque inædificatio platearum, nempe ut primarii vici, habentes utrínque contiguas ædes, sint ampli: earúmque ordines directi, & ad symmetriam atque structuram conspicui; tecta potiùs compluviata & testudinata, quàm pectinata & in angustum surgentia; sint dimensa quaquaversùm viarum spatia; angiportus, juxtim transcurrentes, sint angustiores, flexuosi, & ferè curribus impervii. Anteriora domorum sint pervia, præstructis porticibus, ut pateat siccus transitus tempestate pluviosâ; plateæ verò ipsæ stratæ lapidibus, ne ambulationes sint lutosæ.

Commodè habitatur urbs, sita locô salubri, non ad palustria virus exhalantia; & cui bene prospectum est de omnibus necessariis, ut sunt ædificia publica, & ultro affluens aqua, & facilè parabilia cibaria, ligna, &c.

Publica ædificia. *Publica ædificia* sunt imprimis *templa* ad amplitudinem urbis, proportionem & comparationem extructa; tum *Cœnobia* & Monasteria, religiosorum virorum ac feminarum claustra; inde *curia* pro con-

conventu Senatûs; *prætorium* pro exercendis judiciis; cum adjuncto *carcere* pro custodia delinquentium; *ærarium* & *armamentarium* pro asservando publico ære & armis; *Gymnasium* & *scholæ* pro exercenda & bonis juxtà literis ac moribus imbuenda juventute; *Balneæ* diversæ pro diverso sexu. *Technophylacium*, locus, ubi præstantia artis opera; *Antiquarium*, ubi vetusta asservantur.

Dehinc sunt: *ptochodochia* receptacula mendicabulorum, *læmodochia* peste afflictorum: *leprodochia* & *hierocomia* leprosorum: *gerontocomia* & *adelphotrophia* seniô laborantium, & *nosocomia* ægrotantium: *orphanotrophia* pro enutriendis misellis pupillis, aut expositis, (sicubi probra ista fiunt;) & *hospitalia* seu *xenodochia* pro introducendis hospitibus peregrinis. (*Parabolani* Græcis & JCtis sunt homines ad curanda debilium corpora deputati.) Et *diversoria*, ubi advenæ divertant; vel etiam *popinæ*, ubi edulia semper reperiantur parata; sicut & potulenta in *cauponis* & *œnopoliis*.

Fora (compita & quadrivia) debent esse plura in populosa civitate pro rebus venalibus, & distincta locis, ut scias, ubi quid quæras; nimirum alibi forum *pecuarium*; (equarium, boarium, suarium) alibi *olitorium*, *piscatorium*, *pistorium*, *carnarium*, *nundinarium*, &c. alibi denique *scrutarium*, ubi *scrutarii* venditant scruta, & *mangones* interpolatas vestes. *Fora.*

Opificia habentia aliquid *sordium* aut *strepitûs*, optimè locantur in *suburbio*, ut lanienæ, ustrinæ, sordescentésque officinæ cerdonum, & strepitantes fabrorum: *cloacæ* verò & *foricæ* in recessibus platearum; quarum aliæ *diffusoriæ*, devehentes aquas immissas in fluentum, lacum aut mare; aliæ *subdivæ*, quibus conceptæ aquarum sordes non aliò evomuntur, sed, quasi terræ alveo inhaustæ, si-

dendô conficiuntur; priores substrátas esse oportet *straturá* declivi, planâ, solidâ.

Aquædu-ctus. *Aquæductus* fiunt ab *aquilege*, seu per aperta *incilia*, seu per occultos canales, derivatos è montanis scátebris, & effundentes aquam hinc inde in *castella aquaria*, & ex his, per siphones, in *crateres* & *conchas*: in defectu fontanæ (fontalis, fontanalis) aqua fluvialis diffunditur tractoriis machinis; aut effodiuntur putei, circumdati oras crepidine: unde aqua vel hauritur situlis seu urnis, sive per *rechamum*, sive *tollenonem*, sive *tympanum* rotatile, ductilibus seu tractoriis; vel *antliâ*, (hoc est, mobili intra arrectum canalem perticâ, infernè cavô ære præmunitâ, undæ intra tubulum æneum attrahendæ, cogendæque) penduli manubrii agitatione egurgitatur. Ubi ne quidem talium est copia, constituitur *cisterna* depressiore locô, in quam pluviales aquæ confluunt per *collicias*.

Viæ publicæ extra urbem. Adde his *vias extra urbem publicas*; quæ veteribus, glareâ vel silice stratæ, instar erant aggerum & pulvillorum altiusculæ & marginatæ, hoc est, firmiter arctatæ & strictæ ad oras lapidibus grandioribus, ne diffluerent ac spargerentur. Dispositi per eas crebriores *cippi* quidam, eminentes, in quibus insidere fessis, onera reclinare, aut ex iis in equum ascendere fas esset. Extabant & *columellæ*, quæ, notis numerorum incisæ, milliaria notabant; passim quoque monumenta & sepulchra adsita latus utrúmque prætexebant. Memorabilis cumprimis Via *Appia*, à porta Capena, Capuam usque, deinde usque Brundusium lapidibus strata per milliaria Italica 474; latitudine 23 pedum, ut duo currus ex adverso liberè quirent pervadere & commeare, nec brevior via *Flaminia*, quæ

Româ

Româ Ariminum usque, & inde porrò Aquilejam ducebat.

Adde *navalia*, quæ sunt loca, ubi naves construuntur, aut subductæ quassatæve instaurantur & asservantur. Adde *portus*, seu locos conclusos, quò portantur merces, & exportantur. Solent ex utráque parte vel manu collocari turres, è quibus, ad claudendum aditum, duci catenæ per machinas possint; vel naturali situ acroteria & promontoria procurrunt; ubi aggeres continuatâ serie ad arcendos fluctus; latera capacia, navigiis excipiendis commoda; quáque non patet violentior ventis accessus; profunditas tanta, quæ navis onerariæ rebus convectis gravis, sit patiens; adsunt columnæ cum ansis & anulis ferreis, quibus naves illigantur: crebríque fornices, quibus importata conduntur & asservantur; in faucibus speculæ altæ & munitæ (qualis Pharos Alexandrina) ad prævidendos velorum adventus; unde nocturnis ignibus certi nautis monstrantur ingressus: nec non propugnacula ad tuenda sociorum navigia. Descriptionem portus Carthaginensis habes Æneidos 1. *Navalia.* *Portus.*

Magnifica quoque est *pontium* substructio, quorum alii lignei, qualis admirandus ille Cæsaris lib. 4. de bello Gall. alii lapidei, ut ille Trajani Danubiô instratus, & impositus pilis è lapide secto ac quadrato, fornicibúsque devinctus & concameratus, de quo Dio Cassius & Xiphilinus. Huc accedunt *moles aggerum* in aquis jactæ, quibus illæ frenantur & coërcentur. Vide Curt. lib. 4. c. 7. Nobis non vacat plura de his meminisse. De *Magnitudine Urbis Romæ* mira narrat Lipsius, in qua ait fuisse palatia 1780, totidem urbium instar, in quibus circus, fora, templa, fontes, balnea, &c. *Pontes.* *Magnitudo Urbis Romæ.*

insulæ verò (domus ab aliis abjunctæ) 46602. Quæ cùm, jam antea orbis caput, parem non haberet, Augustus tamen Cæsar ita eam ornavit & excoluit, ut gloriaretur, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. *Desiderius.* Verè Poëta: Terrarum dea, gentiúmque Roma. Urbium omnium non modò Princeps, sed Miraculum. O quàm parvis ab initiis, quanta! *Mercurialis.* Denique qualis? Cinis, favilla, bustum. Sed nunc ab ædificiis ad incolas.

Caput LXXXIV.

Societas Civilis.

Urbicis ut benè sit omnibus, distinguendi certos sunt in ordines, sua cuivis assignanda functio, providendúmque, ut & agantur, quæ agenda; & corrigantur, quæ non agenda, aut perperàm acta; & exorbitationes revocentur ad normam.

Ordo civium. *Ordo civium* est, quòd alii sint *patritii*, oriundi claris prosapiis; alii *ephori*, (*optimates*, *primates*) cooptati in Magistratum sive suffragiis, sive subsortitione: alii *plebs*, privata curantes; omnes secernendi cognominibus seu cognomentis familiarum, propriisque prænominibus & agnominibus.

Primores Magistratuum. *Primores Magistratuum*, sunt *Senatores*, invigilantes publicæ saluti; & *prætores*, vocantes litigiis componendis; *ædilésque*, inspectores publicarum ædium; & *tribuni plebis*, procurantes, ut populus contineatur in bono ordine; & quodvis collegium intra limites suorum statutorum & privilegiorum.

Hi tribuni dividuntur alicubi in *Duumviros*, *Triumviros*, *Quatuorviros*, *Septemviros*, *Decemviros*, *Centumviros.* Quorum officium est ferre plebiscita, auto-

autore Senatu; horum tamen jurisdictio (Duumviralis, Triumviralis, &c.) non est diuturnior, quàm in Duumviratu, Septemviratu, Centumviratu relinquuntur: sunt & *tribuni Cereales*, seu *panarii*, *carnarii* seu *macellarii*, *piscinarii*, *cerevisiarii*, *vinarii*, *&c.*

Dum *Senatus* (Senatorum major; & minor est ordo, & in hoc pedarii seu pedanei) agit *consessum* in *curia*, domo senatoria, senaculo) ubi *album* (vulgò *matricula*) civium & acta civica asservantur. (tabulæ publicæ, commentarii, Archivum, Tablinum vel Tabularium, Chartophylacium, Grammatophylacium) *Consul*, (cujus officium alicubi annuum, alibi perpetuum; quibusdam in locis præsidet directioni cum collegis per vices temporum) aut ei substitutus *Proconsul*, cogit, dat, habet Senatum; dimittit consilium, proponit deliberanda; *Consulares viri* sententias dicunt; *Syndici* assidentes decîdunt intricatos casus; *Notarii* (scribæ urbis, tabellarii, tabelliones, amanuenses curiæ, actuarii, archigrammatei, dicographi) perscribunt & consignant *auctoritates* seu Senatusconsulta, vulgò *Conclusa*. *Irenarchæ*, olim *Censores*, præsunt moribus corrigendis. Huc referuntur varii *Officiales*, (*Apulejo*) Accensi, Apparitores, corycæi seu exploratores, circitores nocturni, portarum custodes, nuntii, cursores, viatores, &c. *Minores Officiales.*

Opifices habent suas sodalitates, (sodalitia) tribus, curias, corpora, ubi novitius, professus artificium, exhibet artis specimen Curionibus, demúmque in ordinem recipitur; infima plebs, sunt mercenarii, proletariáque multitudo, & relati inter ærarios, seu capite censi. *Opifices.*

Civium est, præstare sibi mutua *officia*; licèt alius aliô sit honoratior; aut privilegiis & immunitati- *Civium Officium.*

bus à censu & oneribus gaudeat; solent etiam indigenæ præ inquilinis (qui jus civitatis non habent) eximi in quibusdam; peregrini alicubi sunt vectigales, eorúmque bona caduca.

Quando cives rarefiunt, admittuntur novi *municipes*, hoc est, in *album* civium referuntur, seu civitate donantur: quando superabundant, *colonia* (coloni) emittitur aliò, ut ex illis aliisque *convenis* novum fiat *municipium*.

Officium Magistratus. *Magistratuum* est videre, ne Respublica capiat quid detrimenti: quod fieret, si permitterent 1 quenquam civium vivere otiosè, neque advigilare suis rebus. 2 aut vestium pretiô modóve excedere vitæ & statûs sui conditionem, alióve luxu prodigere patrimonium, 3 aut facere quæstum malis artibus, & aliis præripere sua, 4 aut tolerarent publica inhonestamenta, comessationes, popinationes, ganeas, lupanaria, labem juventutis. 5 aut distribuerent publicas functiones, secundùm personas, non secundùm aptitudinem & merita. 6 conniveréntque ad omnia præpostera, 7 & non sufficerent seu substituerent defunctis alios. 8 aut non contribuerent salaria iis, qui ministrant publico.

Bonæ Reipublicæ constitutio. In *Rebuspublicis* bene *constitutis* sunt, 1 severæ *Leges* ad omnia; non facilè novandæ, nedum temerandæ; ut *sumptuariæ* de pretiis rerum & manupretiis, &c. nequis exlex aut illex possit defraudare alium. 2 *justa executio* in violatores Legum, sine personarum respectu seu discrimine (vulgo *acceptione*.) 3 *anniversaria examina*, ubi quisque cogitur reddere rationem, quâ industriâ victum quærat: ne cui liceat esse otioso, aut in alios iniquo; aut exercere mendicitatem ostiatim; imò Magistratus ipse, siquem expilavit, repetundarum

rum tenetur, aut ambitûs, ob honores malis artibus comparatos.

Nisi hæc observantur, imprimis autem, (ut *juventus rectè educetur*, subnascitur indubitanter perturbatio rerum, furta, rapinæ, latrocinia, meretricia, mutuæ oppressiones, pauperies; subversio denique & ruina Reip. tantò major & facilior, quantò ipsa est populosior.

Speciatim Magistratuum est, providere communitati de subministratione rerum necessariarum, quod fit per *Mercatores*, & varios rerum venalium *Curatores* & *Expositores*; de præsidiis valetudinis; quod agitur per *Medicos*, de quibus cap. 75. De administranda justitia, quod efficitur per *Judices*, de quibus cap. 77. Curanda per *servos publicos* mundities platearum, meatus fontium, repurgatio caminorum, cautela ignium, tranquillitas noctium, unde *circuitio vigilum*, qui horas proclamant nocturnas, & subinde Oscum illud ingeminant: *Orse verse* (custodi ignes,) Custodia portarum & clavium. Alicubi sub serum crepusculum pro signo urbis claudendæ, pulsantur æra *clusilia*; ad incendium extingendum æra *incendiaria*; malefico, cùm *ducendus*, æs *ferale* sonat. Hæc succinctiùs de Politia; plura si desideras, lege Lipsium de Doctrina Civili, & Exemplis Politicis: Petrum Gregorium Tholosanum de Rep. & Politica P. Adami Contzen, *S.J.* Nos avocat Mercurius, tinnulum manu quatiens marsupium. *Desiderius.* Nimirum Mercatorum deus, *Mercurialis.* Ita est; admoveamus nos ad illum, & ejus exploremus artes. *Desiderius.* Obsequor. Est tamen quod insuper. *Mercurialis.* Quid illud? *Desiderius.* Sportulam de Magistratu Veteris Romæ. *Mercurialis.* Rogator es, vel ponte dignus Milvio. Accipe.

Magistratus Veteris Romæ. *Magistratuum Romanorum* genera & discrimina fuére plura. Aut enim à *temporibus* dividuntur: ut Ordinarii, Extraordinarii; illi dicti, qui statis temporibus & semper in Rep. essent, ut Consules, Ædiles, Tribuni, Quæstores; hi, qui nec eodem tempore, nec semper, ut Dictatores, Interreges. Aut à *personis* discriminantur, ut Patricii, Plebeji, Mixti. E quibus primi dicti, qui solis Patritiis patent, ut interregnum; alteri, qui soli plebi, ut Tribunatus, & Ædilitas plebis; postremi, qui cuique Ordini, ut ceteri omnes. Aut *à qualitate* agnominantur, ut *Majores* & *Minores*, idque sensu duplici; vel ab auspiciis; vel à potestate majore vel minore. Aut denique distinguuntur *ab insignibus* in Curules & non Curules; illis jus est *sellæ eburneæ*, ut Dictatori, Consuli, Censori, Prætori, Ædili, Curuli; istis minimè.

Consules. *Consules* appellati, quòd bono consulerent publico, supremum Romæ Magistratum, eúmque annuum, sicut plerique alii gerebant; eorum insignia fasces & secures cum duodecim lictoribus, sella curulis, toga prætexta, scipio eburneus, sive sceptrum.

Prætores. *Prætores* à præeundo dicti sunt, quorum munera præcipua, Ludi, quos dabant in populi gratiam: Sacra, quæ domi plerúmque curabant Bonæ Deæ per uxores; *Jurisdictio* tam in privatis judiciis (in quibus Res Civiles) quàm in publicis (in quibus Criminales tractabantur) *Urbanus*, apud quem Cives agebant; *Peregrinus*, apud quem Peregrini.

Ædiles. *Ædiles*, quibus nomen ab ædium cura, inspiciebant opera publica, curabant incendia. Penes ipsos, ritus funerum, infamium mulierculárum coërcitio, balnea, aquæductus, cloacæ plateæ. Iis, qui plus quàm lege definitum esset, agri possidebant,

diem dicebant: fœneratores reprimebant: popinas & ganeas inhibebant: in facta & dicta incivilia ac improba animadvertebant, mulctámq; indicebant; Decretorum, Plebiscitorum, Senatusconsultorum custodia ad eos pertinebat: frangere poterant, quæ in via publica iter impedirent; mensuras iniquas & pondera injusta corrigebant; de alcæ lusibus cognoscebant. Denique, ut omnia urbis loca & ædificia lauta, munda, integra, expedita servarentur, curabant. *Cereales* dicti, qui annonæ præerant. Adagiô feruntur *edictiones ædilitiæ*.

Tribuni à tribubus nominati, auxilium ferebant plebi contra vim potentiámque Magistratuum; quorum iniqua decreta aut injusta rescindebant; januæ eorum noctesdiéque patebant ad miserorum querelas excipiendas; nullam horam ab urbe abesse poterant; intercedebant, hoc est, Magistratui se opponebant, unicô verbô: *Veto.* In Senatum non veniebant, sed ante valvas Curiæ positis subselliis sedebant. *Tribuni.*

Quæstores nuncupati à quærendo: quòd pecunias publicas conquirebant & reponebant. *Urbani* tractabant pecuniam urbanam, & ærario præerant; *Provinciales* præstò erant Consulibus; ad ministeria belli. *Quæstores.*

Dictator à dictando seu jubendo nominatus, cujus dicto omnes audientes essent. In rebus arctis, aut desperatis casibus, imperitabat absolutô arbitratu; fuitque imperium ejus semestre. *Dictator.*

Censores dicti, sive quòd ad eorum censionem & arbitrium populus censeretur; sive quòd quisque rem suam tanti æstimaret, quanti illi censuissent; creati in annos quinque, quia, lustris duntaxat singulis censeri populum, vetus institutum fuit. Eorum officium seu Censura fuit, publicas privatasq; *Censores.*

opes describere, vectigalia locare, opera publica erigere, inspicere, probare; hæc farta tecta exigere; vias publicas tueri ac reficere; pretia sacrificiorum publicorum curare. Item, Senatu movere seu ejicere; equitibus equum & anulum adimere, tribu movere, ærarios facere; unde *Magistri morum* appellati; inde *severitas* & *Virgula Censoria*.

Interrex. *Interrex* creatus est, Comitiorum causâ, liberâ Rep. in tempus quinquediale; munus idem, quod Consulum. *Consularis* est vocatus, qui consulatum gessit, *Prætorius*, qui præturam. Proconsul, Proprætor, &c. qui locô Consulis, Prætoris, &c.

Magistratus Minor. *Magistratus Minores* erant varii. *Quatuorviri* curandarum viarum; *Tribuni* capitales; Nocturni; Valetudinis; Monetales; Coloniæ deducendæ; idoneos ad arma juvenes conquirendi; *Curatores* tribuum, &c.

Inter Ministros Magistratuum potissimi erant *Præcones*, qui ad hastam stabant, seu in auctione pretium rei indicabant; in concionibus audientiam faciebant: in Comitiis tribus citabant ad ineunda suffragia; latas Leges populo pronuntiabant; in judiciis Judices, reos, accusatores, testes vocabant; Oratores dixisse pronuntiabant; inde, præconium facere.

Viatores vocabant PP. Conscriptos in Senatum. *Apparitores* præstò erant Magistratibus obsequii gratiâ; unde officium illorum apparitura & apparitio. *Accensi* populum ad concionem vocabant.

Ordines Civium Romanorum. Cæterùm tres erant Ordines Romæ. Senatorius, Equestris, Plebejus. Ex his utrúmque posteriorem complectebatur Populus, unde illæ litteræ, S. P. Q. R. Census Senatorius erant sestertia 800, hoc est, 20000. Philippéi. Equestris 400. sestertia.

tia. Civium honestiorum centum sestertia; quæ Cicero lib. 2. de Leg. vocat centum millia æris. De quo cap. 63. Qui verò amplius, quàm mille, quingentûm æris non deferebant in censum, non adscribebantur militiæ ob paupertatem; sed procreandæ prolis gratiâ in urbe relinquebantur, unde *Proletarii* dicti. Qui vel nullô, vel perquam parvô ære censebantur, hoc est, qui tantùm pro capite suo æra pendebant tributi nomine, dicebantur Ærarii, seu in tabulas Cæritum relati, nec jus suffragii habebant. Sunt autem inter Quirites ii *Populares* dicti, qui ea faciebant, dicebántque, quæ multitudini jucunda esse volebant. *Optimates* verò, qui ita se gerebant, ut consilia sua optimo cuiq; probarentur. *Nobiles* dicti, qui Majorum suorum imagines, sive ex ære sive cera fictas, in atriis propositas ostentare poterant. *Novi*, qui suas duntaxat imagines habebant. *Ignobiles*, quibus nullum jus simulacrum suî effingendi ac proponendi. *Ingenui* vocati, qui statim, ut nati, erant Liberi. *Libertini* erant ex illis orti, qui aliquando è servitute manumissi. *Liberti* è servis in libertatem vindicati sunt. *Clientes* appellati tenuioris sortis cives, qui se *Proceribus* Romanis in clientelam dabant, quósque sibi in *Patronos* adoptabant: quorum patrociniô caput & fortunas suas tuerentur; vicissímque Patronos ipsi suos omni observantiâ & obsequiô colerent, ac venerarentur, comitandô eos in forum euntes, manè salutandô, &c.

Desiderius. Dilucidè. In Senatu quæ agendi ratio? *Mercurialis.* Senatorum numerus aliàs ad 100, ad 300, ad 400, & ampliùs ascendebat; quorum insigne, ut memini dicere, tunica laticlavia, cui scilicet clavus latior intextus; angustior Equites ab illis discriminabat; dicti sunt *Patres Conscripti.* *Consultatio in Senatu.*

Equi-

E quibus *Pedarii*, juxta *Festum*, qui ſententiam in Senatu non dixerunt, ſed in alienam pedibus iverunt. Alii aliter de Pedariis loquuntur, negántque, quemquam in Senatu fuiſſe, cui non licuerit dicere ſententiam. Videntur conciliari poſſe, ſi dicamus, Poſtremis Senatorum, poſt auditas Primariorum ſententias, placuiſſe, magis pedibus quàm linguis oſtendere, quid ſentirent; præſertim, cùm ſæpè non ſinguli rogarentur dicere, ſed generali formulâ interrogarentur: *Qui hoc cenſetis, illuc tranſite: qui alia omnia: in hanc partem.* Quod erat facere Senatusconſultum per *diceſſionem*. Quòd ſi dubitaretur, an legitimus Senatorum numerus adeſſet, quivis Senatorum dicere poterat Conſuli: *numera Senatum.* Quòd ſi Tribunorum aliquis intercederet, ne *Senatusconſultum* fieret, auctoritas tamen Senatûs, hoc eſt, ſententia plurium ſuffragiô lata perſcribebatur. Quòd ſi Senatusconſultum probaretur à Tribunis, litterâ T ſubſignabatur, & in ærarium deferebatur, ne poſſet ſupprimi vitiarique. In eo perſcribendo id moris erat, ut ea res, de qua rogatæ ſententiæ fuerant, ſummatim exponeretur. Exempli gratiâ: Quòd M. Marcellus Conſul verba fecit de Provinciis, D. E. R. I. C. hoc eſt, de ea re ita cenſuerunt. Jubebantur autem ſententiæ *dividi*, quæ duas plurésve res complectebantur, quas non placeret in Senatu tractari. *Deſiderius.* Romana me oblectat & Antiquitas, & Sapientia. *Mercurialis.* Didicerunt inde omnes gentes ſapere. Nos ab iis abeamus, & pedes ac oculos in mercatum transferamus. Quid reſpectas? *Deſiderius.* Eos, à quibus digredimur. *Mercurialis.* Amiſſum requiris aliquid? *Deſiderius.* Omiſſum aliquid deſidero. *Mercurialis.* Ecquidnam? *Deſiderius.* Petitores & Prenſatores honorum, quos Candida-

tos appellabat Roma, quales fuerunt? *Mercurialis.* Multa paucis accipe.

Candidati nomen adepti sunt à toga candida, quam gestabant, qui se Magistratum petere *professi* erant. *Professio* illa fiebat ad populum per concionem aliquam ad eum habitam. Ubi multum est laboratum in voluntate amicorum & populi concilianda. Qui aliquid studii ostendebant, *Salutatores* ad domum *Petitoris* veniebant; *Deductores* domô exeuntem in forum deducebant; *Sectatores* assiduè latus stipabant. Conciliando populo multùm valebat, ut Prensator Magistratûs suô quémque civem nomine appellaret ac salutaret; hinc minister ad aurem, qui occurrentium nomina suggerebat, & *nomenclator* dicebatur; *Festus fartorem* appellat; quòd clam veluti infarciret in aures Candidati nomina salutandorum civium. Præterea adhibebantur *blanditiæ* appellandi, ut patrem, fratrem, patronum. Addebatur *assiduitas* ambiendi, hoc est, obeundi, non Romana modò fora, sed municipum oppida, prensandô singulos, manum prehendendô; rogandô, petendô, beneficium reposcendô sive per se, sive per amicos. Accessit *benignitas*, dandô congiarium, præbendô prandia, exhibendô gladiatores, dividendô pecunias; aut, præsenti etiam pecuniâ, populi suffragia emendô, ad quam rem ministri adhibiti, *Interpretes*, per quos pactio inducebatur: *Sequestres*, apud quos pecunia deponebatur: *Divisores*, qui singulis nummos distribuebant.

Candidati honorum.

Desiderius. Quantæ molis erat, Romanos prendere Fasces! *Mercurialis.* Plerósque ambitio fecit reos ambitûs seu empti Magistratûs. Nos tandem progrediamur à foro Romano in forum aliud, ubi licitum est, & vendere & emere.

CAPUT

Caput LXXXV.

Mercatura.

Quando non omnis fert omnia tellus, homines inter se bona sua communicant; quæ uno in loco superfluunt, transmittendô aliò: quæ desiunt, asciscendô & importandô aliunde, etiam longinquè ex oris transmarinis; cui negotiationi nomen est *mercatura*, occupatæ circa invectionem rerum & evectionem, suo ac Reip. bono.

Invehenda sunt ope vecturæ & naviculariæ necessaria, quæ domi desiderantur, ut defectus sarciatur; quæque supersunt, evehenda, ne sine usu pereant. Hæc est summa ratio mercimoniorum, exercenda facilimè in locis opportunis, puta maritimis, aut ad fluvios navigabiles, litis; ubi merces consarcinatæ, & cistæ segestribus involutæ, vectoriis imponuntur navigiis, & exonerantur.

Diuturnus mos fuit, merces ipsas *permutare* mercibus, quæ submutationes necdum omnino usurpari desitæ; postea dependebatur *infectum æs*; (argentum, aurum) secundùm indicta & taxata pretia rerum; tandem reperta est *moneta*; hoc est, æs signatum charactere valoris, quô faciliùs per manus ementium & vendentium transiret; tum *indicatio pretii* & *licitatio*; inde nominis & æris alieni *contractio* ac *solutio*; nunc etiam, viâ valdè compendiariâ, pecunia curatur, mittitur, permutatur *collybo*, seu per *collibum*, aut nummariam tesseram, vulgò *cambium*.

Mercatorum genera. *Mercatores* seu *Negotiatores* majoris nominis (Apulejo *Magnarii*) venundandas mittunt merces ad celebria emporia; sed *institores*, *tabernarii*, *nundina-*

dinatores, *própala* (qui merces própalam seu de palo pendentes habent, *Plaut.*) At *scrutarii*, *frivolarii* circumcursitant oppidatim, inque anniversariis nundinis, aut hebdomadariis mercatibus, venum promunt & exponunt sua, sub cadurcis, (velamentis crassis) aut in tabernis & tabernaculis; venditáque involvunt cucullis, divenduntque (distrahunt *Suet.*) vicatim, angulatim, domesticatim.

Genus venditionis est, cùm res veneunt *auctione*, (*sectione*, seu *sub hasta*) ubi venditor ostentat rem promercalem, circumversandô eam turbæ circumsistenti, & *indicat*, quanti *liceat*, (facit pretium, æstimationem constituit, statuit;) tum aliquis emptorum *licetur*, aut *licitatur*; (olim empturus tollebat digitum) alius *licetur contra*, pretium augendô; donec res *addicatur* pollicenti plurimum. Fit etiam, ut quis *intercedat* ementi, aut apponatur licitator; Proxenéta seu pararius, conciliator est emptionis; Proxeneticon, ejus merces. *Emaces* quidam empturiunt magis, quàm emunt, leviter ab emptione resilientes, abeuntes, discedentes. Vendaces, loquaciores impendiò, cupiunt protrudere merces suas. Quædam *solvuntur* mercatori præsentaneâ pecuniâ; alia *creduntur*, & referuntur in libros rationarios, seu in *codicem*, aut breviarium seu diarium, *nominum*, sive debitorum; quorum *nominum* alia sunt expedita & bona; alia impedita & mala, dum ære laborantes alienô, emunt tamen, & *versuras* faciunt; & quando unum expungunt nomen, decem aliorum superest *reliquatio*; quæ tametsi sint *confessa*, sunt tamen parùm idonea, & paria solvendo, ideóque manent *insoluta*; quibus non *expunctis*, fit, ut concidat fides. Sed & ipsi Mercatores *conturbant*, & *decoquunt*, hoc est, fortunis suis evertuntur, & mercaturam deserunt.

Auctio, seu venditio sub hasta.

Debita.

runt, coguntur forô cedere, dum fidem creditoribus fallunt; unde dicuntur conturbatores, decoctores, desertores fidei; quandóque verò rediguntur ad *incitas* nullâ suâ culpâ, sed infortuniô.

Fraudes vendentium.

Cùm verò non raro interveniant *fraudes*, oportet esse cautum in mercando, quippe rari vendentium, contenti lucello aut quæsticulô, nimium quæstum *seu* lucrum quærunt, venundantes magni, quod emerant vili, (quanquam est pretium triplex, summum, medium, infimum) ejurant etiam tantidem constare. Aut *impostor* merces supponit, obtrudit, extrudit invendibiles, vetustas, obsoletas, vitiatas: situ corruptas pro recentibus; aut adhibet mensuras fallaces, &c. Quædam exponuntur venum, in speciem pretii duntaxat fabrefacta; non in valorem rei bonæ, aut in usum durabilem. Est verò *pretium justum*, duplex; *unum*, quod à potestate publica ad bonum commune est taxatum, dicitúrque legitimum; *alterum* communi hominum æstimatione determinatum; & appellatur *vulgare*; quod diximus esse summum, medium, infimum. Quidam commercantium nimis restrictè & parcè premunt venditorem.

Monopólæ, propólæ.

Caritas annonæ ingravescit (auget vel augetur) subinde; aut remittit, (laxat aut laxatur) convalescit, pro rerum abundantia vel penuria; rarum enim est carum, & carum rarum; sæpe tamen *monopólæ*, *propólæ*, *dardanarii* in culpa sunt, qui, quæ pretiô imminutô præmercantur, postea pro lubitu taxant; adeóque communitatem vexant; annonam flagellant, comprimunt, excandefaciunt; quare *monopólia* non sunt permittenda.

Ubi res delibrata *superpondiô* augetur, est *appendix*; si quid adjicitur, *auctarium* vel *mantissa*. Sed expen-

expendere liberaliùs, facit dispendia, quæ depauperant; parciùs, compendia, quæ opulentant.

Quid requiris ampliùs in negotio hoc lucroso ac quæstuoso, nec raro damnoso, in quo omnes, augendæ attenti rei, carò cupiunt vendere, vili emere. Et ubi hæ non audiuntur voces?

—— *quærenda pecunia primùm est; Virtus post nummos.*

Et:

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Divitiæ crescant & opes; ut maxima toto
Nostra sit arca foro.

Illiberales videlicet in hoc, toti sunt *lucriones* (*Festo*) & *quæstuarii* (*Senecæ*;) quod ego pace illorum dixerim Negotiatorum, qui rem ita faciunt & mercaturam, ut prosint sibi, lædant neminem; salutares Bono Publico, in cujus incrementum

Impiger extremos currit Mercator ad Indos.

Nos relictô forô nundinariô convertimur ad ludos & lusus, inter quæ vocabula, teste Vallâ, hoc est discriminis; ut *ludus* sit quodvis ludicrum ad animi recreationem, corporisve exercitationem, fieri solitum, propositâ tamen quadam lucri spe, damnique periculô; *lusus* autem ad solam referatur voluptatem; quod tamen discrimen ferè negligitur. *Desiderius.* Sive ludi sint, sive lusus; hîc mihi salit animus, & pedes, ad rem voluptariam. *Mercurialis.* Mihi non eadem est ætas, non mens eadem; memini, cùm esset. Juveniles te decent spiritus, & exiliens in corpore sanguis. Odi Timones & misanthrópos; quanquam τὸ πρέπον, ut alibi, ita à ludentibus est observandum maximè; quid deceat, ubi, quomodo; quatenus prodire fas sit. Aureum Tullii præceptum est: cùm juvenes

 rela-

relaxare animos, & dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ. *Desiderium.* Memori reponam mente.

Caput LXXXVI.

Modi relaxationum corporis & animi.

Quod caret alterna requie, durabile non est. Fragiles ne labascant aut langueant vires, cessandum quandóque à seriis, dandúmque aliquid temporis ludicris, juxta illud:

Interpone tuis nonnunquam ludicra curis.

Oblectationes ludicræ spectando. Quæ defatigatos oblectent *spectatione*; aut vegetent *commotione*; aut refocillent *concertatione.* Tria hæc vacationum lusoriarum genera cursim arbitremur.

Et primò Gesticulatorum ludi. *Præstigiatores* (Gesticulatores, Gesticulariæ, Præstigiatrices) perstringunt aciem oculorum mirâ volubilitate gesticulationum, ut miracula putentur ea, quæ solâ pernicitate peraguntur. Sunt & *petauristæ*, (schœnóbatæ, neuróbatæ, funambuli, facientes schœnobaticam, *funirepi Apul.*) ambulantes non solùm super fune sublimè extenso; sed & subsultantes cum strictis ensibus, impeditis alligatô onere pedibus; neque tantùm haltére, manibus gestatô sese librantes, sed mirabili artuum flexu se circa restim pronè, supinè, pendulè rotantes. Item *larvati Ludiones, Circulatores, Agyrtæ, Chirónomi,* ludentes *larvam masculam* chironomicè masculos mimicos, (quorum effigies *Festo citeria* vocatur) articulis vertebrísque in omnem partem flexiles, ridiculè argutos, loquaces & gestuosos; aut ex *laxa pera* quidlibet protrahendô, ludificandis sensibus, variéque subducendô, trajiciendô, reddendô; præsertim *pilulas* celeri agitatione jaciendô; unde *Quin-*

Quintiliano pilarii dicti, quibus quæ emiserint, ultrò in manus ve[r]ire credas.

Scenici ludi præbent spectaculum plausibilius, ubi ex sipario in theatrum aut theatridium sive historicè, sive fabulosè, inducuntur personæ comicæ, quas olim *histriones* vocabant, earúmque artem *histrionicam* & histrioniam; item mimos, mimas, mimulas, ac pantomimos: qui, quòd vel verborum & actionum lasciviâ vel acerbâ dicacitate plausum captabant, rectiùs hodiéque explodendi sunt & exsibilandi, dum amatoriis lenociniis propudiosè scurrantur aliis.

Actores theatrici vel sunt *Comœdi in soccis*, dum Comœdia agitur, exhibens res variè turbatas, sed felici eventu: vel *Tragœdi in cothurnis*, dum Tragœdia ex læto vel minùs turbido principio ad tristem plerúmque tendit exitum; dixi plerúmque; nam tametsi casus quandóque lætitiam inexspectatam adjungat sævis, nihilò seciùs timet ac miseratur auditor; ut est in Iphigenia *Euripidis* & Hercule Oeteo *Senecæ*. *Comico tragœdia* vel *Tragico comœdia* est drama ex utróque mixtum. Primarum partium personas Græci *Protagonistas*; secundarum & tertiarum *Deuteragonistas* & *Tritagonistas* appellant. In illis solet intervenire *error Comicus*, qui minimum habet culpæ, plurimùm veniæ, dum committitur aut per ignorantiam facti jurísve; aut impulsionem vehementis perturbationis. (*Admirabilitas* gignitur ex agnitione, dum ignorantia in notitiam mutatur) Ita *Oedipus* sciebat parricidium adversari Legibus, nesciebat tamen, cùm Lajum occideret, se patrem occidere; aliquandò Tragœdia pœnam tantùm complectitur erroris, ut in *Thyeste*. *Choragium* est apparatus theatralis, seu scenicus; *Choragus* apparator & instructor; & ipse

ipse etiam Poëta seu Scriptor. *Lucar* est pretium, quod penditur pro admissione ad spectandum. *Editor* facit sumptus ludorum; è quibus *Scenici* complectuntur *Tragœdiam*, *Comœdiam*, *Satyram* (in qua Satyri inducuntur ludendî jocandíque causâ) & *Mimum* (ridicula & lascivam vilium personarum imitationem.

Tragœdia, & Comœdia.

Priores duæ dividuntur in *Prótasin* (quæ rei gerendæ seriem ambiguâ luce aperit. 2 *Epitasin*, quæ est rei involutio & turbatio; continétque sub se *Catástasin*, (quam quidam peculiarem faciunt partem) in qua res turbulentiores magísque implicitæ cohærent & consistunt. 3 *Catástrophen*, rerum scilicet vel in bonam vel malam fortunam conversionem & evolutionem. *Prologus* argumentum (synopsin, summam, periochas) fabulæ explicat; antiquis enim omnis actio scenica, *fabula* appellabatur. *Epilogus* agit grates spectantibus more veteri, qui pro lege non debet esse. Quæ omnia absolvuntur *Actibus* plerúmque *quinis*, qui distribuuntur in *Scenas*, admixtis etiam *Choris*, in quibus *Choriphæus* (itidem *Choragus*) præcedit *Choricos*. Est autem Actus novus, cùm theatrum omnibus personis vacuatur; Scena, cùm personæ & res in Actibus mutantur. Tibicines & Choraulæ in iis concinentes primò movebantur in lævam, vocabántque *Stropham* & *Odam*, deinde à sinistra in dextram, & dicebatur *Antistrophe* seu Ἀντῳδή; denique stantes nominabant *Epódon*. *Tibiæ dextræ*, quæ dextrâ oris parte & manu tenebantur; *sinistræ*, quæ sinistrâ. *Comici affectus* dicuntur ἤθη, mores. *Tragici* πάθη, unde actio pathetica & affectibus plena. *Episodia* sunt parerga conjuncta fabulæ, non tamen necessariò. *Exodia* seu *Interludia* & *Diverbia* ab Exodiariis,

riis, ridiculi causâ, interseruntur, vulgò *Intermedium*. *Præludium* (Proludium, Prolusio) fit à præludentibus, & exercitionem Dramatis seu Dramatii Præmittentibus, (est autem *Drama* repræsentatio fabularum, in quibus persona Poëtæ non admiscetur, unde Poësis Dramatica) ut mereatur repeti & instaurari. Dicitur *dari* fabula, cùm agitur: *stare*, cùm placet.

Ludii, *Ludiones* vel *Ludiæ*, induti sunt veste ludiariâ. Unde *Vestitus Tragicus*, purpura, trabeæ, chlamydes, syrmata, diademata, sceptra, cothurnus altior; *Comicus*, tunicæ, penulæ, togæ, socci rudes vilésque; vultus olim perunctus miniô, aut foliis herbarum, aut tectus larvis. A *vestibus* Comœdia vel est *Palliata*, more Græcô habitúque; vel *Togata* & *Prætextata*, à toga & ritibus Romanis; vel est *Tabernaria*, à personarum vilitate; vel *Attellana* ab Attella, Tuscorum oppido, jocis & dicteriis illiberalibus plena. *Ludii.*

Quandoquidem scio, antiquitatis te noscendæ tam avidum esse, juverit hîc mentionem facere de Amphitheatris Romanorum. *Desiderius.* Arrectis auribus adsto. *Mercurialis.* *Theatra* segmentum circuli in ambitu referebant; *Amphitheatra* erant oblonga & orbicularia; quibus & nomen *Caveæ*, ab interiore parte, quæ concava; caveis adjecti *specus subterranei* ad custodiam & receptum ferarum, quæ per *ostia* & aditus emittebantur in arenam, seu solum infimum desabulatum, (sabulô stratum) ad cursum bestiarum & pugnam. *Circus ille arenarius*, aliàs ad silvæ consitus speciem, vivam imaginem venationis exhibebat; aliàs, per occultos quosdam ductus & meatus, subitò aquâ replebatur, & pro terrestribus feris monstra maris ostendebat, & classem, & navalem pugnam seu *naumachiam*. Post *Amphitheatrum.*

arenam murus occurrit, qui *Podium* sustinet, quisque claudit & ambit infimum solum; est autem *Podium* pars muri projectior & prominentior; ex hoc spectare soliti primi è Senatu; nam cum *Orchestra* plurium Graduum esset, dignissimus habitus est imus, & Podio ac arenæ proximus. In Podio *suggestus* pro Principe & *Tribunal* Editoris fuit; Podium cingebant in orbem retia valida & nodosa, vel etiam clathri, contra impetum ferarum. Amphitheatrale spatium ab imo sursum versùs *Gradus*, *Graduum* intervalla seu *præcinctiones* habebat; ad quas gradatas sedes patebant ostia & aditus, *Macrobio Vomitoria*. Viæ, per quas itio in circuitu præcinctionum, seu baltheorum, *itinera præcinctionum* appellantur à *Vitruvio*; aliæ viarum dictæ, *Scalaria*, per quas inter cuneos ascendebatur & descendebatur; sunt autem *cunei*, Ordines sedilium cuneatâ figurâ sese intercidentium, sublimè surgentium; in quibus qui locum non habebant, *excuneati* dicebantur. *Porticus superiores*, seu fornix theatri, vocabantur *Cavea summa*, de qua tenuiores seu pullati spectabant; nam infima erat pro honoratioribus, quia ad spectandum aptior & audiendum. In *Orchestra*, ut dixi, Senatus spectabat; in proximis quatuordecim *Gradibus* Equites; in reliquis, hoc est, in *cavea*, media & suprema, plebs seu populus. *Locarii* & *Designatores* loca designabant, quorum munus erat pellere occupatores à Gradibus alienis, quod ipsi theatrali verbô dicebant, *Excitare* & *Suscitare*. *Tubi* sive *fistulæ* in imo & summo Amphitheatro erant dispositæ ad ejaculandos odoratos humores seu imbres, quos *Sparsiones* vocabant. Solebāt & Amphitheatro superduci *vela* colorata arcendo æstui ac soli, quibus ducendis & reducendis præpositi *velarii*. Utebantur & pileis seu petasis ac umbellis ad um-

umbram faciendam; *Spoliarium* fuit, juxta Amphitheatrum, receptaculum interfectorum, aut graviter læsorum; in illud occisi gladiatores uncô per arenam trahebantur. Denique *Pegmata* appellabant antiqui Machinas quasdam è ligno (quarum usus in Theatris & arena) contabulatas, *Apulejus confixiles* vocat; videlicet contabulationes, quæ sponte & occultè statim crescebant, statímque subsidebant, compactæ raris quibusdam & interlucentibus tabulis, & súblicis ad laxandum & comprimendum; iis impositi ruebant in caveas ferarum, ibíque discerpebantur. Commissæ sunt autem vel ipsæ bestiæ inter se, vel cum hominibus, qui dicti *bestiarii*.

Hodie Scenæ rotantur versatiles & trusatiles. *Pulpitum* locus editior in Orchestra, in quo *Chorus*, ceteríque fabulæ subservientes, personam tamen non habentes, (siquidem *Calepino* credimus: si verò *Rosino*; Pulpitum erat in *Proscenio*, ante Scenam porrecto, agentium & loquentium locus.) *Postscenium* post Scenam est reductum; *Scena*, frons theatri ab uno cornu ad alterum excurrens. Spectacula Publica seu Ludi Theatrales apud Romanos erant *Megalenses* (Megalesia) Cybelæ sacri; *Apollinares*, Apollini; *Cereales*, *Florales*, *Sæculares*, *Gladiatorii*, *Funebres*, *&c.* Atque hæc per diverticulum de Ludis Romanis, potissimum scenicis; de aliis quoque sparsim injicietur mentio.

Hoc tempore, inter spectacula numerantur ignes *ludicri*, *missiles*, *festi*; cùm *vel* pyroboli, seu tubuli chartacei, nitratô pulvere farti, relictô supernè angustô foramine, & annexâ librati virgâ feruntur sursum, flammeum post se trahentes syrma; paulatímque in arcum flexi rumpuntur cum crepitu. *Vel* ex machina lignea dispositi hinc inde fomi- *Ignes festivi seu ludicri.*

fomites ignei, repentè fuscitati cooriuntur, & omnem in partem effundunt ardentem tempestatem, varias non rarò figuras in aëre pingentes. *Vel* globi flammivomi, fubfultim cum undis colluctantes, acriùs in humido elemento exardefcunt, cúmque irato ftridore vim Vulcaniam exonerantes, diffiliunt. Aliquando, armati flammeis gladiis congredientes, innoxiè fe & fpectatores ludunt & terrent. De quibus etiam cap. 48.

Ludi per commotionem reficientes.

Non fpectandô tantùm, fed *commovendô* fe, quærunt redintegrare vires, qui fe exercent *curfu*, *faltu*, *jactatu*, *luctatu*, *pugilatu*. (quæ exercitia Græci vocant *Pentathlum* feu *Pancratium*, Latini *Quinquertium*, quibus qui fe exercebant, appellabantur Péntathli & Pancratiaftæ.) Quorum certaminum 1 celebratiffima fuerunt *Olympia*, juxta Olympiam, Elidis civitatem, quintô quóque anno in honorem Jovis Olympii iterata; victori corona data ex *oleaftro*! primus *Olympioníces* Hercules. 2 *Pythia* Apollini facra, in memoriam Pythonis ferpentis ab eodem interfecti; vincenti corona *Æfculea*. 3 *Ifthmia*, ab Ifthmo urbe in honorem Palæmonis feu Portuni; victori corona ex *pinu*. 4 *Nemeæa*, à filva Némea; victor *apiô* coronatus. Huc pertinent Græca illa vocabula, Palæftra & Palæftritæ, dicti ab agitatione corporis; nam, præter quinque illa corpus exercendi genera, etiam *manibus* fe ad funes appendebant, ac librabant, item *pedibus* ftabant & manibus in pugnum vinctis, eáfque alteri aperiendas porrigebant; *pondera* manibus attollebant, & ita perfiftebant onerati. *Sciamachiam* quoque & umbratilem armorum pugnam conferebant. Erat

Olympici aliique ludi.

Palæftritæ.

infuper *Palæftricorum* officium, geftus, motus, ftatus, flexus formare, ut recta effent brachia: ne indoctæ rufticæve manus; ne ftatus indecorus; ne qua

qua in proferendis pedibus inscitia: ne caput oculíve ab alia corporis parte dissiderent; quæ qui non didicerunt, *Apalæstri* dicti. *Gymnici* se in Gymnasio nudi & *uncti* exercebant; iidem ferè *Athletæ* à pugilatu & lucta dicti. *Ars* ipsa Athletica, Gymnastica; *Palæstra* verò & locum & exercitationem significat. *Gymnastes*, magister Palæstræ.

Cursu in stadio contendunt, incipientes cursuram à linea designata; decurrunt inter cancellos, seu septa ad præstitutam metam; ubi concursorum seu syndromorum quilibet prævertere ac præterire laborat ceteros, ac post se relinquere. Primus tamen, & qui ante alios emicat, celeriùs transmittendô campum, obtinet primas, & reportat *brabíum* seu *bravíum* ab assidente *Brabeuta*. Certatur & supervehendô labendóque per glaciem, vel designandô lineam, ultra quam nec procurrendum, nec intra quam est consistendum; vel inter signa per intervallum supra congelatam aquam disposita sine attactu translabendô: vel longiùs præ ceteris lapsum producendô ac prælabendô, &c. *Cursores, seu stadiódromi.*

Saltatores, ad modulos Choraulæ, agunt choreas variâ circumgiratione, & tripudiatione seu tripudiô, sublatis & alternantibus plantis. *Vel* enim *Choreutæ* ad numeros *choreumatis* pedes in orbem saltatorium circumagunt more Germanicô, manum manui saltatricis implicandô, séque sessum recipientes, desaltatô canticô; *vel* elegantiùs, liberi corporis argutiâ, suppares modulaminis gressus movendô; *vel* pernici pedum micatione ac crispatione subsultim reciprocandô saltum: *vel circulares* (puellares) choros palmis inter se nexis ineundô: *vel géranum*, varios flexus, cum thyrsis fornicatis seu circulis frondosis, exprimendô; *vel Pyrrhichen* (armatam saltationem) more saliari (saliorum

salisubsulorum) exhibendô, qui dicuntur *Pyrrhicharii*. *Rustici* dant motus incompositos, duróque saltatu terram pulsant. In saltuari giro alii *choréam ducunt*, alii *secundas*, *tertias*, &c. tenent, alii *epichoréam* subjungunt.

Jaculatores. *Jaculatores* in area aut campo jaculatorio *vel jaciunt* ante se, vel *evibrant* in auras d scos (orbes ferreos, in medio pertusos, quibus conum petunt coronandum, unde Græcis discoboli) aliáque missilia, (ut sunt globi fistulis æneis emissi, vel sagittæ ab arcubus extortæ) collineantésque ad præfixum scopum contendunt eum tangere, aliis decurrentibus, aliis eum radentibus, aliis medium destinatô ictu ferientibus, attendendô diligenter ad *dioptram*, metámque accuratè determinandô. Vid. Ind. Jaculator.

Luctatores. *Luctator* in lucta (luctamine, agone) nititur tum *vi*, tum *agilitate* corporis prosternere colluctatorem seu antagonistam; sed ille reluctandô renititur affligere ipsummet humi; ubi *supplantare* artis est, *recidere* risûs. Palæstricè concertantes complectuntur se mutuò, complicant brachia, divaricant crura, obtorquent lacertos, obnituntur pectoribus, icunt genu, conturbant gradum, dejiciunt de statu, evertúntque pedibus pedes, non sine quassatione artuum, crebróque anhelitu. Præmium *agonistis* proponit *agonótheta*. Olim perungebantur *ceromate*, (oleô) ut lubricitate corporis nudi apprehendi ac teneri non possent; dictíque sunt *arenarii*, quòd in arena decertarent, unde *descendere in arenam*; *consilium in arena*, &c.

Pugiles. Pugiles congrediuntur pugilatu & duellô, pugnántque sive *cæstibus*, (quos olim de corio bubulo, ferè sicut nunc chirothecas, manibus & brachiis inducebant; Darétem & Entellum habes apud Maronem

ronem lib. 5. *)* five *nudos* miscent pugnos, non fine crepitatione maxillarum. *Gladiatores* (monómachi) decertant gladiis sub directione *lanistæ*, qui *familiam* ducit dimicationis gladiatoriæ: ubi alter ictus infert, alter excipit, inhibet, propulsat: vincit autem, qui infligit, infligendósque prævidet, excludit, frustratur, exit, declinat, eludit, depellit. Ibi *compositio* & *positura* (*Gellio*) in statu pugnandi, brachiorum porrectio, capitis & medii corporis abductio seu reductio, in digitos pedum arrectio, assultuum irriti conatus, petitiones mutuæ, obliquæ, rectæ; & repetitiones; præcipua in tutando latere cura, dum colligunt se in arma, dextréque cavent ac vitant. Inde Metaphoræ gladiatoriæ: *stare in gradu, pellere de gradu, dejici, deturbari de statu animi.* Inde *petere*, id est, *intentare ictum*; & *repetere*, *geminare eundem. Per latus alterius peti*, &c. Nec satis est *componi* & *committi* semel: plures commissiones seu congressiones faciunt; donec peritior verset adversarium in arena, nec patiatur uspiam consistere; malè tum inexercitatis! feriuntur námque plagis inobservabilibus; quare opus est armorum commentatione & meditatione. Hodie batuunt *rudibus*; (ligneis gladiis) aut *hastulis puris*; (fine ferro) aut longioribus hastilibus, scitè ea vibrandô, crispandô, torquendô; mucronibus etiam, seu *gladiis Dussanis*, apice nodatis, in ora eos dirigendô; & *macharis latioribus*, hebeti acie, minùs quidem periculosè, non minùs tamen athleticè & pugilicè. Nec deest *Pompa*, & *Traductio*, euntium ad *ludum gladiatorium*, præcedentibus armiferis; fit *in vitatio* editis libellis, affixísque picturis; interponuntur *sponsiones*, uter commissorum vincat, seu sit factionis *pennatæ* (pennariæ;) seu *Martianæ* (Martiæ.) Ibi tum *Ventilatores* (Præsultores, Pilarii) præludunt

ludunt congressui, arma in altum jaciendô, recipiendóque aut ventilando gladios, & præluforiis ictibus aërem verberandô; mox provocatio & pugna. *Munerarius* proponit munera, & impertit victoribus.

Gladiatorũ veterum genera. Olim varia erant *Gladiatorum genera*, decretoriâ gladiaturâ vitam petentium, scilicet *Secutores*, qui *Retiarios* (reti & tridente armatos) infestô ferrô sequebantur. Et *Threces* (quibus harpe & parma; eorũ fautores *Parmularii*, Secutorum *Secutoriani*,) *Myrmillones* in galeis habebant piscis effigiem, hinc antiquum illud: *Non te peto, piscem peto. Hoplómachi* undique armis tecti; *Samnites* cum scuto & pinna in casside, quibus oppositi *Pinnírapi*; *Essedarii* ex essedo pugnabant: *Andábatæ* ex equis, prævelatis oculis; (hodiè, ad ludos doliares, adhibentur pedites:) *Dimachæri* duobus gladiis; *supposititii*, aut *Subdititii*, fessis aut victis sufficiebantur. Qui victum se profitebatur, tollebat digitum, & submittebat arma, victore acclamante: *hoc habet*. Si populus inexorabilis *missionem* negaret, hoc est, pollicem verteret seu tolleret, clamitabat victor: *recipe ferrum*, victùsque præbebat jugulum; si verò spectator premeret pollicem, seu intra palmam conderet, volebat parci, eúmque dimitti; quæ liberatio est dicta *missio*. *Rudiarii* sunt emeriti gladiatores, *rude* (virgâ) donati. *Postulatitii*, qui, Cæsarum proprii, petebantur à populo ad dimicandum. *Lanista*, *gladiatorum institutor*.

Equestre ludicrum. Ad hæc exercitationum genera accedit *Equitatio*, *Vectatio*, *lusus pilæ*, aliíque, *Equestre ludicrum est*, cùm *equiso* frenans equum injectô lupatô, mulcensque poppyÍmis, docet ex arte gradi, salire, converti, sessoremque molliter gestare; aut cùm *desultor* in equum insilit, aut transultat de equo in equum, mirâ ce-

râ celeritudine. *Decursiones Trojæ* seu Trojanæ instituuntur in *catádromo*, (*decursorio*) cùm *vel* belli simulacra cientur, umbratili hostilitate concurrendô, qualis apud Virg. lib. 5. Æneid. *vel* gladiô glandéve plumbeâ, equis celeriter circumactis, statuam petendò; *vel* hastâ discum trajiciendô, confixúmq; auferendô: *vel* equos ad modulatum in saltatorios vel saltuares giros flectendô; *vel* etiam vibratis lanceis congrediendô; aliísve modis *Equitia* (Equiria, Hastiludia, barbarè *Torneamenta*) celebrandô. Veteres etiam gestari soliti *vel* animi, *vel* exercitationis, *vel* valetudinis causâ, vehiculô, sellâ, lecticâ, cunîs, seu lectô pensili, unde *gestationes*.

Atque ut in *catádromo* ludi Trojani exercebantur; ita in *hippódromo* de equorum pernicitate certabatur. Utérque locus in *Circo Romano*. De quo paucula ut memorem, hic locus monet. Erat igitur *Circus* locus muris septus, figurâ ovatâ, in cujus extremis geminæ ex adverso, pari intervallô, surgebant pyramides, quæ dicebantur *metæ*; circumcirca ædificia & in iis sedilia ad spectandum; ibidem carceres seu stabula, unde equi, datô signo, emittebantur in *curiculum*, quod faciebat Prætor mittendô seu projiciendô mappam. Equi, sive *puri* (non juncti currui) *sive bijugi*, quadrijugi, sejugi, decemjugi (juxtim inter se jugati) vicies quinquies emissi; *septies unô procursu*, circa metas ad victoriæ palmam obtinendam incitatissimè flectere debebant. *Aurigantes* seu *Agitatores* discernebantur ex colore vestis: erant enim *Russati*, (Crocei, Rosei, Ignei) *Albati*; *Prasini* seu Virides, *Veneti* seu Cœrulei; inde *factiones*, favorésque diversi & sponsiones inter Spectatores. Octo *Spectaculorum* genera exhibebantur in *Circo*, quæ Circensia, vel *Ludi Circenses*,

Circus Romanus,

censet, appellata. 1 Certamen curule & equestre. 2 Gymnicum & Athleticum. 3 Pompa seu apparatus certamini præmissus, in quo Deorum imagines, & nobiles matronæ carpentis vectæ.) 4 Ludus Trojanus. 5 Venationes. 6 Pugnæ equestres. 7 Pedestres. 8 Naumachia seu pugna navalis. De quibus multi multa; nos ad *pilam*.

Ludus pilæ. *Ludus pilæ* fit *expulsim* & *datatim*, (in sphæristerio, vel alibi) *raptimque*; quando scilicet volans ultro citróque reticulô, aut palmâ repercutitur, alterô eam mittente, alterô excipiente, ac contramittente, seu remittente. *Pila paganica* est pilis farta, & percutienda clavâ: unde *clavaria* dicta. Juxta quosdam paganica est mollior, plumis farta; distincta à clavaria, & manuaria. *Palmaria* seu manuaria (*harpastum*) repellenda palmâ per *Datores* & *Exceptores* vel mutuò præripienda. V. Pila.

Ventosa, (follis aëre distentus) si *major* est, brachiis ligneô tegmine præmunitis expellitur & impellitur: si *minor*, pugnô ejicitur, & reverberatur, ideóque *pugillaris* & *pugillatorius impostoria* dicitur, quando uni ostenditur, alteri adjicitur. Tentant *sphærómachi* (sphæristæ, pilarii, periti sphæromachiæ, seu lusûs pilaris) mutuis extrusionibus & impulsionibus pilam sibi *præripere*; *aut* cavere, ne terram contingat; *aut*, variis modis incurrendô, recurrendô, in girum premendô; in adversum jacere, séque invicem ferire. *Trigonalis* olim dicta est, ut hoc obiter moneam à loco ludentium, & stando triangulum efficientium. Alicubi *pilæ* quoque *ligneæ*, ferulis in fronte latiusculis, expelluntur in altum & longum. Alibi *plumatæ*, seu plumulâ cristatæ pilulæ, iisdem ferulis expulsim mittuntur & redduntur. Luditur etiam *orbiculis* ebur-

eburneis & ligneis, eos trajiciendô ferulis teretibus seu tudiculis per annulum & portulam: aut dispositos in *saceulos* impellendô; vel *sphæris* è ligno majoribus seu globis, trudium impulsu, per orbem ferreum urgendô, impactísque ictibus protrudendô. *Globulis item æneis*, eos per oblongam tabulam manu versandô, & in nidos ac forulos ostiolis & numeris discretos immittendô, &c. Cùm luditur *conis*, in quadrum vel orbem collocatis, qui medium dejicit, in uno stravit omnes; artis est, globô dextrè jactatô & rotato, ligneorum edere *statorum* stragem.

Addamus lusionibus motoriis *pueriles* istas. *Diffugium*, quo se fugiunt, captitant, & capiunt. *Myindam* seu *apodidrascindam*, (*ostracinda* & *dielcystinda* nonnihil ab his differunt) seu *vaccæ latebras*, quâ se abscondunt & quæritant, (Guckenbergen) *Chytrindam*, quâ qui medianus seu medius sedet, oculis velatis, vellicatur, pungitur, feritur à circumcursantibus, donec aliquis prehensus, vices ejus subeat; aut *capite obvolutô* incurvus tenetur tamdiu, donec ferientis nomen prodat, veteribus *ænea musca* dictus hic ludus. *Basilindam*, cùm sortitò ductus Rex facienda præcipit. *Schœnophilindam*, quâ in circulo sedentes obit unus, &, quod clàm depositum est, inquirit. *Cindalismum*, quô paxillos tripedaneos humi statuunt, & stantes prosternunt jactis bacillis (Geiswerffen.) *Ascoliasmum* (*empúsæ* ludum) quo, alterô pede in aëre librato, unicô subsiliunt pede. *Oscillum* aut *Oscillationem* seu *Petaurum*, quô pueri ex resti pensiles jactantur, liberóque in aëre subvectantur. *Epostracismum*, seu subsultum testularum, quô testulam aut lapillum tenuem & latum distringunt super fluminis æquor, & numerant saltus, quos edit, priusquam delidat.

Lusiones pueriles.

Adde

Adde his *incessum grallatorium*, divaricandò gressum super grallas; qui sic incedunt, *grallatores*, *ejaculationem globulorum* in scrobiculos; *conjectionem* nucum in ollulam; aut sibi superimpositarum *dejectionem*; *versationem* turoinis seu trochi flagellô stimulati, ad gyros currendô describendos: *elisionem* stupeæ glandis aut papyraceæ, aut immaturi pruneoli è sambuceo sclopo.

Concertationum ludi.

Concertamen fit ludendô *par impar*: & *micandô* digitis repentè extentis, eorúmque numerum divinandô: certandô *ænigmatibus* ac griphis, seu quæstiunculis implicitis, intricatis. & captiosis: tum in *sortilegiis*, (lusibus sortilegis, magis ex fortuna quàm arte pendentibus) ut in *alea*, (*astragalismo* seu ludo tesserario) ubi tali aut tesseræ immittuntur per *fritillum* (pyrgum seu turriculam intus capreolatim (trochleatim, gradatim) effictam, ut impingant, ne locus sit fraudi; aut *manu* miscentur & jaciuntur. *Plistobilindam* vocant, qua quis plurima puncta numerat jactu; felicissimus est, si trium astragalorum, sen cuborum, singula latera *senionem* (sex puncta, *Coum*, *senarium*) ostendunt; infelicissimus canis, (canicula seu chius aut vulturius, Græcis ὄνος) *monadem* sive unitatem exhibens, unum videlicet oculum, Græci etiam *cyclópem* vocant. Olim prosperrimus jactus reputabatur *Venus*, seu jactus *basilicus Plauto*, cùm quatuor taxillorum nullus eodem cum aliis staret vultu. Raderus noster in Epigram. 1. Martial. lib. 12. observat *tribus* antiquitus lusum *tesseris*; *quatuor talis*. *Talus* sex habebat latera, seu angulos potiùs; qui cùm in nullum incumbebat angulum, sed rectus stabat, casus faustissimus dicebatur. In *tesseris* cùm prô ratione cubi, idem situs sit, numeri seu puncta notabantur, ut etiam hodie.

At

At ubi certatur forte & arte, ut in *ludo calculorum*, quando vel in alveolo ligneis orbiculis, quos duæ tesseræ diversè cadentes per divisa in abaco spatia vertant & reversant, &, pro imparitate vel paritate numerorum intervallis respondente, damnum *aleatorium* vel inferunt, vel avertunt aleatoribus seu aleonibus. Vel *chartulis pictis* seu *lusoriis* in certamen venitur, in quibus quaternæ tribus aut factiones *Cordis, Nolæ, Glandis, Frondis* vel dominantur, vel succumbunt. Sunt in iis *Reges*, Cordatus, Nolanus, Quernus, Gramineus seu Frondarius. Sunt *Satellites* majores & minores: sunt *Dyades* (Dyas, Daus) binio, trias seu ternio, tetras, adis, seu quaternio, pemptas seu quinio, hectas seu senio, hebdomas seu septenarius, ogdoas seu octonarius, enneas seu nonarius, decas seu decenarius. *Primò* ponuntur & deponuntur numeri; *tum* miscentur folia, *inde* distribuuntur, & mittuntur seu jaciuntur, aliis provocantibus in aleam, aliis recipientibus & sustinentibus, aliis cedentibus: feriunt, vincunt, mactant: iteratâ sponsione certant, perdunt, lucrantur, prout *manipulares paginæ* vel colores conveniunt, aut dissentiunt. Vide Ind. V. Charta.

Ludus calculorum aleatorius.

Ludus chartularum pictarum.

Vel denique solâ arte committuntur lusores, ut in ludo triginta duorum latrunculorum (vulgò *Schachus*;) aut duodecim *Scruporum*, quibus luditur in abaco lusorio, vel in tabula latruncularia, (*Senec.*) quæ distincta in *regiones* duas, & hæ in decussatas *mandras* seu stationes, septa; ubi contenditur, ut quis calculum è sua regione in alteram promoveat, *aut*, si quem ex hostili agmine incomitatum deprehendit, circumveniat, & captivum ex acie trahat: *aut* ad extimam alvei seu tabulæ lineam agat: *aut* suum implexum obsessúmque latrunculum seu latronem educat è periculo, quod est, *redu-*

Lusus latrunculorum.

cere calculum. Victi censentur, cùm Regi nullus patet effugii locus, unde & ludo nomen manet, nam Hebræis *Schach* est, vallavit, & *mat* vel *mor*, mortuus est; alii dicunt Schach vocem esse Persicam, & significare Regem.

Decorum in lusu. Ludendum est autem, ut *delectabile* sit, cum coætaneis, seu coævis & comparibus, magis animi quàm lucelli causâ, ídque cum sponsione in res non magnas, ut fiat citra inquietudinem & solicitudinem, cum bellis collusoribus, qui te non deludant, aut conturbent festivitatem fallaciis, jurgiis, convitiis, devotionibus: *Locus* quoque inter congerrones dandus est diverbiis ac jocis liberalibus, & ingenuis, in quibus nihil indecens, immodestum, petulans, aut dictu factúve obscœnum fit. Refugiendum ab iis lusibus, quibus honestatis periculum inest, aut infamiæ nota inustâ; nec illi satis commendabiles, qui plus fatigationis quàm jucunditatis habent; ludes autem tamdiu, donec animum (qui remittendus, non resolvendus) ad graviora & seria reparatum sentias; qui crebrò lusitat, non indiget lusu. Huc pertinent Venatio, Piscatio, Aucupium, Musica, de quibus suis locis. *Desiderius.* Mirum quantum animum recreâsti meum tot recensendis ludorum generibus; quia verò ventriculum fames vellicat, præ omnibus ego lusibus, mavelim ludere dentibus. *Mercurialis.* Opportunè; paratum est convivium, accumbemus; quod antequam faceret Lælius & Scipio, (quanti viri!) conchas & umbilicos in littore Lucrino legebant. *Cicero lib. 2. de Oratore.* In parœmiis censentur: *Postremum fabulæ actum addere. Metam properamus ad unam. Jacta est alea. Semper feliciter cadunt Jovis taxilli. Gladiatorio animo. Catastrophe fabulæ. Tragica simia. Comicum palliolum. Herculis cothurnos aptare infanti. Acar-*

A carceribus ad metam, &c. Inter *ludiones* ſunt ardeliones, circulatores, aretalogi, ſycophantæ, balatrones, circumſcriptores, &c.

Caput LXXXVII.

Ritus Convivales.

Congreſſus oppidanorum convivales non ſunt prætereundi, *ſive* inſtituantur vicinalis aut cognatæ amicitiæ cauſâ, ut ſunt *chariſtia* (ágapæ, epularis amicorum accubatio;) *ſive* inter compotores & ſymposiaſtas & ſympotas ad compotationem ſeu ſympoſium; & concœnationem (collatitiam) conferendô colllectam & ſymbolas, nemine aſymbolô, caupone non rarò duplicante rationes: *ſive* inſtruatur epulum, occaſione diei luſtrici; aut Natalium, Dedicationis Templi, Martinalium, Bacchanalium. In aulis Principum, Ludus, ſeu Regnum epulare, Saturnalitium Wirthſchafft. Feriis Theophaniæ, Königsmahl; *aut* dignitatis indeptæ, venæ ſectæ; *aut* præbeatur cœna migranti *profectitia* ſeu viatica; advenienti *adventitia* ſeu aditialis; & inter Mechanicos *luminaria* aſſa; *aut* quidquam eſculentæ & poculentæ *acceſſioni* detur; *ſive* publicô ſumptu excipiantur bene meriti de Republica: *ſive* nuptiales, parentales, & ſimiles epulæ ineantur; *ſive* aliquis apud alium pranſurum ſe aut cenaturum denuntiet & condicat; rogatus autem promittat. *Cauſſæ congreſſuum convivalium.*

Quando convivandum eſt, *archimagirus* tradit coquis apparanda cibaria, coëmpta per *obſonatorem*, aut ſubminiſtrata à promocondo, ſeu procuratore peni. *Triclinium* curæ eſt *architriclino*; ſeu tricliniarcho, ut menſæ (orbiculatæ, oblongæ, ſemicirculares ſeu ſigmata) tapetibus inſternantur per *tricli-* *Inſtructio menſæ.*

niarios, (diætarios, ftratores, *lectifterniatores Plaut.*) & fuperfternantur mappis decenter extenfis; tum *difci* (five fint orbes, five quadræ, quæ aliquando *paniceæ* cibis in patina fuppofitæ) cochlearia, cultri, fufcinulæ, falinum (falillum, in quo flos falis contufi) apponuntur, *colyræq́*, panis primarii aut fecundarii, deprompti è caniftro feu corbe panario: aut *fciffæ buccæ* feu bucceæ (panis *buccellatus*,) quem fupra cap. 35. ex *Spartiano* pro pane quoque nautico feu bis cocto accepimus; hîc à fectione fignificatum habet) mapulis mundis tectæ; fpargitur fuffitus, & quidquid aliud menfario apparatui fervire poteft. Nam è vafario feu repofitorio depromuntur vafa efcaria (efcalia) & potoria; ac reponuntur in abaco vel abaculo; (*argyrothecam* ab argenteis, *hyalothecam* à criftallinis & vitreis ampullis nominant) adeft vas *refrigeratorium*, in quo *œnóphorum* & canthari deponuntur: adeft *cuprea trulla*, in qua pocula eluuntur.

Discubitus. Invitatos convivas venire temporiùs, quàm feriùs, civilius eft; quos *convivator* (*epulo*, epuli dominus, cœnæ pater) excipit amicô occurfu, & introducit. Cùmque inter prima falutantium officia abluerunt manus, fuper malluvium è gutturnio: aut fuper pelvim feu pollúbrum, ex *aquali* (urceo, urceolo) terferúntque mantili recens loto (inquinatum aut maculis fordidum præbere, incivile foret) afsídunt, ambitiosè modefti, propter priores accubitus, per difpofita fedilia; præmittitur *menfæ confecratio*; poftponitur *gratiarum actio*.

Miffus. Demum *fercula* inferuntur per *infertores* (dapiferos, miniftros menfæ) in patinis, lancibus, catínis, paropfidibus; varia embammata, illinctus, obfonia, conditanea, & falfamenta, ut cappares, olivæ, cucumeres; ac condimenta acetaria, ut oxyporum

aut

aut oxygarum, sinápi, aliáque salsamenta destituuntur in patellis, (scutellis, oxybaphis, acetabulis:) convivium enim, quô magis opiparum est, splendidum, instructum, exquisitum, apparatum, geniale, dapale, adipale, adjiciale, saliare, pontificale, eò habet lautiores cupedias, pulpamenta, scitamenta, mattya seu mactea, missúsque plures, magísque varios; *Plauto* dicuntur *fercula patinaria.*

Structor (scissor, carptor, honorarius ciborum diribitor) deartuat appositas dapes scitè, & in partes dissecat, ac dispertitur inter compransores seu convivas, honoratioribus dans *segmenta procerum*; qualia sunt vescarum animantium armi, lumbi, suffragines, alæ, coxæ, seu femora, pulpa pectoralis, & desectæ inde ligulæ; in *piscibus* plerúmque præstat caput, & quod capiti proximum; in lupis tamen & truttis cauda. In nefrende, dapinantium judiciô, honoraria lautitia sunt auriculæ & pellis. De anate Martialis: *Structor seu carptor.*

—— *pectore tantùm, Et cervice sapit; cætera redde coco.*

Cellarius promit merum è cadis, & affert hirneâ seu cirneâ: Zythum obbâ. *Pincerna* (pocillator) id fusum è cantharo, infusúmque calicibus porrigit convivantibus; *Prægustator* prægustat potiones, aut propinat promulsidem, quam prælibant discumbentes; olim non in cœnaculo aut cenatione, sed in *gustatorio*, gustus seu anticena, aut anticenium apponebatur. Ad cyathos stant *famuli*, & furtim pitissant; alii muscas abigunt muscariô, ne sint infestæ epulantibus, aut illabantur epulis; qui ministrant, cavent, ne quid de liquidis & jurulentis effundant, aut aliquem perfundant aut conspergant. *Cellarius.* *Prægustator.* *Ministri mensæ.*

niarios, (diætarios, ſtratores, *lectiſterniatores Plaut.*) & ſuperſternantur mappis decenter extenſis; tum *diſci* (ſive ſint orbes, ſive quadræ, quæ aliquando *paniceæ* cibis in patina ſuppoſitæ) cochlearia, cultri, fuſcinulæ, ſalinum (ſalillum, in quo flos ſalis contuſi) apponuntur, *colyraq;* panis primarii aut ſecundarii, depromti è caniſtro ſeu corbe panario: aut *ſciſſæ buccæ* ſeu bucceæ (panis *buccellatus*,) quem ſupra cap. 35. ex *Spartiano* pro pane quoque nautico ſeu bis cocto accepimus; hîc à ſectione ſignificatum habet) mapulis mundis tectæ; ſpargitur ſuffitus, & quidquid aliud menſario apparatui ſervire poteſt. Nam è vaſario ſeu repoſitorio depromuntur vaſa eſcaria (eſcalia) & potoria; ac reponuntur in abaco vel abaculo; (*argyrothecam* ab argenteis, *hyalothecam* à criſtallinis & vitreis ampullis nominant) adeſt vas *refrigeratorium*, in quo *œnóphorum* & canthari deponuntur: adeſt *cuprea trulla*, in qua pocula eluuntur.

Diſcubitus. Invitatos convivas venire temporiùs, quàm ſeriùs, civilius eſt; quos *convivator* (*epulo*, epuli dominus, cœnæ pater) excipit amicô occurſu, & introducit. Cùmque inter prima ſalutantium officia abluerunt manus, ſuper malluvium è gutturnio: aut ſuper pelvim ſeu pollúbrum, ex *aquali* (urceo, urceolo) terſerúntque mantili recens loto (inquinatum aut maculis ſordidum præbere, incivile foret) aſſídunt, ambitioſè modeſti, propter priores accubitus, per diſpoſita ſedilia; præmittitur *menſæ conſecratio*; poſtponitur *gratiarum actio*.

Miſſus. Demum *fercula* inferuntur per *infertores* (dapiferos, miniſtros menſæ) in patinis, lancibus, catínis, paropſidibus; varia embammata, illinctus, obſonia, conditanea, & ſalſamenta, ut cappares, olivæ, cucumeres; ac condimenta acetaria, ut oxyporum aut

aut oxygarum, finápi, aliáque falfamenta destituuntur in patellis, (scutellis, oxybaphis, acetabulis:) convivium enim, quô magis opiparum est, splendidum, instructum, exquisitum, apparatum, geniale, dapale, adipale, adjiciale, saliare, pontificale, eò habet lautiores cupedias, pulpamenta, scitamenta, mattya seu mactea, missúsque plures, magísque varios; *Planto* dicuntur *strnices patinariæ.*

Structor (scissor, carptor, honorarius ciborum diribitor) deartuat appositas dapes scitè, & in partes dissecat, ac dispertitur inter compransores seu convivas, honoratioribus dans *sigmenta procerum*; qualia sunt vescarum animantium armi, lumbi, suffragines, alæ, coxæ, seu femora, pulpa pectoralis, & desectæ inde ligulæ; in *piscibus* pleiúmque præstat caput, & quod capiti proximum; in lupis tamen & truttis cauda. In nefrende, dapinantium judiciô, honoraria lautitia sunt auriculæ & pellis. De anate Martialis: *Structor seu carptor.*

—— *pectore tantùm, Et cervice sapit; cætera redde coco.*

Cellarius promit merum è cadis, & affert hirneâ seu cirneâ: Zythum obbâ. *Pincerna* (pocillator) id fusum è cantharo, infusúmque calicibus porrigit convivantibus; *Prægustator* prægustat potiones, aut propinat promulsidem, quam prælibant discumbentes; olim non in cœnaculo aut cenatione, sed in *gustatorio*, gustus seu anticena, aut anticenium apponebatur. Ad cyathos stant *famuli*, & furtim pitissant; alii muscas abigunt muscariô, ne sint infestæ epulantibus, aut illabantur epulis; qui ministrant, cavent, ne quid de liquidis & jurulentis effundant, aut aliquem perfundant aut conspergant. *Cellarius. Prægustator. Ministri mensæ.*

Decorum in mensa. Præcipuum ferculum dicitur *cœnæ caput*, aliquando *ambulans*, vel ambulatorium, oculorum magis pastus quàm palati; cui adjunguntur diversa *irritamenta epularia* ex carne, pisce, farina, melle, butyro; itémque *obsonia liquida*, ut sunt juscula, pulmenta, ecligmata, non lambenda exertâ linguâ, sed sorbenda cochleari. Cetera *edulia* eximuntur furculis, (furcillis, fuscinulis) & conscinduntur cultris, manubriô prehensis. Bene morati attendunt, ne quid rusticè aut cum edacitatis suspicione fiat; quare moderatè bolos ingerunt ori, non injectant; comedunt mansitandô, (dentibus molendô) non gluttiunt tuburcinandô; ne postea ructent, aut singultiant; neque lingunt labia aut lambunt digitos, sed detergunt mappulâ, si perungantur. Agrestium est, fartim se obescare, aut immundâ pediâ lances detergere, ossa canum more abrodere, tumentibus buccis cibos perflare; aut liquore ita coronare scyphum, ut in mensam exuberet; aut rictu patente potum infundere; aut bibere loquíve, hærente in ore buccéâ; aut excavare panem, solámque ejus crustam rescindere; aut mappulam instar strophioli in globum convolvere; aut garrulitate obtundere accubantium aures; & hujusmodi plura contra legem Decóri & Astyólogi peccata, de quibus etiam cap. 74. Sobrii sic bibunt & comedunt, ut naturæ desideriis satisfaciant; bibones verò & comedones ingurgitant se, vivúntque, ut edant, & non edunt, ut vivant.

Mensæ secundæ. Post mensas primas instruuntur *secundæ*, nimirum apportantur *impomenta* fructuum; ut poma, pyra, nuces, cerasa, pruna, fraga, ficus, uvæ cybinæ, *Prompt.* & *passæ*; item caseus, variáque bellaria, tragemata, hypotrimmata è saccharo, seu saccharata, ut pisa, amygdala, fœniculum, adoreæ

cannæ,

cannæ, panis eſcharites, *radii*, (genus placentæ in longum ſectæ) liba, cruſtula dulciaria. *Apophoréta* ſunt munuſcula cibaria à convivis domum ferenda: *Lautia* (& lautiæ) ſunt ſplendidiora munera hoſpitibus miſſa; *Reporia*, lautitia epularis ſequentibus diebus repetita. *Jentant*, qui jentaculum ſumunt manè; *prandent*, qui prandium circa meridiem; *merenda* poſt meridiem capitur, *veſperi* cœna, ſeu veſperna; *cœnípeta*, qui prenſat cœnitare foris; *Domicœnium Martiali* domi ſumitur; cenula & prandiolum ſunt diminut.

Secundis menſis appoſitis fiunt largiores & hilariores *invitationes*, *invitatiunculæ*, & *propinationes*; exinde *perpotationes* & *circumpotationes*, ſeu hauſtus circulares; circumfertur ſcyphus *philoteſius* ſeu ſocialis, (poculum ſalutis & ſalutiferum) in ſalutem hujus & illius, præbibúntque ſibi crateres ad ebibendum unô ductu & ſpiritu, (quod eſt *amyſtin* & amyſtide bibere) poſcitúrque majoribus poculis, quibus *jus fraternum* ſeu fraternitatis ſancitur, donec, crapulâ graves, ſe mutuò deponant vinô, neque pedibus, neque linguâ aut ratione ſatis conſiſtentes. *Propinationes poſt menſam immoderatæ.*

At qui ſe potandô *moderatiùs* invitant, non bibunt ad temulentiam; neque ſiccant pocula alienæ ſaluti, ſed *libant*; potionémque non raro frigidâ intercludunt; ſibíque præſentes *ſanitatem à S. Joanne* modicâ potiunculâ ſorbent magis, quàm hauriunt. Quandóque tamen accidit, ut pluſculum adbibant, & largiore potatione fiant ſemigraves, potulenti, ebrioſi, non ebrioli; *famuli* furtim ſubbibunt; *feminæ compotrices* (meróbibæ) identidem pitiſſant & catillant. *Moderatæ.*

Sub extremum tolluntur patinæ cum buccellis, cruſtis, ſemeſíſque micis, & aliis analectis ac ci- *Digreſſio convivarum.*

borum reliquiis. Cœterùm epulationem condiunt *festiva colloquia, & voces, ac fons Musici.* Peractô convivali & tempestivô (quod non in multam noctem protrahitur) epulô, paratur *domuitio*; fit *consurrectio*, (flagitur) gratiæ aguntur ei, qui tractavit liberaliter; laudantur *conditores instructorésq;* dapum: quas grates auctiùs reponit *exhibitor* convivii, comitérque dimittit; sic itur domum. Si noctu; facibus prælucentibus. Quanquam heluones etiam sumptô *antecenió* & cœnâ, comessatíque abundè, superingerunt *pocœnia*, ut se contumulent citiùs.

Heluones. Sed quis ferat *compotores, combibones, tricongios, gurgites, comessatores, barathrones, decoctores, prodigos, asotos, nepotes*, &c qui comessandô, nepotandô, heluandô, græcando, congræcando, pergræcando, abliguriunt, disperdunt, dissipant, confringunt, dilapidant, profundunt, decoquunt, conficiunt rem; digni, qui summam cum Apicio potionem ducant. *Desiderius.* Quænam illa, & ille? *Mercurialis.* Apicius, abdomini natus, cùm bis tricenties ventri dedisset, hoc est, sexcenties centena millia sestertiûm decoxisset, seu duos milliones florenorum; & superessent centies HS, hoc est, ducenta quinquaginta millia Philippeorum, præ desperatione, ne famem & sitim ferret, hausto veneno periit. *Desiderius.* O! portentum luxuriæ & gulæ! *Mercurialis.* Non minùs monstrosa fuit Clodii Æsopi, Tragici histrionis, & Vitellii Imp. patina, quam, ob immensam magnitudinem, *clypeum Minervæ* dictitavit; illa sexcenties HS taxata est; in hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguæ phœnicopterorum, murenarum lactes, abusque mari Carpathio, fretóque Hispaniæ petitæ. Sed missa faciamus hæc monstra, & ad eos pergamus, qui nec cibo vescúntur, nec aurâ. *Desiderius.* Antequam

hinc

hinc abeamus, aliquid de Veterum Conviviis; sive reliquiæ sint, sive analecta. *Mercurialis.* Næ tu lepidus catellus es, qui tam scitè adúlas me pro micis; præbeo.

Antiquus accumbendi modus erat iste. In cenaculo mensa collocabatur rotunda, humilis: inferiorum quidem hominum tripes, & ex simplici ligno: lautiorum citrea aut acerna, aut laminâ argenteâ infecta; quam pes eburneus fabrefactus, puta in modum pardi aut leonis, sustinebat. Circùm mensam *tres*, ut plurimum, lecti erant, ex quo *triclinii* nomen; vel *duo*, quod Plauto *biclinium*; posteriore ætate formam hemicycli seu lunatæ testudinis referebat, dicta est *sigma*, à Græca litera C. *Lecti* insternebantur aulæis, purpurâ, aut aliâ veste stragulâ pro copia seu inopia convivatoris; Priusquam autem accumberent, *lavabantur*, atque *togas* mutabant vestibus, quas à re *Cœnatorias* dixerunt; tum etiam *soleas* pedibus demebant, ne lectos conspurcarent *discubitorios* seu *tricliniares*; at in *cubicularis* seu *cubitoriis* dormiebant. Cœterùm aut terni aut quaterni unum occupabant; si plures, sordidum id & minimè lautum habebatur, ita fiebat, ut vix supra duodecim unà vescerentur. Accubabant reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente: capite leviter erectô; dorsô à pulvillis modicè suffultô; quòd si plures unô lectô decumberent, primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorsum secundi: secundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillô interjectô: pedes jacebant ad tergum tertii; & sic deinceps tertius, sic quartus. Jam qui primus & ad caput lecti decumbebat, *summus* dicebatur: qui ad pedes, *imus*: qui inter istos, *medius*, atque dignissimus; proximus ho-

VeterũRom. accumbendi & convivandi modus.

honore, summus; hinc cùm hilariùs invitare se vellent, à *summo* bibebant ad *imum*: cœnæ initium *ova*, finis *mala*; hinc adagio: *ab ovo ad mala*. Distribuebant cœnam in *partes* tres sive, placeat dicere, *missus*. Primum missum *antecœnam* seu *gustationem* aut gustum, ac promulsidem dixerunt; secundum, in quo lautissimi & præcipui cibi, propriè *cenam*; tertium, in quo bellaria, mensam pomorum, sive *mensas secundas*. Erant convivantes non raró unguentis delibuti, crinésque perunćti, & corollis, (coronati quoque crateres) præsertim ex apio, hedera, rosis, violis, myrto, ligustro, aníso, anétho, croco, melilóto, ad retundendos vapores, à vino & cibis sursum elatos. *Cœna recta* dicebatur, quam ditiores dabant clientibus rectô ordine discumbentibus in convivio. In *sporta* verò (sportula, sportella, seu vimineo calatho) tantum cibi vel pecuniolæ largiebantur, quantum æstimabatur centum quadrantibus, seu viginti crucigeris. *Procus Trojanus* fartus erat, & gravidus, variis animalibus. Quoad *poculorum* genera; *Sextante* bibebant temperati ac valetudinarii: *Deunce* intemperantes & bibaces: *Triens* in quotidiano victu usurpabatur; nec Diis tantùm in mensa libabant, ut Genio Bono, Jovi Hospitali, Baccho, Datori lætitiæ, &c. Poculum illud officiosè in orbem circumferentes, sed in honorem quoque amicorum tot exiccabant cyathos, quot in eorum nomine litteræ continebantur; In *Sticho* Plauti, *Sangarinus* ita loquitur:

Bene vos, bene nos, bene nostrum Stephanum.

Et Martialis:

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.

Ubi notandum, Veteres caldâ & frigidâ appositâ vinum miscuisse. Mos quoque fuit, ut talis astragalísve, sorte missis, *sympofiarcha*, (quem Patrem,

Re-

Regem, Magistrum, Dictatorem, Modimperatorem convivii appellabant) duceretur; nonnunquam etiam solâ corollæ impositione creabatur convivii præses, ad convivales Leges præscribendas. Solebat etiam dominus convivii, (*convivator*) simulac discubuissent, schedam dare, quæ descripta ordine obsonia omnia referret; ut jam tum sciri posset, quid primùm, quid postremùm coquus missurus esset. Cenabant januis apertis, in atrio, ut prætereuntes Censores animadvertere possent, utrùm sumptu Legibus concesso, aut eas excedente victitarent, quanquam non raro contemptis Legibus Sumptuariis (quod Lucullus in Prætoriis & diætis suis hortensibus, inter quas Apollo famosa, faciebat) pretiosiores dapes ad cantum tibiarum inferrent. De his plura Lipsius lib. 3. Antiq. Lect. & Saturnal. ex Macrobio, Plutarcho, aliisque, præsertim Athenæi Dipnosophistis. Nunquid satis hoc micarum, imò buccellarum? *Desiderius.* Ita me exsatiâsti, ut ipsa saturitas pareret famam. *Mercurialis.* Itaque cœnatus es & incœnatus, pransus & impransus. Age; ad Deas ambulemus, quæ cùm à parcendo nomen habeant, nemini tamen parcunt. Nôsti illud:

Fert Clotho fusum. Lachesis net, filáque scindit Atropos.

Desiderius. Illætabilis transitio ab epulis ad funera. *Mercurialis.* Nimirum extrema gaudii, luctus. Veteres Ægyptii ceream in convivio, mortis imaginem, circumferebant, aut cranium, vel sceleton ipsum, ut convivæ, de morte ad moniti, hilariùs facerent genio suo, meminissentque vivendum, hoc est, lætitiæ indulgendum esse, dum fata sinunt, & fila trium sororum patiuntur atra; unde Poëta:

Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Nos ita meminerimus vivere, ut ne timeamus mori, *Desiderius.* Eruditè, & piè. Sed

Sedquæso te. *Mercurialis.* Quid novi rogatûs? *Desiderius.* Irritâsti gulam meam, non saturâsti, ut dixi. Quid si, quoniam in ore, non tamen satis Latino, nobis frequens est cibus, percurreres potiores missus, sive lautiores, sive plebejas in mensas, inferri solitos. *Mercurialis.* Quasi verò non actum satis de re cibaria, in arte coquinaria. Semel cocta quid tibi vis recoqui? *Desiderius.* Cupido me incessit regustandi in triclinio, de quibus tu in culina disseruisti. *Mercurialis.* An Apicium me existimas, quem de negotiis culinariis Dictatorem consulas? *Desiderius.* Nomenclatorem te volo, & linguæ meæ inter ipsas dapes jejunæ refocillatorem. *Mercurialis.* Nempe verbis vis pasci. *Desiderius.* Hæc tu mihi appone, auribus devorabo. *Mercurialis.* Ausculta, salivam tibi vel movebo, vel abstergam.

Epulum exquisitius. Qui exquisitiores epulas instruunt, provident sibi de ferina avium, quam coci *pennatam* seu *alatam* vocant. Cujus generis volucres sunt, tetraones seu urogalli, attagénes, perdíces, phasiani & phasianæ, anates feræ, anseres silvestres seu onocrótali, scolópaces, ficedulæ, gallinagines, palumbes, turdi, turdélæ, alaudæ. E domesticis alitibus palato arrident gallopavi, seu galli & gallinæ Indicæ, capones, gallinæ, anseres, anates cerei, saginati, adipati, & eorum acrocolia seu trunculi, in jure piperato, pulli gallinacei, columbæ & pulli columbini; assi, farti, in operculato catillo vaporati, jurulenti; hœdina quoque admittitur. E ferina quadrupedum sapit cervina, quam vocant rubram; aprugna, quam appellant nigram. Inter præcipua fercula caput aprinum; inferiora dorsi cervini (clunes) jecur, aures; coxæ *Martiali* (femora *Pontano nostro*) cervorum, capreolorum, rupicaprarum, damarum, sale & acetô maceratæ, lardóque trajectæ; lepores,

res, cuniculi, &c. E piscibus delicatioribus inferuntur ostrea, testudines, fibrorum caudæ, salmones, anguillæ, orátæ, thymalli, mustélæ fluviatiles, truttæ seu troctæ, funduli, lucii, cyprini, lámpetræ, muræmulæ, alburni, capitones, percæ, cancri dodrantales, &c. Omnia pro varietate, assa, elixa, frixa, vaporatione percocta, in farturas, intritas, minutalia, concisa, contrita, contusa, & embammate, jure, jusculo aromaticô perfusa ac condíta. His adduntur diversi generis artocréata; & panes clibanites seu testuacei, à testo (vase fictili, vel æreo, in quo coquuntur) dicti, *Plauto* cóllyræ, Italis *torte*; lágana, placentæ, & placentulæ variæ, fartæ, foliosæ seu multifoliæ, crocatæ, butyratæ, pertusæ, fermentô tumefactæ, scriblitæ frictæ, &c. Artocreas, quod miscellaneô eduliorum fartô impletur, Italis appellatur *olla podrida*; cui si piscis includatur, non nisi κατaχρηστικῶς nomen suum retinet; Apicius panificium appellat (nempe in furnulo coctum) pisce fartum. Cybium Veteribus genus cibi erat ex ovis pisce concisô fartis. Panes, seu cóllyræ, aut liba testuacea inferciuntur aliàs sectis pyris, malis cydoniis, amygdalis, uvis passis; aliàs segmentis malorum citreorum, pyrulis, nucibus, cerasis saccharô & melle condítis; aliàs è massa solida, sunt amygdálina, sunt cerasina, seu cérasis distincta, &c. Carnes porrò piscésque saporantur aspersione, incoctione, decoctione aromatum, herbarum, citromalorum minorum, varióque condítu, & in globulos, radios, pulvillos formatione. Adjunguntur saccharatæ & mellitæ pulticulæ, (apud Veteres alica è flore tritici celebrabatur) & fercula oleracea, ut, brassica Pompejana, carduus sativus, orbicularia terræ tubera seu rapa, caules capitati, boleti, aspáragi, spongiolæ; adstituuntur

in

in scutellis multimoda decocta, & illincta & intinctus, ex uvis, pyris, baccis, cerasis, melli saccharóque incoctis, diversique generis salgama. Pro acetario apponuntur dulcorata segmenta citreorum malorum, quorum succô assaturæ quoque asperguntur.

Epulum plebejum. Parabilius convivantibus pro lautitia est jus simplex bubulæ, cum nodulis seu globulis de vitulina concisa; bubula tam recens quàm fumo durata; intestina confecta, linguâ dulci liquamine perfusa, cerebrum tostum; caput vitulinum cum panticibus, seu intestinis pelliculatis: frictæ ungulæ vitulinæ, ungulæ bovinæ & ungellæ suûm in oleato aceto, aut jure concreto; varia assa, assaturæ, assaria, (*Apicio*) armi, costarum, lumborum, renum vitulinorum, ovillorum, vervecinorum; offellæ & lumbuli, seu lumbelli (*Apicio*) porcini, ovilli in craticula tosti; coxæ, seu femora vitulina, ovilla, vervecina laridô, aut salviæ foliis aut alliô, trajecta; lumbi bovilli assi, & vaporatione macerati; nefrens seu porculus pinguiculus in cutem crustatam assatus; brassica frustô lardi adipata & uncta, farciminibus coronata, sumen bovillum & suillum, pernæ, petasones, succidiæ porci infumibulo exiccatæ; multiformes placentæ, & lagana, málina, sambucea, artolágana, cum salviæ foliis fricta, Fungi. Item coliphia, pemmata, butyrata, crocata, vaporata, minutim confecta, friata, in orbes crustata; diversáque è farina, ovis, butyro, pane coagula, & pinguia embammata sive herbilia, sive aromatica, sive sectis cepis, pomis, amygdalis, uvis passis conspersa. Satis hæc credo etiam Philoxeno, gruis sibi collum optanti, ut diutiùs cibi potúsque delectatione frueretur; nobis non lubet cum pinguiore hac Minerva prolixiùs versari, cum à Libitina

ad al-

ad albentes ossium strues invitemur. *Desiderius.* Quoniam sive citius sive seriùs ad illam properandum est metam, non est, quòd morer iturientem; opiparè pastus tecum ambulo. Sed cur non priùs ad Lucinam, quàm Libitinam? *Mercurialis.* Uti vis. Si non ibimus: feremur eò, ubi *Siti* sunt & *Silentes*.

Caput LXXXVIII.

Ritus Natalitii & Nuptiales.

D*Esiderius.* Quoniam inter ceteras festæ hilaritatis caussas, meritò nascendi felicitas ponitur; cùm ob *parientem*, quæ, soluta fœtu, novem fastidia mensium, quibus uterum ferebat, lætô enixu abstergit; tum maximè, ob *partum*, qui materni vinculis & tenebris corpusculi expeditus, primam aspexit lucem: cuperem abs te *Ritus*, quibus ejus jucunditatis argumenta demonstrantur, doceri. *Mercurialis.* Iterum petis, quod, cùm pro hominum, locorum, temporum diversitate, sit valdè varium, siue limitatione explanari non potest. Cùm enim quidam è Prisco Seculo, *Genethliorum Ritus*, ad nostra etiam tempora derivati, ita usurpentur, ut eos *Superstitio* invenisse, non Religio coluisse videatur, fit, ut non perinde ab omnibus probentur. Nos tamen, qui orthodoxa sacra sequimur, libenter fatemur, gaudemúsque, multa Superstitionis Antiquæ Instrumenta in Divini Cultus Insignia esse translata. Quo ex genere in Templis nostris conspicimus *Aquam lustralem*, *arcas* stipi condendæ positas, gladios & scuta de bello: catenas de servitute & captivitate: sigilla cerea (quæ Veteres Gentiles *Oscilla* vocabant) ad genua pedésque statuarum, Divos referentium: capta de hostibus signa: tabellas pictas eorum, qui è naufragiis, peri-

Superstitis Religionis simia.

periculis, morbis evaserunt; ipsa etiam vestimenta, & navium simulacra, suspensa. De *Tabellarum* quidem ritu jam *Tibullus* in mentem venit:

Nunc Dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Et *Horatius* alicubi canit, Gladiatores emeritos arma sua Herculis ad postes fixisse. Et *Martialis* zoili cujusdam servi meminit, qui geminâ compede Saturno dedicaverat catenas. Alii aliorum faciunt mentionem, quos & quæ recitare possim, si liberet scholam instituere; sed nos, amœniora sequendô, has deflectimus spinas; minimè dubitantes, plurima per cœcam gentilitatem superstitiosè depravata, jure fuisse quàm optimô, sanctiorem in usum à sincera Religione vindicata. Sed ad *Natalitia*, quando ita me rogas *Desiderius.* Quàm maximè. *Mercurialis*. Fœtus in vitalem auram editus, si partibus sit omnibus integer & illæsus, duplicat parentibus gaudium, dulcem matrimonii sui fructum aspectantibus. Excitatur in propinquis, amicis, vicinis lætandi & congratulandi studium: audiuntur faustæ apprecationes, & vota *Genethliaca*: prædicatur dies, gemmâ candidóve lapillô signandus; qui parentum spes implevit, prolem desideratam dedit, genitores suos genuinâ facie referentem, moribus etiam aliquando reddituram: decus & ornamentum familiæ futuram. Ducuntur omina & præsagia secunda, ex ipsa membrorum *configuratione*: ex *Horoscopo* & astris *Genialibus*; ex prælucentibus *Majorum* exemplis; Locus ipse solumque natale cohonestat incunabula, paritérque honestatur ab iis.

Gaudia & gratulationes ex recenti partu.

Atque dum genitrix *puerperiô cubat*; pater eâ curat, quæ pertinent ad instituendam *pompam lustralem*, & *epulum natalitium*, quod cum Græcis possimus

mus *Chariſtia* vocare. Infans pro conditione & fortunis familiæ defertur ad *Sacrum fontem*, daduchô puerô, vel puellâ, cereum præferente. *Susceptores* ac *Susceptrices*, jam antè rogati ad id munus præſtandum, *tenent* ſalutari lavacro tingendum; eique *nomen* imponunt, unum vel plura; Cœlitum Tutelarium: inque *bullam* infantiæ, & neceſſitudinis, ſeu *cognationis luſtricæ μνημόσυνον*; donaria ex argento, auro, gemmis conferunt. Noſtratibus fœminis mos eſt, poſt ſumptas *puerperii dapes* ſymbolâ collatitiâ privatum *puerperæ* peculium augere; quæ poſt *ſesquimeſtrem ſecubitum*, hoc eſt, ſenas hebdomades viribus reparandis in lectulo datas, *prodit ex puerperio*, ſéque reddit publico, alicubi templum non priùs reviſit, quàm ſit à ſacerdote *luſtrata precibus*.

Et hæc de *Die Natali*; cujus *anniverſaria* memoria cùm redit: redeunt & gaudia; inſtaurantur vota; invocantur Superi; fauſtum ut diem ſæpe reducant, diúque conſervent ſoſpitem, cujus *Natalia* celebrantur: miſſitantur varia munera: maximè ſerta & corollæ, & cum iis aliquando carmina. Viciſſim is *dat Natalitia*; hoc eſt, inſtruit epulares lautitias: apophoreta mittit amicis: diſtribuit ſportulas clientibus: grates habet Numini Sacrificiis. Nitent feſtiore cultu & domus & domeſtici; perſtrepúntque ſymphoniacis. Natales Principum (quandóque feriati) publicâ hilaritate ac gratulatione celebrantur. Exhibentur ludi equeſtres, ſaltatorii, plauſus theatrales: ſaliunt merô fontes: artificioſa ignium ſpectacula volant: ſparguntur in populum dona miſſilia: ædes & feneſtræ ramis, floribus, lucernis, aulæis, ſertis ornantur.

Anniverſaria Diei Natalis memoria.

Deſiderius. In ſummam contraxiſti hodierni moris *Conſuetudines Natalitias.* Quid de antiquis? *Mercurialis.* Summatim & has tranſibo; auſculta. Ad

Veterum Ritus Natalitii.

prosperam *partionem* impetrandam propitiabantur *Dii Natalitii,* Juno potissimum,& Diana seu Lucina, (utraque dicta *Iiythyia*) Deæ præsides parturientium. Ubi nixu peractô fusus erat fœtus, *deponebatur* humi: qui si arrideret patri seu marito, *tollebat* eum de terra, hoc est, pro sua prole agnoscebat, educandúmque suscipiebat. Sin' minùs, tanquam alienum vel indignum suâ stirpe relinquebat, id est, repudiabat. Germani Veteres & Spartani masculam prolem flumine mersam explorabant, num, patientiâ algoris, longiorem lucis usuram & nutricationem mereretur. Thraces diem *natalem* fletu, *fatalem* risu prosequebantur; quòd ille ærumnarum esset exordium, hic finis. Matronæ Romanæ partûs doloribus defunctæ Junoni sacrificium instruebant: vestimenta Dianæ consecrabant.

Genitale tempus (*Ovid.*) ab eadem gente colebatur sacrificiis, muneribus, ludis, epulationibus. Sacra fiebant *Genio*; *floribus* primùm atque herbis, & odoribus: mox *libis* atque liquoribus; nam iis diebus effudisse cruorem, aut animal mactâsse, mali portenti erat, & fœdi auspicii: Postea verò, instigante malô dæmone, ad brutas non modò hostias, sed humanas etiam (*gladiatores* námque dabantur, cruentum lætitiæ argumentum) descensum est. Posteritatem verò, & protensioris vitæ spatium, à Diis Natalitiis postulare soliti, *Natalem* sibi *avem* adesse precabantur, *Cornicem* scilicet, ob longævitatem ejus alitis; *bona* quoque *verba dicebant*, id est, precationes faustas. Jam *Munera Natalitia,* erant bellaria, vestes, obsonia, vasa, nummi, annuli, gemmæ, &c. tenuiores etiam cereos offerebant, ut indicarent: in hanc vitam esse hominem, quasi ad lucem & bonarum artium scientiam, progenitum. Neque hominum modò dies Natales, sed

ſed urbium quoque, & locorum, rerúmque cum laude geſtarum celebrabantur; quibus diebus, quos *Geniales* vocabant, & Diis *Geniis*, & ſuo quiſque *Genio* hilariter faciebant, indulgebántque; inde cœnæ ſportulæque Natalitiæ.

Deſiderius. Multa paucis dixiſti. Jam de *Nuptialibus* quoque *Cæremoniis* diſſerentem audire te deſidero. *Mercurialis.* Nimirum *Deſiderius* ſemper habet, quod deſideret, neſcio, an *Nuptias* quoque; de quibus, ne deſideria tua fruſtrem, mox aliqua. Id de *Natalitiis* ignorare te nolim, à Chriſtianis coli Dies *Natales Martyrum*, quibus, fuſô pro Deo ſanguine, ad vitam tranſierunt immortalem: cæterorum quoque *Divorum*, quibus denati terris, nati ſunt cœlo. Quorum in memoriam olim erant inſtitutæ cœnæ, quas *Agapas* vocabant; quæ deinde, prolapſâ in deterius conſuetudine, ſunt abolitæ. Templorum quoque *Dedicationes* quid aliud ſunt, quàm Dies Natales, annuâ Religione jam antiquitus culti? Atque de his ſatis. Ad Hymenæum nos convertamus, (Thalaſſionem Romani vocabant) quem aliqui adeò *prophanant*, maritalem ut viri feminæque conjunctionem inter pacta & fœdera merè civilia numerent; ſed nos, alia omnia docti, inter Evangelica Legis (uti diximus ſuprà) *Sacramenta* veneramur; & has ferè cæremonias adhibemus.

Dies Natales ſacri.

Ritus Nuptiales.

POſtquam *Amantes* mutuum explorârunt *Amorem*, *Morem*, *Rem*, id eſt, ſinceritatem affectuum; mores, indolem, conditionem; facultates & opes; nec obſtat ſanguinis ſacrævè cognationis propinquitas, nec parentum voluntas; præmiſſis ternis è ſuggeſtu ſacro *proclamationibus*, ut intercedi poſſit

futuris nuptiis, si quod impedimentum intercurrat, instituuntur *Sponsalia*, mutuâ stipulatione, coram idoneis testibus firmata, de ineundo connubio. *Dies* exin *Nuptialis* ut illuxit, & qui *nupturiebant*, jam *nubunt*, auspicium (quod Christianos decet) à pietate dicitur. Adornatur *pompa*, quâ *Sponsus* & *Sponsa* ad ædem sacram, utriúsque sexûs ad id invitati honorificô vel etiam splendidô *comitatu*, deducuntur, *fidicinibus* præcinentibus epithalamium. Gestant omnes *corollas*, seu vivo de flore, seu ex auro argentóve nexili textas, tanquam symbolum amoris conjugalis, concordiæ, gratulationis, gaudii. Unde *Claudianus* in Nuptiis Honorii:

Initiatio Sponsorum.

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Qui utrinque à latere novæ nuptæ incedunt, *Paranymphi* vocantur. Quæ proximè antecedunt virgines, *Coronariæ* dicuntur: nam earum est, corollas distribuere; matrona, quæ sequitur, *Prónuba* seu *Promnestica* appellatur, quasi conciliatrix Nuptiarum; vulgus *matrem honorariam* vocat. Ad templum ut ventum est, *Parochus* explicat Sponsis conjugalis consortii *officia*; coram quo contrahunt matrimonium, id est, legitimè sua sibi corpora mutuò tradunt in perpetuam vitæ societatem, propagationem sobolis, evitationem fœdæ libidinis ac incontinentiæ. In cujus rei signum, *annulum* inferunt *pronubum* mutuò digitis, fidei constantiæque tesseram; deinde jungunt dextras, in contestationem auxilii & obsequii inter se præstandi. Manus amborum Mysta *stolâ* circumvolutâ colligat, ut intelligant vinculô se devinctos esse, nullâ fortunâ dissolvendô. Sequitur *Res Divina*, *sacrâ benedictione* afficiuntur Sponsi: *vinum* libatur, à Sacerdote *sacratum*, velut amoris reciproci philtrum.

Qui-

Quibus peractis, eô, quô dictum est, ordine reditur ad *Epulum Nuptiale*; sub cujus finem *instructori* *Epulum Nuptiale.* *symbola* solvitur à singulis; & Sponsis *munera Nuptialia* donantur. Liberaliùs hæc agitur solennitas, quando convivæ discumbunt asymboli, tantúmque *honorarii doni* conferunt Sponsis, quantum per *collectam* juxta calculos exactam non dedissent. Ad *Nymphéum* hinc receditur, ubi choreis opera datur, de quibus, uti de aliis hîc memoratis, alibi quoque. Postquam & hîc satietas cepit pedes; demum inter faces suam quisque repedat domum: Hinc Latinis: *Servi prælucentes.* Sponsi à paranymphis & agnatis reducuntur ad ædes, in quibus *thalamus* seu *thorus genialis* est apparatus. Dantur postridie *repotia*; & aliquando in dies plures *Nuptialis hilaritas* continuatur. Nunquid placent hæc *Hilario*? *Desiderius.* In mentem venit, quod memini legere de quodam Philippide, credo Philosopho, dicente: *binos cum uxore jucundissimos esse dies: unum, quô ducitur; alterum, quô mortua effertur. Mercurialis.* Ha ha he! Nimis hoc superciliosè. Repono tibi alium ex eadem barbata gente; Socratem, ajunt, consultum, an uxor ducenda esset? respondisse: *pisces, qui nondum intra nassam sunt, volunt intrare, qui jam intus sunt, volunt exire.* Sic tu vide, ne idem tibi contingat; illum Xantippe sua *piscatorem ictum* erudiit. Quibus placet hoc *jugum*, levius illud reddent, si, quod suadet Salomon Prov. 19. v. 14. in uxore ducenda non cœci amoris impetum: non formæ opúmve splendorem, sed Dei consilium sequantur. *Nam domus, inquit, & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens. Desiderius.* Ita moderatis animum meum, ut neque pavidus restitet; neque temerarius procurrat. Nunc vellem, ut de priscis Nuptiarum Ritibus, præsertim Romanis,

Romani Nuptiarum Ritus.

nis, aliquid adjiceres. *Mercurialis.* Multorum equidem verborum & litium *res* est *uxoria*; aliter atque aliter, etiam à Veteribus, de ea differitur; ego, quæ legi, & elegi, tibi compendiô dabo.

Ornatus Nubentium.

Ornatus Nubentium apud Romanos erat *toga pura*, id est, candida, & nullô purpureô limbô prætexta; item *tunica recta*, hoc est, purpurea & picta. Apud Hebræos Sponsarum vestis erat scutulata seu *clypeata*, eò, quòd clypei acupicti in ea fuerint; & in clypeis singulis singulæ Majorum imagines. Romana Sponsa *flammeô* seu lutei coloris velô obnubebat caput, unde *nuptæ* dicebantur; Flammeum nomen habet ab uxore Flaminis, quòd eô assiduè uteretur, nec liceret à viro divortium facere. *Cingulum* erat ex ovilla lana contextum, (cestus vocabatur) cui *nodus* innexus, dicebatur *Herculanus*, id est, valdè firmus, & irruptæ copulæ; inde Juno *Cinctia*. Collum ornabat *monile*. In capitibus Sponsorum *corollæ*, ex verbena & floribus nexæ: quæ si vario de flore erant vinctæ, *Pancarpiæ* appellabantur. Fiebant illæ ex auro quoque. Dabant mutuò *Annulum Pronubum* seu *Nuptialem*; qui, quòd premat digitum, connubii curas, jacturam libertatis, initium servitutis indicat, juxta *Proverbium*; *arctum annulum ne indue.* Fuit autem ferreus & purus, id est, sine gemma; ferrum significat durationem & robur: vel modestiam & fugam luxûs; locô gemmæ erat ipsa Sponsa. Inferebatur quarto digito manûs finistræ, quia in eo vena quædam reperitur ad cor usque pertingens, ut conjuges in oculis & corde se gerant; hinc effigies quoque amantium condaliis insculptæ. Indicat anulus etiam perpetuitatem; &, posteris temporibus, aurum ac gemmam admisit.

Modus nubendi apud Romanos erat, ut *Ignem & Aquam*, in limine positam, ambo tangere juberentur; quâ etiam nova nupta aspergebatur, ut meminissent, in extrema necessitate sibi cohærendum esse. Alexander M. more patriô panem gladiô divisum cum Sponsa libavit. Veteres Germani nuptæ adferebant frenatum equum, geminos boves, scutum, gladium, belli pacisque subsidia. Apud Latinos Sponsi amicti vittâ purpureâ, candidô colore distinctâ, & veste versicolore *jugum* subibant; unde *conjugium*, & Juno *Jugalis*. Dum nuberent, invocabatur *Deus Jugatinus*: dum nova nupta domum duceretur, *Deus Domiducus*: ut domi esset, *Domicitius*; ut cum viro maneret, *Manterna*. In sacrificiis, hostiæ exemptum fel, ut concordiæ & pacis admonerentur. *Modus nubendi.*

Modus deducendi. Romani non patiebantur nuptas transcendere limen domûs paternæ: sed sublatæ transportabantur à *prónubis*: sive quia videri volebant non volentes, sed vi coactæ inde egredi: sive, ut oblitæ quid relinquerent, dum in limen alienæ familiæ inferuntur, nomen ibi suum deponerent, & Sponsi induerent. Sponsa, introiens domum Sponsi, debuit dicere: *ubi tu Cajus, ego Caja*, id est, ubi tu dominus eris & paterfamilias: ego domina ero & materfamilias; quia *Caja*, Tarquinii Prisci, Regis, uxor optima fuit lanifica: ideò institutum, ut novæ nuptæ ante mariti januam interrogatæ, quomodo vocarentur, Cajam se esse dicerent, id est, studiosam laboris & operum Minervæ; unde, paternas ædes linquentes, *colum* secum ferebant & *fusum*, cum stamine, præcedente *tibicine*, & canente Hymenæum, seu *Deum Nuptiarum*, qui pingebatur coronatus floribus & amaracô; dextrâ facem tenens, sinistrâ flammeum; in pedibus croceos soccos *Modus deducendi Sponsos.*

 habens,

habens, carmen erat: *Hymen, ô Hymenææ Hymen, Ades ô Hymenææ Hymen.* Ducebant Sponsam pueri duo, patrimi & matrimi, hoc est, qui ex eodem patre & matre nati, seu quorum utérque parens adhuc in vivis esset; *tertius* præibat, præferebat facem ex spina alba: ea fax dicebatur, *Prælux* & Tæda jugalis. *Plutarchus* quinque faces prælatas asserit. Et rapiebatur ab amicis, ne fortè illam citò vir ferret in sepulcrum, ut ibi combureretur, quod erat ominosum. Scribunt quoque, Sponsam Romanam, in domum Sponsi deductam, fuisse in gyrum versam; ne scilicet viam sciret ad paternas ædes.

Modus disponendæ domûs novi conjugii.

Modus disponendæ domûs, quam nova nupta ingrediebatur. Janua cingebatur lanâ & laurô; aliísque frondibus & floribus exornabatur. Sponsa verò ingrediens, postes attingebat vittis laneis, eósque jubebat inungi oleô, ne quid perniciosæ pestis irreperet; unde *uxores* dictæ, quasi *unxores*.

Sequebatur *Cœna Nuptialis*, Sponsísque apponebatur inter cætera succus papaveris, lacte & melle dilutus. Post epulas, ubi satis cantum & saltatum, cùm Sponsi ad Genialem thorum ducerentur, spargebantur nuces à pueris prætextatis, (id est, prætextam purpureô limbô togam gestantibus) quibus monebantur conjuges, puerilibus ludis renuntiare, & juvenilia ludicra relinquere, nováque œconomiæ studia auspicari. Inter eos nucum projectarum strepitus, versûs mollitie ac lasciviâ diffluentes, impuni licentiâ occinebantur, itidem à pueris; à quibus illi joci *prætextati*, id est, obscœni vocabantur; *Fescennini* verò, sive quòd ab urbe Fescennina essent allati; sive quòd fascinum arcere putabantur.

Postridie Nuptiarum, apud novum maritum *Repotia* esse data suprà meminimus; quâ die, Romani

mani etiam *Munera Nuptialia* tribuebant. Et tunc jam Sponsa *Dominam* agebat; tradebantur ei *claves* à marito, & cum iis jus in familiam ac rerum custodiam. Clavibus autem ademptis, rerum quoque administratio uxori adempta intelligebatur; id quo in *divortio* fieri solebat; verba tum solennia erant, cùm vir diceret uxori: *Tuas res tibi habeto*, & cum dicto eam foràs exigebat. *Desiderius.* Explicatè omnia, quæ ad *Ritus connubiales*, sive novos sive veteres pertinere videntur. *Mercurialis.* Falleris; pauca de plurimis strinximus. Quòd si te Junonia sacra delectant, Auctores tibi nominabo, quos super iis consulas. *Desiderius.* Habeo gratias; *libare* ad has aras volui, non *litare*. *Mercurialis.* Id porrò satis constat, tam apud Hebræos, quàm apud Romanos & Græcos in sacris, profanis, Nuptialibus pompis, odores per vias domósque incensos; unguentis sparsa pavimenta; parietes item, theatra, coronas, vasa, vestes, capita, pectus, pedes; ipsa etiam vestigia ac soleas pretiosô unguine delibuta atque perfusa fuisse. *Desiderius.* Hem qualis luxus! *Mercurialis.* Hodie quoque tanti quandóque stant hæc *sacra*, ut, vinculo connubii, nexus accedat æris alieni, equidem Herculeus; quô nec Jovem suum Juno, nec Jupiter exsolverit Junonem. *Desiderius.* Desine; nolo plura.

Alterius non sit, qui suus esse potest.

Caput LXXXIX.

Ritus Sepulchrales.

Ultimum, quod mortales sibi debent invicem, est deductio ex hac vita, cujus non una ratio hodiéque observatur.

Mos sepeliendi Romanorum veterum.

Apud *Romanos veteres* cùm ægrotus traheret animam, proximi sanguine morientis spiritum osculô excipiebant, flatúmque ultimum hauriebant; mox decedentis oculos & ora claudebant, illos in rogo iterum patefacturi, & ad pristinam ac naturalem corporis formam distorta membra reducturi; postea corpus exanime per intervalla *conclamabatur*, (hoc est, nomen mortui claris plurium vocibus iterabatur, quod fiebat sæpius) & à *pollinctoribus* abluebatur & ungebatur; quod officium *pollinctus* & pollinctura dictum. Inde cadaver in *vestibulo* ædium collocatum ad ipsam januam, facie ac pedibus in publicam versis; unde phrasi: *foras spectare*, idem quod, mortuum esse. Interim *Cupressi* mortuorum domibus apponebantur, & adstituebantur. Tum apparabantur per *Libitinarios* (dictos à Libitina, Dea funerum) ea, quæ ad funera procuranda requirebantur, scilicet *pyram* struebant ad defunctum cremandum; vel eum *humi* operiebant; aut in *hypogéo* seu crypta subterranea deponebant, quod antiquiore ævô factum. Exinde adornabantur *exequiæ* & pompa funebris, pérque præconem indicebatur funus, & populus evocabatur, ut in illud prodiret. v. g. *Exequias L. Titio, L. Filio, quibus est commodum, ire jam tempus est; ollus ex ædibus effertur.* Nobiliores quidem lectô constratô purpurâ, aut lineis splendentibus (tenuiores in capulis & feretris) *efferebantur* à succollantibus vespillonibus seu sandapilariis; præcedente *tibicine* (aliquando pluribus, quos *siticines* dicebant, quia apud sitos seu vitâ functos canerent) & funebri næniâ defuncti laudes canente. Adhibebantur & *præficæ*, mulieres ad lamentandum mortuum conductæ. In Magnatum funeratione gestatæ *Majorum* imagines ad gentilitatem ostendendam, & honoris ac rerum gestarum insi-

Insignia. *Corpus elatum* præcedebant servi manumissi, adeóque pileati; sequebantur liberi, propinqui, affines, aliíque amici lugentium habitu; mulieres in veste candida; viri in pulla, capillô demissô; ínque foro laudationes extincti seu *Epicedia* habebantur.

His ita peractis, *funus* procedebat ad locum, ubi cremandus defunctus; *pyram* autem in modum aræ lignis gradatim aggestis construere solebant, eíque laricem, piceam, taxum intexebant, & circumcirca cupressos depangebant, arsuras ad abolendum gravem odorem, quem in finem, alia quoq; odorifera ligna adhibebantur, & suffitiones spargebantur. Is verò, qui defuncto necessitate majore junctus erat, aversus, rogo ardentem *facem* inferebat, *præficâ* interea lessum, hoc est, lugubrem ejulatum personante. Quas res vitâ functus dilexerat, eodem rogô simul cum cadavere concremabantur. Cadaver ubi ustulatum est, rogus, dicebatur *bustum*; cineres & ossa *urnâ* legebantur, seu colligebantur; circumstantes, à Sacerdote ter *purâ aquâ* aspersi, *expiabantur*, sive lustrabantur, præficâ novissimum verbum altâ voce pronuntiante; *I, licet*. Quô dictô, qui comitati funus erant, domum abituri, *extremum vale* clarè dicebant, ingeminandô: Vale, vale, vale; nos te ordine, quô natura permiserit, sequemur, (juxta Varronem salve dicebant, & vale) *levémque terram* seu cespitem precabantur. Tum collecti cineres sepulchro illati; ante quod ara, & in hac acerra cum incensis odoribus; quandóque perpetua lucerna addita. Porrò mortui, dicti sunt *positi*, aut *compositi*, quia in feretro vel in pyra collocati; in quorum honorem ludi edebantur, non tantùm militum *decursiones*, sed gladiatorum (quos *bustuarios* dicebant) circa ipsum rogum cruen-

cruentæ *pugnæ*, ne scilicet incomitati ad stygem descenderent; sacrificia quoque *Diis Manibus* instituebantur, seu solvebantur, quod erat *inferias* facere, dare, ferre, mittere. Dabantur & epulæ funebres seu ferales, partim à vivis absumendæ, partim placandis Manibus, ne *indefleti* & indeplorati oberrarent, offerendæ; ideóque super tumulum relinquendæ; quas quia cernere silentiô tantùm, non etiam degustare fas esset parentantibus, *silicernium* appellabant, quidam existimant, nomen habere à senibus decrepitis, (quibus appositæ) qui dicuntur silicernia, quòd in curvo corpore silices cernant. *Lugent*, qui habitu lugubri incedunt; *elúgent*, qui tempus lugendi implent; Designatores dicti, qui funebri pompæ præerant; Cæsarum quidam, ut viderentur per *apotheósin* seu consecrationem in numerum Deorum referendi vel relati, aquila, ex apice seu fastigio struis ligneæ flagrantis & fragrantis, (quadratæ ac concavæ) combustô funiculô, cui alligata erat, volabat in altum, & Imperatoris animam in cœlum dicebatur evehere. Apud quasdam gentes *trientem* defuncto in os inserebant, pro *naulo*, quem, trajecturus Acherontem, Charonti solveret; at manui *placentam* indebant, quam latranti Cerbero objiceret. Sed mittamus has superstitiones, & ad *Christianorum funera* oculos reflectamus; quorum si quædam ceremoniæ aliquid cum Gentilibus affinitatis habere videantur, ne tu existimes, id à superstitiosis eorum ritibus profluxisse, sed hos potiùs ab illis per cacodæmonem, castæ Religionis simium, traductos esse; quid enim? illi monumenta floribus ornabant, num ideò nobis nefas erit, loculos & tumulos floridis herbis conspergere? illi, ad sese expiandos, aspersionem frigidæ adhibebant; ergo nobis ad lustrationem uti aquâ sacratâ non lice-

Christianorum funerationes.

licebit. Humatos illi luminibus honorabant; nobis lampades, faces accendere erit interdictum; illi vitâ functorum laudes narrabant; nobis orationes funebres habere, non erit concessum? Fortium illi virorum capita etiam post fata sertis redimiebant; nobis fortissimorum Martyrum & reliquorum Divorum capitibus corollas imponere, cineres & ossa auro & gemmis includere in crimine ponetur? quid quòd mortales illi à vero unius Dei cultu alieni, ipsius ductu naturæ, multa fecerint docuerintque; an continuò est impium, eandem si sequamur ducem? *Desiderius.* Omnino in tuo vestigio pedem pono, nihil morans, quidquid *Novatores* ogganniant; perge de funeribus loqui. *Mercurialis.* Faciam, si addidero, magnam apud Veteres in *sepulchrorum forma* varietatem, dissimilitudinem, magnificentiam fuisse. *Mausoléum*, (Conditorium Mausólo, Cariæ Regi, ab Artemisia uxore excitatum) quis nescit, inter septena orbis miracula numerari? Ægyptiorum Regum *Pyramides* non magnitudine solùm, sed fidem quoque excedunt; quidam in *obeliscis* & *colossis* post obitum habitare voluerunt; alii in *cryptis subterraneis*. Multorum tumbæ ornatæ *labellis*, (minoribus lapidibus) cippis, stelis, columellis & columnis, statuis (è gypso, polline marmoreo, marmore, metallo confectis) & *epitaphiis* seu inscriptionibus, in laudem defunctorum exaratis; quæ res nec à nostris moribus abhorret; nisi quod Cruces ligneas & æneas in sepulchris defigamus in Crucifixi Salvatoris memoriam. *Sepulchrorum formæ.*

Cæterùm mortuos nostros ita ritu Christianô tumulamus. Ubi moriens ad ultimam luctam ritè præparatus, hoc est, confessione à delictis expiatus, sacro sanctô *Christi corpore*, tanquam æternitatis pignore & viaticô, pastus, ceterisque rebus ad salu-

tem neceſſariis, piisque cohortationibus firmatus, & procuratus eſt à Sacerdote, animi Arbitro; moribundus inter ſupplices ad Deum ingeniculantium preces, pro felici luctantis agone, animam Deo, Conditori ſuo, commendans, exſpirat. Morte obitâ, precationes iterantur, ad viam beatæ æternitatis ſpiritui expediendam. Tum exanimi clauduntur oculi: corpus alicubi lavatur; &, ſi dignitas requirit, balſamô conditur; inſuitur ferali lineo aut veſte, cujus in vita uſus, amicitur, & mox emortuali die includitur capulo, adornatúrque funus, & compoſitum in ſandapila (ſarcophago) effertur à ſandapilariis (tetraphoris, hexaphoris, octophoris) in hunc ferè pompæ modum: Exeuntibus ad cœmiterium aut templum, ferali pulſu campanæ ſonant, (funebri æris pulſu concrepatur) memoriam mortis ac charitatis, erga defunctum præſtandæ, ingerentes; præfertur Chriſti è Cruce pendentis ſimulacrum, ut indicetur, mortuum, dum viveret, ſub hoc vexillo militâſſe. Sequuntur variæ tribus & ſodalitia; quique lugubrem pſalmodiam canunt; Sacerdotésque linteati, ante lectulum mortualem incedentes; circa illum dadúchi cum faculis cucullati; lectulus ipſe nigrâ coopertus eſt tegete, ſeu palliô, quod crux per medium oblonga & alba diſtinguit; ſolent autem picta familiæ inſignia cereis facibus & veſti ſtragulæ, quâ feretrum contegitur, affigi; tumbæque flosculi imponi, artiſque & ſtudii inſtrumenta. v. g. Sacerdoti calix; equiti nobili galea, gladius, calcaria adjungi. Viri eunt pullati ſeu atrati; feminæ riciniatæ (riciniô indutæ) & peplis candidatæ. Antequam extinctus terræ mandetur, officia ei funeralia, hoc eſt, juſta perſolvuntur in æde ſacra; ubi (ſi actio funeraria, curatio funerea, res funebris

bris apparatiùs instituitur) erigitur *Castrum*, ut vocant, *Doloris*, seu cenotaphium (tumulus honorarius, sepulcrum imaginarium) multis funalibus collucens; amula cum aspergillo, ad sarcophagum adstituitur; pavimentum & parietes, anthrácini coloris pannô insternuntur; fiunt sacra piacularia pro ejus anima, ab expiatoriis inferorum cruciatibus flammis lustralibus, purgantibus) liberanda; peraguntur exeqiales preces & psalmorum threnodiæ: quô tempore bis aram circumeuntes demortuorum cognati & affines offerunt pecuniam, panem, vinum pro usu Sacerdotum, in expiationem defunctorum; habetur panegyricus funebris, fiunt erogationes publicæ in pauperes, diéque ab obitu *tertiâ*, *septimâ* ac *trigesimâ* repetuntur sacra parentalia, tridiale, septendiale, trigintadiale; ut nihil dicam de die *anniversaria*, quâ scilicet, annuâ religione expiandis functorum animis, *inferiæ* iterantur. Post deductionem funeris, & loculus & tumulus incensô thure suffitur à Curione, (quod idem in elatine funeris factum) & aquâ sacratâ irroratur, & preces pro piis Manibus dicuntur; tum corpus exanime à vespillonibus seu libitinariis in scrobem demittitur (vel in hypogéum infertur) iis, qui in funus processerunt, (prosecuti sunt, duxerunt) glebam injicientibus, & requiem æternam precantibus, undámq; lustralem aspergentibus. Ossa quandóque refodiuntur (ut pluribus locus sit; hinc sepulcretum, Græcis dicitur *polyandrium*) & ponuntur in *ossuario* (ædicula videlicet ossaria, quam Graji σκελετοφυλάκιον appellant) ut ibi mortalitatis salubriter admoneamur. Sic non honorificô solùm, sed Christianô ritu exequias (solennia funerum, suprema officia) defunctis celebramus ac parentamus, non ignari, humationem seu sepulturam ad

ad animum quoque pertinere, qui, unde mortis imperiô discessit, eò aliquando, jubente Dei Filio, fit reversurus. Carent honore sepulchri, aut exhumantur etiam, sacrâ detestatione jugulati; quique fuimet fuere carnifices; aliisque enormibus criminibus infames. Est verò mors infantum acerba, juvenum immatura, senum naturalis. Familia dum est in luctu, & emortuum dolet, *funesta* dicitur; Veteres ut mentionem mortis vitarent, dicebant; *vixit; naturæ conc*[illegible]*ff*[illegible]*, animam egit, ad plures abiit, supremam nec*[illegible]*ssitatem, aut jura naturæ persolvit.* Item, si quid ei factum esset, si quid humanitùs accidisset, si quid fatô passus fuisset; id est, si mortuus fuisset. εὐθανασία est facilis vitæ excessus, quam sibi Augustus Cæsar precabatur; nos meliore jure optamus, speramúsque. *Desiderius.* Ita nobis faxint Superi. *Mercurialis.* A silentibus ad regalium strepitus Aularum vestigia vertamus, quídque ibi geratur, immixti turbæ curiosè arbitremur; videbimus, quàm splendida sint servitus, officia Palatina, quódque totum sit Regnum, aliud nihil, quàm tria suspiria: *obtinendi: retinendi: amittendi. Desiderius.* Hîc ego mihi

Lumina tot cupiam, radiant quot sidera cœlo.

Caput XC.

Regnum, Rex, Regia administratio.

Quinq. genera Magistratuum.

Quinque sunt Magistratuum *genera*: *Legitimum*, *Naturale*, *Æquum ac Rectum* per *Successionem Generis*, *Violentum seu Despoticum*: per *primum* imperant, quos cives initis suffragiis creant: per *alterum* mares feminis, in omnibus animantibus; per *tertium* pædagogi pueris & magistri discipulis: per *quartum*, quotquot hereditariâ suc-

ſucceſſione ad principatum aſcendunt: per *poſtremum*, qui tyrannicè & crudeliter dominantur, quanquam apud Priſcos etiam juſti Reges audiebant *Tyranni*.

Regnum eſt conciliatio multarum civitatum & terrarum ſub uno capite, inita eô fine, ut unita virtus ſit fortior ad obſiſtendum illis, quæ diſſipationem adferre poſſent; ibi *tria* ſunt neceſſaria; *regio* ampla; munita; multorum inhabitatorum capax. 2 *digeries* (*Macrob.*) ſeu digeſtio ſtatuum ordinata. 3 *ſanctio* Legum firmata. Regio redacta ſub unum Regimen, ſecluſa eſt ab aliis, limitibus ſeu nativis marium, paludum, deſertorum, montium, fluminum; ſeu arte factis, puta concædibus ſilvarum, arcibus limitaneis, &c. Ita Chinenſes, murô quadringentarum leucarum, ſe à Tartaria diacluſerunt.

Rex eſt, (ſive hereditarium capeſſat ſceptrum, ſive liberis Ordinum votis) qui poſſidet regnum; quod dividitur in plures provincias, (olim ditio bellô devicta, & Romano adjecta Imperio, dicebatur *provincia*) & hæ in *Ducatus*, *Principatus*, *Ditiones*, Tetrarchias, Eparchias, Satrapias, Dynaſtias, Toparchias, (hodie Comitatus, Baronatus) Tractus, Præfecturas, Territoria (JCtis *Diſtrictus*, ſeu Terras, ad quas jurisdictio ſeu coërcendi poteſtas ſe extendit) caſtellatim, aut regionatim ſuis limitibus circumſcripta; minora minoribus fruuntur ac gaudent immunitatibus, majora majoribus. *Regina*, prima eſt poſt Regem: & quandóque ſede vacante *Interrex* in interregno; Prorex, vicarius eſt Regis. *Rex & Primates.*

Primarii inter Principes & Proceres ſunt Archiduces, Duces, (*Reguli*) Comites (Palatini, Provinciales, Limitanei, vulgò *Marchiones*) Caſtellani, Dynaſtæ, (vulgò *Barones*) Toparchæ, aliíque Pur-

purati, Magnates & Summates; deinde Equites; Torquati à torque nuncupantur; eos Romani dicebant *Auratos*, ab aureo anulo, per quem à plebe distinguebantur; nostris temporibus eminent, qui ab Aureo vellere & à Spiritu S. nomen habent; inter militares celebrantur Equites S. Joannis Hierosolymitani seu Melitenses.

Dominia & Jurisdictiones.

Cæterùm omnes ex istis sua habent Dominia, Jurisdictiones, Dignitates, Prædia; *vel ut propria*, hoc est, peculiari jure mancipata, (quod est habere mancipi;) *vel ut Clientelaria* seu Beneficiaria, (vulgò *Feuda*;) quorum alia sunt hereditaria seu gentilitia, hoc est, ad heredes (plerúmque masculos tantùm) transeuntia: alia non item; quædam sunt *fiduciaria*, (JCtis *fideicommissaria*) quæ scilicet fidei alicujus ita committuntur, ut ea alteri tradat, aut restituat; Possessores ipsi, dicuntur *Clientes Fiduciarii* & Beneficiarii, (vulgò *Vasalli & Feudatarii*) quippè qui beneficium à Rege obtinent, in cujus possessionem ubi mittuntur, JCtis *investiri* & *investituram* accipere dicuntur; præstántque juramentum fidelitatis, (vulgò *homagium*) hoc est, Domino per jusjurandum fidem, obsequium, clientelam obstringunt.

Jura Regalia.

Jura Regalia sunt, belli pacísque habere arbitrium, convocare Ordines, Comitia indicere, conferre beneficia Clientelaria, cognoscere de judiciis & fide Magistratuum, eósque constituere, imponere tributa, subsidia pecuniaria, quandóque *capitationes*, hoc est, agere censiones capitum, ostiorum: focorum, jugerum, aratrorum: exigere vectigalia *Decumarum*, ex vino, frumento, oleo & aliis frugibus: *Scripturæ* ex pascuis: *Portorii* ex mercibus importandis & exportandis, aliásque exactiones, in rebus venditis aut permutatis, imperare, & res

vecti-

vectigales facere; *confiscare* (*Suton.*) hoc est, mulctas & bona damnatorum ac proscriptorum fisco seu ærario Principis addicere: jus venandi & piscandi constringere: impertiri gratiam à pœnis & mulctis legalibus: monetam cudere, ejúsque valorem vel intendere, vel remittere: monopolium instituere: natalibus restituere; Equestri seu Nobilium Ordini adscribere; jus gladii concedere; Decreta facere; Edicta & Interdicta emittere; Mandata dare; Leges ferre, explicare, tollere, relaxare, abrogare, &c. Sic tamen, ut meminerint Principes, se pastores esse populi; oves tonderi posse, non deglubi: concessum esse, haurire, non exhaurire: nec omnia licere, quæ libent; neque minùs, se homines esse, cogitent, quàm præ esse hominibus, eique subesse, à quo potestas omnis est, DEO.

Subditorum est, parere Superioribus, pendere census, tributa, seu contributiones, vectigalia, (quæ exercentur per *telonas*, vulgò *telonarios*, in teloniis; per *portitores*, seu magistros portûs; *Publicani* sunt redemptores seu emptores vectigalium,) varias pensitationes, præstationes, exhibitiones, ut sunt vecturarum, *angariarum*, (dictio Persica) annonarum, Canonis, (seu Canonicæ præstationis) sive frumentarii, sive pecuniarii, (sunt enim stipendiarii, tributarii, *Canonicarii*;) & quæcunque legitimè imperantur, quod est imperata facere; & quemadmodum Principis est, suos tutari, conservare, ipsorúmque bonum promovere; ita ad Subjectos spectat, Principem honore, obsequiô, fidelitate colere, ejúsque commodis inservire; cujus majestas cùm sacrosancta sit, gravissimum & enorme crimen committit, qui Læsæ Majestatis aut perduellionis reus fit. *Subditorum officium.*

Resîdet autem Rex, *Electus, Confirmatus, Coronatus* diademate seu coronâ, ornatus sceptrô & trabeâ, in solio seu throno; habitans in regia, (palatio, basilica (scilicet in metropoli, seu urbe principe, & reliquarum capite. Mittit Legatos & Prolegatos ad Exteros, instructos authenticô diplomate, ad res sibi commissas gerendas. Habet & Delegatos ac Subdelegatos, qui ipsius locô præficiuntur officiis & negotiis exequendis; ut sunt *Gubernatores* provinciarum & urbium, *Vicarii* Generales, Præfecti, Propræfecti, Administratores, Inspectores, Visitatores, Quæstores, Fiscales, Nomarchæ seu Summo Consilio Præfecti, qui Juri præsunt in diversis Dicasteriis ac Curiis, seu Consiliis.

Officiales varii Regû.

Circa se domi habet aulicos Ministros, Officiales Ulp. & Apul. majores & minores; quibus utitur partim ad Consilia subministranda; partim ad pompam Dignitatis; partimque ad corporis curam & custodiam. Consiliariorum classes in varia divisæ sunt Collegia; scilicet Intimum, seu Secretum; Judiciale, ubi causæ forenses; Ærarium, (JCtis *Camera*, unde Camerales) ubi fisci reditus; Bellicum, ubi res militares tractantur. Singulorum caput est Præses. Magister aulæ (Magister officiorum & admissionum, Præfectus Prætorii) eminentior est aliis, vulgò Mareschallus; quô nomine etiam appellatur Magister Equitum, (nam Marc̃h veteri Germanorum linguâ equum, Schalc potentem significat) inde Magister stabuli; Magister seu Præfectus venationum; Magister libellorum supplicum (Cognitor causarum ad Regem devolutarum, custos sigilli, archivi, chartophylacii, tabularum publicarum; alicubi Præfectus Scribarum; JCtis *Cancellarius*, Græcis nomóphylax.) Et qui sunt à Cubiculis seu Cubicularii, inauratâ clave spectabiles,

les, (vulgò Camerarii) admiſſionis primæ proceceres, quorum ſupremus eſt proximus Aulæ Præfecto, & Cubiculariorum Decuriones, Dapiferi, Pincerna, Prægustator ſeu Prælibator, (à patinis, à poculis) Theſaurarius; Archimagirus; ab Eleemoſynis ſeu ſacrarum largitionum Præfectus; Ephebi nobiles ſeu honorarii. Irenarchæ præſunt moribus & diſciplinæ publicæ. Sunt & Logographi ſeu Logiſtæ, qui rationes publicas, hoc eſt, tributorum perſcribunt, (ſcribæ rationarii; ſunt Dicographi, qui cauſas judiciales conſignant; ſunt à ſecretis, ab epiſtolis, &c. Scripturarii, vel ſcripturæ Magiſtri. Item Cubicularii minores, atrienſes, celeres ſeu curſores, ſive à pedibus, aut circumpedes, custodes corporis, (prætoriani equites, pedites) bipennigeri, haſtiferi, ſclopiferi, (in equis chlamydati) ſive ſatellites, ſtipatores, laterones, *ſpiculatores Tacito.* Satellitium. Coquinarii & ſtabularii miniſtri: ab ephippiis, equiſones, agaſones, equorum domitores: cuſtodes veſtium, promi, condi, cellarii, œconomi; famuli rei argentariæ; ſtratores menſæ, curatores pabuli ac pilentorum, metatores & deſignatores hoſpitiorum, ac reliquum famulitium aulicum.

Uſus Eunuchorum in gynæceis obſolevit apud nos; utinam & morionum, gnathorum, ardelionum, ſycophantarum, canum palatinorum, &c.

Rex Regum & Summus Orbis Chriſtiani in Regimine Politico Monarcha, eſt *Imperator,* (Cæſar) Auguſtus, qui tenet Imperium Romano-Germanicum, electus ab Electoribus quà Eccleſiaſticis, quà Politicis, (vulgò *Secularibus*) olim Septemviris, nunc recens Octoviris; quorum primus Archiepiſcopus Moguntinus, S. R. J. *per Germaniam Archicancellarius*, (Supremus Cancellarius.) Secundus, *Imperium Romano-Germanicum.*

Archiepiſcopus Colonienſis, *Archicancellarius per Italiam.* Tertius, Archiepiſcopus Trevirenſis, *Archicancellarius per Galliam.* Quartus, Dux Bohemiæ, *Archipincerna*, (Summus Pocillator.) Quintus, Dux Bavariæ Utriúsque, *Archidapifer*, (Supremus Dapifer.) Sextus, Dux Saxoniæ, *Enſifer.* Septimus, Dux Brandeburgicus, *Sceptrifer.* Octavus, Comes Palatinus Rheni, Heidelbergenſis, *Theſaurarius*, (Summus Largitionum Præfectus.) Imperatrix Augusta, conjunx Imperatoris. *Rex Romanorum*, futurus ſeu deſignatus Imperator eſt.

Regni fundamenta.

Regni fundamenta ſunt *Conſilium*, *Vires*, *Auctoritas*. *Primum* imperandi adminicula ſeu inſtrumenta Principi commonſtrat; ea ſunt: Sagacitas in pernoſcendis ſubditorum ingeniis: ars belligerandi: pacis tuendæ induſtria: diligens, adverſûs ſubita caſuum, præparatio: forma amplificandi imperii: in honoribus & officiis conferendis judicium: temporibus obſecundandi dexteritas: maturitas in deliberando, in exequendo celeritas, in agendo conſtantia: animi in proſperis æquè ac adverſis æquitas & moderatio: rerum divinarum & ad Religionem pertinentium cognitio, & cura prima.

Ad *Vires* pertinent ſubditorum amor & benevolentia, imperii antiquitas, amplitudo, vires unitæ, arma, opes. Námque Principem non tam Satellites tutantur: neque tam locupletant repoſitæ gazæ; quàm benevola affectio provincialium.

Auctoritas eſt fama illa præclara ſive efficax de prudentia & viribus Principibus, inter alios populos & Principes ſparſa, animísque concepta; plura non addo, ne videar velle facem in meridie accendere, cùm hujus argumenti pleni ſint libri. Sed meritò vapulat *Machiavellus*, ſcriptor ille *pſeudopoliticus*, qui Principem ex vulpe & leone componit, hoc

hoc est, monstrum facit: cui in sua mentiri commoda liberè concedit; vah regnorum pestem, & mari Thusco, unde emersit, immergendum! *Desiderius.* Illud *Senecæ* me legere memini:

— — ubi non est pudor,
Nec cura juris: sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Quæ si absint; quid aliud exspectes, quàm seditiones, tumultus, bella? *Mercurialis.* Rectè ais. *Desiderius.* De Regno & Rege cùm, quæ volebam, te dissertante intellexerim; quid est, quòd tam parcè de *Legatis* meministi, quibus tamen Regia Potentia maximè nititur exeritúrque? *Mercurialis.* Quia in tanta rerum copia, mirum non est, quædam subterfugere memoriam. Deinde, in hac nostra *Eruditionis* peragratione, non mihi soli loquendi: sed tibi quoque interrogandi respondendíque partes esse scis impositas. De Legatis opportunè mones; quorum tamen *Expeditiones* quia latissimè patent; non requires, puto, ut magnis ipsorum itineribus nos adjungamus comites. Cogitemus igitur, eos præter oculos nostros prætervehi: &, quantum ad institutum nostrum necesse est, strictim colligamus. Quis enim artes eorum & ceremonias satis exploret? *Desiderius.* Quidquid delibaveris, meis id desideriis suffecturum credas.

Mercurialis. Legatus à *legando* seu mittendo dicitur; quippe *missus* ad negotium peregrè & auctoritate publicâ agendum. Appellatur etiam *Orator*, ab oratione; nam negotia ore magis & sermone, quàm litteris tractat. Olim etiam *Oratores* dicti, qui rogaturi seu precaturi mittebantur. Hinc *Virgil.*

Jamque Oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ veniámque precantes.

Legatus pacis & belli. Mittitur *Legatus* vel *pacis* causſâ vel *belli*. Qui de pace ageret, Romanis olim *Caduceator* à *caduceo* dicebatur, virgâ Mercurii, complexu anguium, ornatâ; quod erat ſymbolum *pacis* & *concordiæ*. Qui bellum indicebat, *Fecialis* fuit, à fide & faciendo dictus. Atque is nullô armorum præſidiô munitus aut ſatellitiô ſtipatus erat; ut ſcirent omnes, quò minùs ad *offendendum* inſtructus eſſet, majori ſcelere vel *lædi*, vel *violari*; ejus officium, *arma denuntiare*. Hodie, qui imaginem quandam Caduceatoris aut Fecialis refert, *Heroldum* appellamus, qui *paludamentum*, Principis ſui *inſignibus* pictum, geſtat: & utróque (veſte, ejúſque colore) exhibet imperii dignitatem, mandatáque defert, ac nuntiat.

Legatorum diverſa ratio. Sunt autem propriè *Legati*, qui à Principe potente legantur ad alterum, *paris* dignitatis. *Agentes*, aut *Reſidentes*, qui à minoris jurisdictionis ac conditionis Principe, aut ab aliquo ſacramentô fidelitatis adſtricto, deſtinantur ad majorem; aut vice verſâ. Qui autem à Principe ad *Provinciales* ac *Subditos*, imò ad ſeditioſos, perduelles, prædones, piratas mittuntur, *Commiſſarii* dicuntur. Etenim hi omnes obnoxii ſunt imperio, etſi eô ſe exemerint, vi ſolummodò aut ſcelere. Poſſunt etiam *Denuntiatores* appellari, imperium & edicta in factioſos uſurpantes. Qui à *Subjectis* ad Principem veniunt, *Deputati* vocantur. *Nuntii* à nuntiando dicti, quaſi minore pompâ & ſplendore ad minora miſſi. Hodie eâ vocis antonomaſiâ indigitantur ferè *Oratores* Romani Pontificis: *Legati* verò *Pontificii* ſunt triplices. Quidam dicuntur *Legati à latere*: *Cardinales* ſcil. ſeu Patres Purpurati, ab ipſo ejus, cui aſſiſtunt, latere, cum ampliſſima auctoritate, emiſſi, provinciæ adminiſtrandæ, pacis inter Principes ſtabiliendæ, majorum conſiliorum cauſſâ. Secundi, vulgatê

tô sermone, *Nuntii Apostolici* vocantur, qui frequenter etiam cum potestate Legati *a latere* mittuntur. Ii *Cardinales* non sunt, sed Antistites, à Summo Præsule ad Principes aliósque, qui imperium exercent, destinati, ut agant, indagent, vel expediant negotia non maxima; *vel* ut, tanquam Apostolici Judices *Delegati*, certas caussas cognoscant. Tertii, *Legati Nati* dicuntur; quòd nimirum eô ipsô, quô Ecclesiis præficiuntur, & Præsules creantur, Legati Apostolici nomen & dignitatem assequantur.

Legatorum alii *Ordinarii*, alii *Extraordinarii*. Illi diutiùs apud Principem, ad quem missi, commorantur. Hi exiguô tempore ac super certa expeditione; v. g. ad affinitatem ambiendam, pacta firmanda, fidem jurandam; ad condolendum, gratulandum, munera devehenda, consilia, vel commeatus petendos, &c. Fiunt etiam ablegationes ad Publica Comitia vel sententiis dicendis, vel suffragiis ferendis, vel negotiis Boni Publici tractandis.

Legatus porrò variis litteris instruitur. Imprimis habet literas *commeatûs* seu *securitatis publicæ*; deinde litteras seu *tesseram Fidei* aut *Legationis*, quas vulgò à credendo nuncupant *Credentiales*; quibus exhibitis, pro Legato legitimo recipitur. Tertiò instructus est variis *præmonitis* & *præceptis* Principis, quæ *Instructiones* vocantur; quibus dicta & promissa Legati firmantur auctoritate *mittentis*, quem vulgò *Principalem* vocant. Harum *Instructionum* sunt multiplices formæ formulæque; nam quædam *præscribuntur*, quæ cum aliis communicanda sunt; alia in occulto servanda; nonnulla *mandati* tam *stricti*, ut & negotiorum *ratio* & eorum *tractatio* Legato sit limitata; alia non item; sed ejus prudentiæ permissa.

Legati instructiones.

Legatio Libera. *Legatio* sine mandatis, *Libera* olim vocata fuit, quòd ab Urbe abesse ei liceret, ubi, quamdiu, & quomodo vellet liberè agere, qui hoc honore atque beneficiô auctus esset; partim voti solvendi cauſsâ, partim periculi vitandi, partim negotiorum. A Voto *Votiva* Legatio dicebatur, ad loca sacra & fana adeunda; atque hæc quoque, ut Cicero ad Atticum scribit, *honorata*, ut *pia*, erat. Omnium gentium moribus receptum est, ut Legationes pro conditione negotii & qualitate cùm eorum, qui mittunt, tum illorum, qui mittuntur, honorificè *excipiantur*. Quibusdam proceditur obviam, ædes subministrantur, *lautia* offeruntur, magnis impensis convivia, choreæ, ludi publici instituuntur; quibusdam divertendi duntaxat potestas indulgetur. Olim, quibus publicus occursus decretus erat, etiam hospitiô publicitus excipiebantur: isque mos penè hodiernus est. Hostium Legati vel jubentur extra castra urbémve remanere, ut foris colloquium instituant; vel intromittuntur penitus, apparatum bellicum copiásque inspecturi: si tamen constet, ea, quæ videnda erunt, sic robore ac disciplinâ ordinata atque munita esse, ut ad terrorem atque existimationem valeant. Apud Romanos, si Legati, incogniti, vel hostium, Primô, quid venirent, ab exploratoribus requirebatur. Deinde, ad eos egrediebantur minores Magistratus. Demum extra urbem Senatus in æde Bellonæ audiebat eorum postulata, &, si visum esset, admittebantur intra mœnia, quod ipsi dicebant: *Senatum dare*. Jure gentium *sancta* & *inviolabilis* est Legatio. Hinc, si quid contra securitatem eorum quis perpetrârit, reus fit læsæ Majestatis, id est, prostitutæ fidei & auctoritatis publicæ. Non est tamen Legato transeundum per terras Principis non amici, eô infa-

Votiva.

Exceptio Legati.

Legati, Sancti.

insalutatô & inconsultô; nec securitate publicâ, Legationis specie, abutendum; est enim permeandum sine noxa. Dicti præterea Legati sunt *Sancti*, partim à fœdere sanciendo: partim quia verbenas seu verbenacas, id est, herbas è loco sacro Capitolii, sumptas, (quæ sagmina vocabantur) fœdera facturi, vel bella indicturi, secum ferebant; unde Legatorum unus *Verbenarius* dictus; verbena autem erat gramen ex arce Capitolina, cum terra sua evulsum.

Inter eos autem, qui Legato operam locant, præcipui sunt *Oeconomus*, & qui à *Secretis* est, vulgò *Secretarius*. Priori incumbit, ita rebus domesticis prospicere, ne uspiam necessaria nummorum solutio suspendatur, néve externus splendor atque apparatus desideretur. Posterioris munus est, Legati secreta tacere, aliorum sagaciter indagare, &, quid in literarum dictatione & responsis Domino in mentem venire debeat, solerter & industriè conjectare: ac pro dignitate negotii acutè, succinctè, nervosè calamô explicare. Additur Legationi frequentia ministrorum, ut, quisquis eam viderit, accendatur scire, cujus ea sit; appareátque, à *magno* venire ad *magnum*; nam homines splendori pleráque deferunt. Hinc magnificentia Legati æstimari solet è familiæ vestitu & copia: *anteambulonum, salutatorum, deductorum, assectarum, sectatorum & calonum* concursu; longóque rhedarum atque impedimentorum agmine. Nec desunt iis *speculatores, exploratores, corycæi* personati, quorum oculis & auribus investigant, quod suis non possunt. *Legati famulitium.*

Non satis est *excipi* Legatum; *admitti* debet: & petere ille solet, ut audiatur. Quâ ratione *dare Concilium* Princeps dicitur; quòd rarò, nisi convo- *Admissio Legati.*

catô

Legatio Libera. *Legatio* sine mandatis, *Libera* olim vocata fuit, quòd ab Urbe abesse ei liceret, ubi, quamdiu, & quomodo vellet liberè agere, qui hoc honore atque beneficiô auctus esset; partim voti solvendi caussâ, partim periculi vitandi, partim negotiorum. A Voto *Votiva* Legatio dicebatur, ad loca sacra & fana adeunda; atque hæc quoque, ut Cicero ad Atticum scribit, *honorata*, ut *pia*, erat. Omnium gentium moribus receptum est, ut Legationes pro conditione negotii & qualitate cùm eorum, qui mittunt, tum illorum, qui mittuntur, honorificè *excipiantur*. Quibusdam proceditur obviam, ædes subministrantur, *lautia* offeruntur, magnis impensis convivia, choreæ, ludi publici instituuntur; quibusdam divertendi duntaxat potestas indulgetur. Olim, quibus publicus occursus decretus erat, etiam hospitiô publicitus excipiebantur: isque mos penè hodiernus est. Hostium Legati vel jubentur extra castra urbémve remanere, ut foris colloquium instituant; vel intromittuntur penitus, apparatum bellicum copiásque inspecturi: si tamen constet, ea, quæ videnda erunt, sic robore ac disciplinâ ordinata atque munita esse, ut ad terrorem atque existimationem valeant. Apud Romanos, si Legati, incogniti, vel hostium, Primô, quid venirent, ab exploratoribus requirebatur. Deinde, ad eos egrediebantur minores Magistratus. Demum extra urbem Senatus in æde Bellonæ audiebat eorum postulata, &, si visum esset, admittebantur intra mœnia, quod ipsi dicebant: *Senatum dare*. Jure gentium *sancta* & *inviolabilis* est Legatio. Hinc, si quid contra securitatem eorum quis perpetrârit, reus fit læsæ Majestatis, id est, prostitutæ fidei & auctoritatis publicæ. Non est tamen Legato transeundum per terras Principis non amici, eô infa-

Votiva.

Exceptio Legati.

Legati Sancti.

insalutatô & inconsultô; nec securitate publicâ, Legationis specie, abutendum; est enim permeandum sine noxa. Dicti præterea Legati sunt *Sancti*, partim à fœdere sanciendo: partim quia verbenas seu verbenacas, id est, herbas è loco sacro Capitolii, sumptas, (quæ sagmina vocabantur) fœdera facturi, vel bella indicturi, secum ferebant; unde Legatorum unus *Verbenarius* dictus; verbena autem erat gramen ex arce Capitolina, cum terra sua evulsum.

Inter eos autem, qui Legato operam locant, præcipui sunt *Oeconomus*, & qui à *Secretis* est, vulgò *Secretarius*. Priori incumbit, ita rebus domesticis prospicere, ne uspiam necessaria nummorum solutio suspendatur, néve externus splendor atque apparatus desideretur. Posterioris munus est, Legati secreta tacere, aliorum sagaciter indagare, &, quid in literarum dictatione & responsis Domino in mentem venire debeat, solerter & industriè conjectare: ac pro dignitate negotii acutè, succinctè, nervosè calamô explicare. Additur Legationi frequentia ministrorum, ut, quisquis eam viderit, accendatur scire, cujus ea sit; appareátque, à *magno* venire ad *magnum*; nam homines splendori pleráque deferunt. Hinc magnificentia Legati æstimari solet è familiæ vestitu & copia: *anteambulonum, salutatorum, deductorum, asseclarum, stipatorum & calonum* concursu; longóque rhedarum atque impedimentorum agmine. Nec desunt iis *speculatores, exploratores, corycæi* personati, quorum oculis & auribus investigant, quod suis non possunt. *Legati famulitium.*

Non satis est *excipi* Legatum; *admitti* debet: & petere ille solet, ut audiatur. Quâ ratione *dare Concilium* Princeps dicitur; quòd raro, nisi convocatô *Admissio Legati.*

catô Conciliô, admittat, audiátve. Duplex verò *Admissio* est: *Officiosa*, quæ Publica, & *Negotiosa*, quæ Privata appellatur. *Publicè* admitti Legatus solet, salutationis duntaxat caussâ, ídque vel subitò & ex ipsa via; vel mox, ubi pulverem lutúmque excusserit, lassitudinem exuerit; vel posterô aliquô die. Tempus *Admissionis* à præcipuo quodam Aulicorum, atque adeò in ipso occursu, indicatur. Sed tum primùm, cùm publicè ex hospitio sibi assignato ad Aulam vocatur Legatus, solemni pompâ *Introductio* celebratur. Legatus, priusquam à Principe admissus sit, neminem adit, visitque. Legatô autem jam admissô, salutationis honos ab ipso Principe rependitur; nunc major, nunc minor, prout à potentibus, amicis vel inimicis, missô. Nonnunquam advenienti ipse Princeps aliquantulum obviam *procedit*; nonnunquam *assurgit*, sedile præbet, operire caput jubet, litteras oblatas exosculatur. Exhibitâ *accessûs* reverentiâ, dum sermonem orditur Legatus, capite detectô manet, nec cooperit, nisi jussus. Et dum vel suum vel adeundum Principem deinceps alloquendô nominat, venerationis aliquod obsequium rursus exhibet, diligentémque in omnibus rationem habet honorum & Prærogativæ Principis sui; qua in re officium quoque suum præstant Ceremoniarum *designator*, & *deductionum* ac *admissionum Præfectus*. Posthæc enuntiat mandata, quæ habet. Romani, signum Imperii, etiam idioma habuerunt: & ad dignitatem suam pertinere imprimis existimabant, vernaculô tantùm sermone Legationes tum excipere, tum proferre. Sit autem *Dictionis* character virilis & sententiosus, sine affectatione concinnatus, non superstitiosè coactus, aut strictim circumtonsus, sed quasi ab animo profectus, & veritatis energiâ

secu-

securus. Neque tantùm Principis sui *Mandata* summâ curâ fidéque exponit, sed eâdem quoque *responsa* refert & renuntiat. Peractâ Legatione, reliquum est, ut penates repetat, auctior (ut quidam ait) unâ jam syllabâ; ut, qui iverit *Orator*, redeat Exorator.

Laudes & virtutes Legati his ferè continentur: Ut sit genere nobilis; specie præstans ac firmus corpore, opulentus; munificus; continens; non vinolentus; non rixosus; non morosus; gratus excipienti; non adulator; publicè spectabilis; religionis, vestis & urbanitatis patriæ tenax; eruditus; eloquens; facetus, non dicax; linguarum peritus; item lectionis, scriptionis, etiam occultæ; prudens; non ignarus Aulæ, quam aditurus; polytropus, seu expertus multarum & magnarum rerum, qui mores hominum ac regionum noverit; intrepidus; temporarius, id est, serviens & accommodans se temporibus, locis, personis; lentè festinans; circumspectus; memor; astutus; simulandô ac dissimulandô tectus; verax; fidus, sed non nimis fidens; felix. Atque hæc de Legatis, quibus Veteres & viaticum & aureum annulum de publico largiebantur. Annulum illum in publico gerebant; eóque postea depositô, intra domos utebantur ferreô, ut *Plinius* memorat. Sed hoc primis quidem Reip. annis usurpatum fuit; postea & *Senatores* gesserunt; à quibus ad *Equites*, & inde ad omnes *ingenuos* usus hic dimanavit. De Legationum fructu, sapienter, Regum sapientissimus, Proverb. 25. v. 13. *Sicut frigus nivis in die messis, ita Legatus fidelis ei, qui misit illum, animam ipsius requiescere facit. Desiderius.* Quid est frigus hoc in die messis? *Mercurialis.* Respondeo, esse frigus, à vento afflatum messoribus, calore sudantibus; æstúque mitigatô

Virtutes Legati.

gatô recreatis ac refocillatis. Idem Legatus facit strenuus; nam Principem sollicitudine & curis æstuantem refrigerat, & consolatur felici rerum commissarum expeditione. *Desiderius*. Id ipsum evenit mihi, cujus tu hæc sciendi ardorem ita temperas, & quasi anhelantem reficis; ut discendi calor sit mihi refrigerio. *Mercurialis*. Agnosco sinum tuum; quidquid in eum demittitur, etiam Aquilone gelatum, mirâ temperie solvitur, & lenitate tibi domesticâ mitescit. *Desiderius*. Hæc spiras æquô blandiùs. Nunc quô ferimur, & quomodo? ventis, an rhedis? an neutris? *Mercurialis*. Non audis classicum? arma horrida insonant.

Caput XCI.

Turbæ Regnorum, & Bella.

MErcurialis. Statas *pacatus* est optatissimus; *Bellum* est immanis bellula, exhauriens ærarium & sanguinem, vastas provincias; non suscipiendum, nisi ut in *pace* (quæ finis est belli) sine injuria vivatur, *vel* repellendô & arcendô vim injustè illatam: *vel* eam inferendô, justæ vindicationis causâ, *aut* ad res cum legitima auctoritate repetendas, per *Militiam*, hoc est, multitudinem hominum, aptam & compositam in armis, sub disciplina morum, exercitationis, laboris.

Caussæ Bellorum. Belligeratur autem, *sive* quòd gentes finitimæ invadant nostra, movendô lites de confiniis; *sive* quòd potentes involvant populos bellô, de eminencia inter se contendentes; *sive* quòd domi motus suboriantur, non aliter compescendi, quàm vi; putà, cùm factiosi quidam turbatores, sive propter privatas simultates, sive contumaciam parendi Magistratui, clandestinas disseminant conspiratio-

tiones, & concitare moliuntur conjurationes, tumultus, seditiones, rebelliones; adeóque bella intestina & civilia. Nihil verò non tentandum est domi forísque, ut bellum anteveniatur: nempe paciscendum cum confinibus; pactáque subinde renovanda: domestici continendi sub æqualitate jurium; nec injuriæ permittendæ in quenquam; observandi inquieti, ad novationem rerum proclives, quidvis caussari callidi, suis quod molitionibus obtendere queant.

Coortâ conturbatione, solet aut *reconciliatio* per *internuncios* requiri; aut vicinorum interpositio; quâ tumultuosi, bellaces ac pugnaces suis à consiliis dimoveantur; aut mittitur *caduceator*, (pacificator) instructus diplomate ad hostem ipsum, ad pacem petendam: *aut* damni dati reparationem offerendam: *aut* simultatis compositionem: ut ejusmodi pacificatoriâ legatione descendatur ad conditiones pacis; præsertim si quis arbitretur, se imparatum Imparémve hosti; quippe temerarium foret, objicere se imbellem bellicoso, inexercitatum exercitato. *Pacis tractatio.*

Si tamen minacior hostis, pacificationem renuit, missôque *feciali clarigat*, (denuntiat hostilitatem) cogitatur quamprimum de intercludendo aditu, *apparatûque bellico*, qui multa reposcit. 1 *militem*, tum indigenam, tum extraneum seu adventitium, quandóque tumultuarium & subitarium. 2 *auxilia* fœderatorum. 3 *commeatuum sumptus*, seu rem cibariam, vulgò victualia; quare instruuntur domus annonariæ, in quibus conditiva reponitur annona. 4 *pecuniam*, quæ est nervus belli; hæc depromitur ex ærario; aliquando stips cogitur per capita, emittuntur vicatim, oppidatim, provinciatim, *conquisitores*, (ad habendam conquisitionem) *Apparatus bellicus.*

ut col-

Auctoratio militum. ut colligant & legant militaturos, conducántque datô *autoramentô*; quos jam descriptos (sive sint *Evocati*, sive *Voluntarii*, aut *Volones*) & deductos in *Diribitorium*, ad *armilustrium*. (equitum est transvectio) *Diribitor* lustrat viritim; habitóque delectu, obstringit sacramentô; & sic *auctorat*, ac numerum init dantium nomen militiæ, & refert in catalogum seu tabulas (vulgò *matriculam*.)

Armatura. *Auctorati*, recensi, lustrati *armantur* ex armamentario; sunt verò armorum *alia* ad tegendum corpus; *alia* ad invadendum, lacessendum, defendendum; rursúsque alii instruuntur seu induuntur armaturâ *levi*; alii *gravi*. Tutando *capiti* datur galea, seu cassis, subducta cudone, cujus apex *conus*, in cono crista: *ori* tegendo buccula, seu buccatum tegmen: *pectori* adoperiendo ferreus thorax, (*collo* collare (seu lorica, unde loricati, thoracati, qui sunt ab ictu glandis plumbeæ innoxii; *cataphracti* circumquaq; loricantur cataphractâ, vel ex lamellis squamatim coagmentatâ: vel annulis & hamulis consertâ, commissâ, concatenatâ; cujus pars posterior *humerale*: anterior *pectorale*; brachiorum tegumenta, *brachialia*; utrúmque muniunt pedem *tibialia*, seu *ocreæ* ferreæ. *Sinistro brachio* olim clypeus inserebatur; nunc liberum juvat dextram, vel in *bipenni* militari, vel *sarissa* (hasta longiore) vibranda; vel *fistula*, (tubo, canna, sclopo, tormento manuario, bombarda) ferrea sive ænea, oneranda & exoneranda. *Lateri* accingitur gladius, aut suspenditur ex *baltheo*, ut promptiùs stringatur è vagina; evaginatúsque recondatur faciliùs, capulô tenus. *Ballistarii* (catapultarii, sclopetarii) appendunt *thecam bombardariam* & *pyxidem pulverariam*: vel complures *tubulos ligneos*, farturâ pulveris nitrati plenos; & *funiculos igniarios*. Nuper, sagu-

fagulis amicti, fclopeta furcillis librabant; nunc neutrum eft in ufu.

Antequam ducatur in hoftem; inftituuntur *palaria*, feu pugnæ umbratiles, (Græcis fciamachia) prolufionis cauffâ (*exercitium & pugna umbratilis*:) producuntur milites tirones, (aliquando etiam *panicô* excitantur) ut difcant, telis uti cominus, eminus: per turmas hinc inde concurrere, decurrere, latere, procurrere, refiftere, cedere, repentè confurgere, in ordinem redire, extendi, laxari, condenfari, circuire, ex obliquo invadere, clamare, locum tenere, imperium fervare, juffa exequi: mutare aciem; jam fe in orbem colligere, jam cuneum facere, jam phalangem, jam dimidiam lunam, jam aciem quadratam, &c. Sequi figna, pati tædium, æftum, frigus, labores, vigilias. *Exercitatio militum.*

Dehinc *concenturiatur* exercitus per legiones & vexillationes; dum redigitur equitatus in *turmas*; quarum aliæ *alares*, aliæ *legionariæ*: illæ latera tuentur; hæ in media acie confiftunt; peditatus (haftati & fclopetarii) in *manipulos*; in his funt commanipulones & cohortes; utrique in *contubernia* feu *decurias* decuriantur; præficiuntur decuriis decuriones, centuriis centuriones, (*Senec. Capitanei*) nempè equeftribus magiftri equitum feu *hipparchi*, pedeftribus magiftri peditum, millenis *chiliarchi* feu tribuni (vulgô *Colonelli*;) tandem omnibus *Imperator*, Campiductor, fupremus Dux belli, Archiftratégus; funt & Ductores Vicarii, Promagiftri, Procenturiones, &c. *Concenturatio militum.*

Quibus adjunguntur *varii belli Præfecti*, & Propræfecti & Subpræfecti, ut rei tormentariæ, caftrorum, excubiarum, munitionum: Ductores ac Duces Generales, Primores, Turmales, Tribuni, Protribuni, Legati feu Vicarii, (vulgò *locum-tenentes*) *Præfecti militares.*

tes) Quæſtores, Inſpectores, Curatores Primarii, (vulgò *Commiſſarii*) Annonæ Structores, (*Sitarchi*) Vexilliferi, (Vexillarii, Signiferi) Cenſores ſeu Metatores, (diverſoriorum Deſignatores) Instructores, ſeu Ordinatores aciei, (Taxiarchi Græcis) Machinatores, tormentorum Libratores, (balliſtarii vel baliſtarii) tribuni armamentarii, curatores tormentorum, circuitores ſeu mercatores annonarii ſeu caſtrenſes, præfecti pontium, curruum, fabrorum, commeatus tormentarii, exploratores viarum, Concionator Caſtrenſis, Scriba Prætorianus, Scribæ & Dicographi Caſtrenſes, Præfectus, Judex (Quæſitor, Prætor) rerum capitalium, *Ulpiano Latrunculator,* Accenſi, Apparitores, caſtigatores, carcerarii, (JCtis *Commentarienſes*) tibicines, tubicines, tympaniſtæ ſeu tympanótribæ.

Bellatores varii. E bellatoribus alii ſunt *honorarii*, alii *ſtipendiarii,* aliqui *primarii,* alii *gregarii*: & iterum, alii *dimachæ* ſeu *deſultorii*: (ſubitarii equites peditéſque, cuidam equeſtres ſclopetarii, balliſtarii, ferentarii, catapultarii) aliqui *Duplicarii* (Duplarii, Duplares) duplicis videlicet armaturæ & aliquando ſtipendii; aliqui *ferentarii* ſeu leviùs armati & expediti; ſunt novitii, ſunt veterani. Equites partim *lancearii,* partim *catapultarii* ſeu hippotóxotæ, ſclopis aut arcubus muniti, aliquando ternis, & inſuper ceſtrâ ſive ſecuri Amazoniâ: quidam *hopplomachi,* ſeu cataphractarii; hoc eſt, gravioris armaturæ; alii levioris, omnes inter ſe commilites, ſeu commilitones, ſub uno commilitio merentes: contubernales ſub uno contubernio. *Servitiis* addicuntur lixæ, calones, calatores, caculæ, equi ſarcinarii.

Expeditio in hoſtem. Rebus ſic diſpoſitis & paratis, celeritate opus eſt; ſuſcipitur *expeditio*, proceditur in hoſticum; (qui ducunt extremum agmen, vocantur urági) nam

ham domi bellare, eſt peſtem intra viſcera recipere; metator tali locô *metatur* caſtra, qui commodus ſit frumentationi, pabulationi, aquationi, lignationi; hîc ponuntur *tentoria*, tabernacula (quorum præcipua Prætorium, Quæſtorium, &c.) figuntúrque paxillis; pro milite plebejo ſunt *caſtrenſia tuguria*; útque *ſtativa* ab incurſionibus ſint tuta, circumvallantur foſſis & aggeribus; cùm ſunt movenda, detenduntur *papiliones*, conclamantur vaſa, revelluntur ſigna, (more Romanô.) Inſtituuntur, per certas ſtationes *excubiæ*, quas ſervant *ſtationarii* ſeu *ſpecularii excubitores*, necunde ſuperveniens inopinatò hoſtile agmen peſſundet incautos; datur *teſſera* à Præfecto vigilum ſeu *Teſſerario*, quâ ſe mutuò recognoſcant. Vigilias circumeunt *Circitores*, teſſerámque repoſcunt. In mediis caſtris vel forô excubat prætoria militum ſtatio. Si qui ex militibus viatores incurſant & exſpoliant, *prædones* ſunt & *latrunculi*; à quibus repurgat vias ſuis cum turmalibus, quem cum Ulpiano poſſimus *Latrunculatorem* dicere, aut Tutatorem viarum: Non rarò tamen ſclopetarii jubentur eſſe occulti viarum ſubſeſſores, & prædantium interceptores. Sunt & in equitibus excurſores, & turmæ emiſſitiæ.

Interea *emittuntur* ſpeculatores, exploratores, & emiſſarii, qui obſervent hoſticas machinationes; reducéſque referant viſa & audita; exinde fiunt catervatim, turmatim, centuriatim, manipulatim excurſiones, obviaturæ depopulantibus, ubíque occurrentibus; & leviora certamina conſerturæ, antequam veniatur ad manus. In Concilio vel *Conſilio Bellico* conſultatur de loco pugnæ & modô aggrediendi, &, ſi Mars foret iniquior aut locus, de ratione recipiendi militem.

Prælium. Tandem copiæ *deducuntur ad prælium*, ordinantur in aciem, (rectam, obliquam, sinuatam, lunatam, quadratam) ejus partes sunt frons, tergum, alæ, cornua; peditum agmen stabile occupat medium, equites plerúmque sunt alarii vel alares. Signiferi, medias inter catervas, ferunt signa; *vexilla* sunt pedestria, *labara* signa equestria: quos aliquando præcedunt *antesignani* cum rhomphæis (xiphomachæris;) classicum canunt *tympanistæ* tympanorum strepitu, *tibicines* tibiarum, *cornicines* (buccinatores *Cæsari*) cornuum; *tubicines* tubarum; *aeneatores* ahenotympanorum seu anacarorum. Duces circum- & interequitantes inflammant ad strenuitatem hortatibus galeatos, quos excipit clamor militum, Martem poscentium.

Olim *Velites* incessebant hostem, & velitandô faciebant initium conflictûs: mox concurrebant legiones, pugnámque committebant *decretoriam*; in longiùs dissitos ejaculabantur lapides, *funditores* è fundis, *balistarii* è catapultis; postea *sagittarii* promentes sagittas è pharetris, (corytis) imponebant eas arcubus, hósque nervô tendentes & dimittentes, arcebant eminus ingruentem hostem, ac protelabant; aut venientem intra teli jactum, *ferarii* spiculorum imbre, obruebant. Hodie res agitur tormentis majoribus & minoribus. Velitationem præmittunt equites, procursantes in pugnam leviorem, quandóque *tumultuariam*; tum bombardarii pedites farta sclopeta seu sclopetos pulvere sulphureô plumbeisque globis (quos vel incensô funiculô vel rotulâ agitatâ è fistulis ejiciunt) displodunt & trajiciunt pilarum grandine stantes in *principiis*, seu in prima hostium acie versantes. Illi contrà explodunt & grandinant ferreis ac plumbatis glandibus, alternantibus hinc inde bombardarum procellis.

cellis. Utrinq; *Tormentarii Magistri* tonant & fulminant machinis fulminatricibus, crebrísque jaculationibus longas bellantium lineas sternunt. Si qui propiùs irruere tentant, prohibentur à *sarisophoris*, hastilibus ferrô præpilatis, seu sarissis; aut etiam irruentes trajiciuntur bipennibus, magnô nisu vibratis. Accidit, ut proximi quíque confertim pugnantes proturbentur calis, clavis, sparis, aut inversis scloporum scapis, vel cædantur latioribus spathis & semíspathis; vel obtruncentur harpis & acinacibus: quin concurritur infestis mucronibus; punguntur, confodiuntur verutis, frameis, pugionibus; fítque miseranda strages; dum hinc & illinc punctim cæsímque feriunt feriuntúrque, & promiscuè cadunt, conculcantur, proteruntur horrendo cum ejulatu, præsertim si equestres alæ se à tergo circumfundant, à latere perrumpant, aut currus falcati immittantur.

Quin etiam in pugna sive *stataria*, sive *gradaria* sæpe anceps fortuna nutat, dum acies inclinatur, (inclinat) turbatur, perfringitur, integratur, restituitur: dum succenturiati & subsidiariæ copiæ (olim *triarii*) redintegrant prælium, invadunt hostem, disturbant, fundunt, fugant, insectantur, contrucidant, atque ita fit *dimicatio internecina*, & ita quandóque debellatur. Qui terrore perculsi, quærunt evadere, elabi, effugere; si diffugii spes non est, abjectis armis dedunt se, ut capiantur: sed qui cædem & captivitatem evaserunt, palantur dispersim, (quorum multi ab hoste excipiuntur) donec aggregentur à suis; aut inveniant confugium, quò se in tutum recipiant; impedimentis seu curribus sarcinariis & annonariis, ab hoste captîs & direptîs, cum curuli vectorióque machinarum instrumento. Fit etiam, ut duces fugam sistant, conster- *Pugna gravior.*

natis animos addant, insequentibus insidias struant; aut ii, quos locus & casus conjunxit, se in orbem tuentur, prementium vim sustentent, & victoriam interpellent; quapropter cautè instandum terga præbentibus; nam Mars communis & victum sæpe erigit & affligit victorem. Atrociora sunt bella pro *aris* & *focis*; quàm quæ geruntur pro *Imperio*. Quando nox dirimit pugnam, canitur *receptui*, victórque miles diribit prædam, spolia, manubias de victorum: nî hostis dimicationem redauspicetur, recollectis in unum, qui fuerant dissipati.

Prœlium sequntur depopulationes & devastationes agrorum; dum prædabundi & populabundi victores, latè omnia victricibus armis (*victoriosis Gell.*) incursant & infestant: quandóque etiam, contra fas omne, pagatim incendia spargunt.

Obsidio Urbis. *Hostilis Urbs*, vel arx, fugitivorum perfugium, per tubicinem ad deditionem invitatur; (quæ immunita sunt, ultrò se dedunt) inde circumdatur copiis, obsidetur, (obsidiô vel obsidione premitur) obvallatur, circumvallatione clauditur, ne egressus ingressúsve pateat, coronâ cingitur. Perfectâ seu clausâ *circumvallationis lineâ oppugnatur*, donec *expugnetur*, hoc est, occupetur, aut recipiatur, seu recuperetur. Hîc adhibentur varia machinamenta, strategemata & astus oppugnationum, insultuum, impressionum, irruptionum; dum aliquando scanduntur muri furiali impetu, admotis scalis; vel advolutis (ut olim) ambulatoriis seu subrotatis turribus; è quibus demissâ exostrâ (arrectariô ponte) oppugnatores insiliunt muros, quos Prisci diruebant admotis arietibus, vel libratis è ballista saxis: hodie quatiunt, labefactant, dejiciunt, evertunt, & subvertunt firmamenta quæque ferrei globi ex obsi-

obſidionalibus ſeu muralibus tormentis excuſſi, locatis poſt cratitias gerras, (vimineos corbes terrâ oppletos) è ſuggeſtibus tormentariis, (machinarum) tumultuariò opere erectis.

Eſt quoque inventum inſtrumentum dirumpendi violenter portas ariete pyriô, ſeu pyloclaſtrô. (vulgò *petardâ*, cuidam tormentum inſititium, vel inductile, aries fixilis.) Excogitantur indies alia vaframenta; imprimis ſuffoſſiones ſive *occultæ* per ſubterraneos *cuniculos*, incluſis bellici pulveris vaſculis, quæ ſenſim repens ignis accendit: ſive *apertæ*, ſub pluteis, vineis, loricis, terreis munitionibus ex humo congeſtitia factis; producuntúrque operum *appropinquationes* ſinuatô itinere, ad declinanda hoſtium tela, viámq; aſſultui per murorum ruinas faciendam. Injiciuntur ad tecta incendenda pyroboli, malleoli, ignita miſſilia, ſphæræ Punicæ, ſeu pilæ granatæ, nempe igniariæ, variis ferramentis fartæ & fœtæ: intercluditur commeatus: nihil non excogitatur ad circumſeſſos in anguſtias ultimas redigendos.

Neque *obſeſſi*, aut obſidendi, quidquam intentatum relinqunt ad ſeſe *defendendos*; ſilvarum fauces muniuntur concædibus; paſſim objiciuntur ericii militares ſeu cervi, (transverſæ ſcilicet trabes, aculeis confixæ, quæ ante portas ſunt verſatiles ſeu ſubductiles) exſtruuntur antemuralia propugnacula, (præmunitiones, munitiunculæ) quæ infernè præſepiuntur vallis, palis ac ſtipitibus cuſpidatis ad hoſtium aſcenſum retardandum; circa medium, exaſperantur ſudibus echinatis, ſeu pectinatim conſertis; quibus prædcuntur foſſæ ad hoſtem acceſſu excludendum; aut contrariis vel transverſis cuniculis obviatur cunicularis (cunicularibus:) aut in ſubeuntes dejiciuntur pilæ igniariæ, omníq; *Obſeſſorum defenſio.*

telorum genere repugnatur adorientibus; qui aut corvis, manibus ferreis, harpagonibus arrepti intra munimenta trahuntur; aut longis hastis transfiguntur; aut discerpuntur machinis, constipatis scrutorum grandine; habent itidem suos *receptus, reductus* ac perfugia secundaria, quæ murorum hiatui & diruptioni opponunt, variásque *abscissiones*, cœcas foveas, extemporaneas fossas; nec non obstruunt aggeres ex plaustris & doliis convectis ac coäcervatis. Solent insuper propugnantes facere *eruptionem* conglobatim, certatim, catervatim, manipulatim, centuriatim ad arcendos obsessores, eorúmque tormenta mutilanda & obturanda; sed non raró repelluntur majore vi, & arctiùs inde premuntur, superatísque fossis, (quæ ramalibus, virgultis, saccis oppletis, curribúsque tabulatis explentur & sternuntur) & vallis, undique instant, donec clausis arctioria quæque fiant, deficiente præsertim commeatu & ballistarum farturâ; & ipsa denique spe; deditionem tractare incipiant, (candidis aliquando vexillis prolatis) petentes *inducias*, (pacem sequestram, cessationem armorum) quæ panguntur ad dies aliquot aut horas, aut etiam prorogantur, datis utrinque obsidibus.

Qui se submittunt *pactitiâ deditione*, (deditii) nanciscuntur conditiones honestas, ita, ut præsidiariis cum armis, signis & sarcinis, seu more militari, abire liceat; secus, si res *arbitrio* prævalentium permittatur; tum enim sine vexillis, extinctis funiculis, tympanis ac tubis silentibus exeundum, lytrúmque ad homines & tecta à direptione, cædibus, incendiis, captivitate redimenda solvendum. Sed *vi expugnata* civitas diripitur, & in obvios quósque sævitur; feritatis tamen est, non victoriæ, urbes delere,

lere, excidere, desolare funditus. Solutâ obsidione, præsidia abducuntur.

Partâ (obtentâ, reportatâ) victoriâ, *laureati victores* onusti spoliis, aliquando opimis, erectísque seu fixis *trophæis* (tropæis) ovant ac triumphant: Deo exercituum Domino, si tamen pro Deo militant, exuvias bellicas dedicantes. Ubi strenui, & quorum virtus ante alios enituit, nobilitantur, condecorati in signibus & niceteriis ob heroica facinora & *adversa* vulnera (*aversa* enim sunt dedecori;) saucii curantur, captivi redimuntur, aut liberantur permutatione; atque ita redeunt postliminiò ad sua; contrà autores turbarum cum perfidis, defectoribus, proditoribus, perduellibus, desertoréséque commilitonum & transfugæ plectuntur; quandóque in mortis supplicium decimantur. Ultimò miles distribuitur in hiberna, (hibernacula) emeritíque *rude* donantur, & honestâ missione dimittuntur seu exauctorantur; qui fortiter occubuére, afficiuntur *panegyricâ* & *adoreâ*, (à farris honore, Priscis) seu gloriâ; eorúmque manes inferiis Christianis juvantur, nováque supplementa scribuntur, seu delectus habentur. *Victoriam consequentia.*

Desiderius. Hem bella, horrida bella! quàm sævis ac tristibus modis miseri mortales in mutuum exitium exardescunt! *Mercurialis.* Si picta horres; quid facturus, si præsens in pericula veneris? *Desiderius* Alios castra juvent, & lituô tubæ permistus sonitus; me doctarum hederæ frontium Diis misceant Superis, & secernant populô. Cedò verò; cùm in vulgatis narrationum bellicarum pagellis tot nos peregrina vocabula circumsonent, possúmne quorundam explicationem abs te requirere, quasi per exodium, in cruentis hisce Mavortis ludis? *Mercurialis.* Nôsti animum meum; si quid

Peregrina vocabula militaria.

scio, idem te scire cupio. Quid petis? *Desiderius.* Quando in munimentorum ratione & partibus describendis Galli, Itali, Germani suam quisque miscent vernaculâ, quid, quæso, est in propugnaculis, quod Germanis vocatur *cattus*? quid *cortina*, *contramine*, quid *scarpa*, *contrascarpa*; *breccia* seu *breche*, *baterie*, *approche*, *palisádes*, &c. *Mercurialis.* Adverte imaginationem; paucis tibi adumbrabo.

Ad munitionem pertinent varia castélla, turres, propugnacula, valla, fossæ, loricæ, viæ, opere cornutô coronato seu coronariô, pentagónô, hexagónô, polygónô, stellatô, semilunari, *planiformi*, seu lineæ rectæ, &c. Vidésne aggeres illos seu tumulos propugnaculis impositos; hos Germani *cattos*, vel cattas, veteri apud Lipsium nomine, dicunt; Itali & Galli *Cavaliere* & *Cavallieure*; murus ille, inter duo propugnacula interjectus, *cortina* dicitur; moles hæc portæ præstructa (munimentum portæ, paulùm â mœnibus abjunctum) nominatur *rivellino* seu *ravelin*; cœcæ illæ ad latera propugnaculi cryptæ, dicuntur *casematta*, quasi casæ armatæ: suggestus illi & aggeres tormentarii nomen habent *baterie* vel *batteria*, in quibus eminent vimineæ illæ loricæ, corbium terrâ oppletorum objectus post quos jaculatores latent; *vineæ* sunt viæ intestinæ, per quas occultè miles ultro citróq; commeat; *approches* seu *approce*, viæ seu accessus obsidionales obliquô ductu ad fossores militésque tegendos; (aliâs *promotiones* seu *appropinquationes*) quibus opponuntur excursus obsessorum. Aspice hanc mœnium ruinam & fossam rudere complanatam, cogitáque nuncupari *breccia* seu *breche*; (lege bresce) cui resistunt *recessus* (reductus, receptus interni & receptacula, scilicet *ritirate* & *ridotti*.) Vallos istos, seu sudes, imo vallo præfixas, vocant *palisádes*. Sunt autem

partes

partes valli: fossæ, loricæ, basis, (planta, pes) altitudo, latitudo, vertex, seu summitas, ambulacrum, succinctus, scamnum seu scabellum loricæ, margo seu labrum, acclivitas exterior, interior, &c. *Partes propugnaculi*: rostrum, humeri, latera, alæ, linea faucium, defensionis; angulíque varii. *Scarpa* est ima muri declivitas, seu curvatura, (murus à summo leviter inflexus) *contrascarpa*, pars fossæ mœnibus adversa; *mina*, seu *mine*, cuniculi; *contramina*, contrarius cuniculus, seu transversus meatus; & sexcenta horum similia. Quis enim nescit, teri hæc vocabula: *balabarda* pro hasta bipenni, *compagnia* pro turma seu centuria, aut cohorte peditum, (quorum instructor *sergente*) *squadra* pro equitum; *garnison*, vel *guarnison*, pro præsidio; *spia* pro exploratore; *alliance* pro fœdere; *avanguardia* pro fronte exercitus, seu agmine primo; *retroguardia* pro tergo exercitûs, seu agmine novissimo; *bataglia* pro acie & pugna; *embuches* pro insidiis; *caporale* pro decurione; *colonello* pro tribuno seu chiliarcho; *archibugiéro* pro sclopetario; *ingegnéro* pro machinatore; *cannóni* pro tormentis; *pistóla* pro fistula ferrea minore; *moschetta*, seu *mosqueta*, pro majore (manuaria;) *cornetta* pro vexillo equestri; *impressione* pro assultu; *bagage* pro impedimentis; *baracche* pro castrensibus tuguriis; *guardia* pro statione militum accubantium; *truppa* pro equitum globo; *ronda* pro circitore; *salvaguardia* pro milite custode & tutore datæ fidei; *salvo condotto* pro fide publica, (assertitiis literis, liberi commeatus tessera;) *venturieri* pro honorariis bellatoribus; *armada* pro exercitu; & hujus farinæ infinita. Vide Indic V. Militaria vocabula. Nunc quid sit *flotta* seu classis navium, videamus, earúmque pugnam.

Navale prælium. *Navale prælium* (*naumachia*, pugna maritima) est terribilius; nam ipsum inimicum est mare: in quo plerúmque ita pertinaciter pugnandum, ut aut vincendum, aut pereundum. Quid enim horribilius, quàm cùm adversæ classes utrinque tonant & reboant, littora circumtonant, igne & fumô cœlum obducitur, omnia præsentem intentant mortem? Hinc naves quassantur aquis; inde bellicarum machinarum ictibus perforantur, incenduntur, comburuntur; vel colliduntur inter se, rostrísque & harpagonibus implicantur: classiarii in hosticas triremes per foros & transtra transiliunt, & omnia cædibus ac sanguine miscent. *Deterguntur*, seu detergentur, hoc est, franguntur remi, rumpuntur navigiorum compáges & merguntur: trunca fluitant tabulata, & cum iis cadavera: *vel* vadis impacta, vincuntur non pugnandô: *vel* armamentis nudata, sorbentur: *vel* scopulis allisa, aut tormentorum globis lacerata, fatiscunt & subsidunt. Fit etiam, ut, admotis bellico pulveri fomitibus, suasmet naves incendant: aut ultrò in mare desiliant, feliciùs luctaturi cum vadis, quàm cum hostibus. Quæ pestis est illa, quámque formidabilis, cùm naves incendiariæ, cuniculis & ollis, varióque ignium pabulô instructæ, cœcô seu fomentariô igne gliscentes, libratóque & attemperatô in temporis ac spatii præmensi fomite igniariô, paulatímque serpente, flammam repentè evomunt, cùmque ea lapidum, catenarum, globorum nimbum; aut ventis in adversam classem delatæ, obvia quæque ardendô corripiunt, latéque incendium & stragem spargunt. Quid quòd navium aliquæ prætendant è proris horrenda verúta; latas aliæ acutásque secures, terrorem ubique circumferentes & cladem.

Navis, quâ *Archithalassus* seu Præfectus rei maritimæ,

timæ, vulgò *Amiralis* seu *Almiralis* vehitur, *Prætoria* dicitur: *Proprætoria*, in qua ejus Vicarius; *Præsidiaria*, in qua excubiæ. *Frumentaria* seu annonaria, aut annotina, in qua commeatus advectatur; *Pyratica* (prædatoria) est pyratarum, qui pyraticam faciunt prædandô per maria; quibus profligandis & intercipiendis, illa secantur decussatim navium bellicarum cursibus, & obeuntur ac permeantur velificatione omnem in partem facta. Navales copiæ partim tormentorum strepitu, partim propositis ex alto vexillis, partim collucentibus ignibus omnia inter se significant; quæ si, in mari occurrentes, antennas *demittunt*, signum est *submissionis*. Alicubi, fluminum seu *flumentaneis aggeribus* (hoc est, undarum obicibus & viatorum itineribus) perfossîs & perruptîs; immissísque per scissuram seu apertionem aquîs, inundantur agri; ibíque concurritur infestis navigiis & ratibus; viæque commeatuum intercluduntur terrâ, aperiuntur aquis, ut illud Poëtæ repetas:

Non te decipiat ratibus navalis Enyô,
Et par unda freti; hic modô terra fuit.

Desiderius. Enimvero infernalium furiarum una Bellona est, cui ad perditionem

Par via, sive salô; par via, sive solô.

Sed nunc aliquid, vel summatim, de veteri militia; cujus antiqua verba novæ sunt accommodanda. *Mercurialis.* Tanquam si Neoptolemus quidam velis evadere, contrà quàm antè præ te ferebas, ita perquiris multa de Polemicis; indicabo, quæ legi, meminíque; sed tu quoque memineris, Veteris militiæ distributionem & rationem, aliam sub Regibus Romanis; aliam sub Consulibus; aliam sub Imperatoribus fuisse. Nos, quæ de militia Romana universim dici queant, insistentes vestigiis Viri doctis-

doctissimi, Justi Lipsii, cum eodem in quinque contrahemus capita, quorum primum est

Delectus Militum.

HOste vicinô, aut repentinô aliquô periculô imminente, raptim capiebant Milites, quos vocabant *Subitarios*. Qui nominatim citabantur; vel fuerunt *Volentes* seu *Volones*. Proni, Spontanei; vel *Refractarii*, militiam detrectantes. Ille respondebant ad nomen; isti silebant. Caussæ renuendæ militiæ 1 *Vacatio* ab ætate, cùm ea supra annos 50; aut ab *honore*, ut si quis in Magistratu, aut Sacerdos. 2 *Emeritum*, cùm quis viginti stipendia complevit. 3 *Morbus* aut *vitium*. Equites *transvectione* seu *traductione* delecti. Finitâ conscriptione, adigebantur sacramentô; Tribunis concepta verba præeuntibus. *Socii* appellati, qui fœderati (vulgò Confœderati) & consortes armorum, gratis militantes. *Auxiliares*, qui mercenarii. *Evocati* rogatione & precibus sumebantur, quippè *veterani*, & in gratiam Ducum militaturi. Plerúmque hi ducebant ordines, unde Ductores (Græcis Taxiarchi) appellati, minores majorésque, & duplex stipendium accipiebant, inde Duplarii. Centuriones pro insigni *vitem* gestabant. *Conquisitores* in agris indagabant & conquirebant juventutem. Sub Principibus non erat *Delectus*, sed *Indictio* Militum, pro opibus cujúsque & agris.

Ordo militaris.

GEnera *peditum* erant quatuor. *Velites*, leves, & in fronte, ac eminus telis jaculatoriis pugnantes; nonnunquam veloci saltu jungebant se equitibus, celerique motu delabebantur equis. *Hastati*, spiculis, hastis, & contis utebantur. *Principes* ante

ante & circa signa gladiis dimicabant. *Triarii* seu Tertiarii (quòd in acie, tertiô ordine, dicti) extremis in subsidium deponebantur: Unde & Subsessores dicti, quòd alterô genu subsidebant; quorum in legione erant sexcenti, stabilibus (hoc est, non missilibus) hastis instructi, si Lipsio & per ipsum Livio credimus. Aliter Vegetius de his loquitur, qui *Principes*, hoc est, veteres & exercitatos Milites in prima acie (nempe mutatâ Rep.) collocat; quos & *Antepilanos* vocat, quia *Pilani* seu *Pilati*, hoc est, sagittarii, & missilibus telis utentes post ipsos in media acie stabant. Denique Triarii, qui plerúmque tantùm in rebus desperatis consurgebant in arma; hinc adagium: *Res ad Triarios rediit.*

Cæterùm Legionum numerus erat varius, aliquando 3000, aliàs 4000, aliàs 6000, & 700 equitum. Communiter Legio Centurias habebat 60, manipulos seu Contubernia 30, Cohortes 10, (quarū singulæ tres continebant manipulos, Hastatos, Principes, Triarios; Velites solebant comitari manipulos, & ante aciem pugnare) adeóque in Cohorte erant homines 420, in manipulo 120. in Centuria seu Ordine 60. Si pleniores manipuli, plenior & ipsa Legio.

Equitum Legionaria divisio fuit in 10 turmas. In una turma 30 equites, Decuriæ ternæ. In Legione turmæ decem seu equites 300. Socii dicebantur *Alæ* seu *Cornua*, quia plurimùm, ut alæ in avibus, corpus illud Legionum tegebant, hinc *Ala* seu *Cornu* dextrum & sinistrum, tam equitum, quàm peditum, qui inde *alares* & *alarii*, quô tamen nomine plerúmque appellati equites & legionarii pedites.

Inter Centuriones primus seu præcipuus erat *Primipilus*, cui *Aquilæ* tutela commissa, unde Primipi-

laris,

laris. *Tribunus* Legioni præerat. Centuriones sibi deligebant *Optionem*, seu Succenturionem & Vicarium. *Legati* Imperatoribus adjuncti erant ad consultandum. Ducum supremus, *Imperator*, qui *Ductum*, cùm ipse intereft, habet; *Auspicia* verò: cùm alius rem gerit, illô mandante; & *Fortunam* ac *Deos* suos commodante; cujus ornatus *paludamentum*, & insignia, lictores cum fascibus.

Arma.

LEvis armaturæ fuerunt *Rorarii*, quòd primi, ineuntes prælium, densis telis velut imbrem rorabant. *Accensi*, quòd ad censum Legionum adjiciebantur. *Ferentarii* à ferendo auxilio dicti, vel quia fundis & lapidibus pugnabant, quæ tela feruntur, non tenentur. Funditores seu Fundibularii fundis lapides jaciunt; (iidem libratores) *sagittarii* sagittas, tragularii tragulas (genus sagittarum oblongum;) *Velites* jaculabantur hastas velitares, seu hastulas, quarum septenæ manum implebant, digitali crassitudine, trium pedum longitudine.

Arma Romana consueta: *scutum* quadratum & oblongum, plerúmque imbricatum, seu cavè inflexum; *clypeus* cavus & rotundus, cujus pars in medio eminentior, *umbo*; *parma* itidem rotunda, sed minor; *pelta*, seu *cetra*, in modum lunæ dimidiæ, (scutum Amazonium.) *Ancile* ab omni parte accisum & rotundum. *Pilum*, jaculum missile, trium ferè cubitorum, ferrô uncinatô, seu tricuspide. *Cassides*, seu galeæ; *ocreæ*, (ferrea pedum munimenta;) *lorica*, loricula; unde galeati, loricati, clypeati, scutati, peltati, cetrati, gladiati, &c. A gravioribus armis gravis armatura; à levioribus levis armatura dicitur. Olim leves equites, qui nudi & inermes præter jacula; graviores, qui arma-

armati & frenati: *Desultores*, ut dixi, ex uno equo in alium transiliebant mirâ celeritate. *Cincti* seu trabeati equites dicti, veste duntaxat cooperti, & super eam cincti, manu contum præferentes, unde *Vegetio* contati. Alii *cataphracti, loricati.*

Acies.

IN hac sunt intervalla ordinum, viæ, spatia, post Velites hastati; post hos, Principes; post istos, Tertiarii seu Triarii. (tenentes scuta innixa humeris hastas surrectâ cuspide in terra fixas sinistrô crure exporrectô.) Qui ante signa pugnabant, dicti *Antesignani*; qui post ea, *Postsignani*. Præter Aquilam, summæ hastæ insistentem, habebant in *signis Lupos, Minotauros, Equos, Apros, Porcos, Dracones*, &c. unde Aquiliferi, Draconarii, &c. *Equitum* erant *vexilla*, vela quædam quadra, expansa ad hastam; hinc vexillatio, eorum ala; Imperatorium vexillum grande, postera ætas *Labarum* dixit. Signis in hostem jactis, acies jam fluctuantes, aut recedentes, fuêre restitutæ & impulsæ. Imperator in media curabat acie; Centuriones juxta suam quisque centuriam, & quidem à fronte, quorum *Optiones* à tergo. *Desertor* erat, qui longiùs, quàm unde tuba exaudiri posset, excessisset è castris. Præter *aciei* formas suprà memoratas erat *Cuneus*, (unde cuneata) cùm angusta in fronte acies, trigoni figurâ, paulatim se retrorsum pandit, unde & rostrum & caput porcinum, Græcis Delta Δ. 2. *Globus* erat ab acie separatus, vagô superventu incursans inimicos. 3 *Forfex* seu *forceps*, contraria cuneo, litteræ V formam exprimens, cujus usus ad cuneum solvendum & atterendum. 4 *Turris*, ordo militum in quadro. 5. *Serra* præliaris, cùm assiduè acceditur, receditúrque, neque ullô consistitur tempore, modò

scilicet hostem invadendô, modò resiliendô. Ad aciem pertinet *allocutio* Imperatoris ad milites; vel retinendô nimis aut præproperè gestientes; vel impellendo tardantes & timentes. *Approbatio* militum, & adjussa assensus, clamor, dextræ sublatæ, concussio armorum, hastis feriendô scuta; item sublatio scutorum cum crepitu motorum; *Improbatio* per fremitum & mœstam taciturnitatem. *Classicum* dicitur, cùm signa omnia pariter canunt, & militem vocant, incitántque ad pugnam. Erant vero litui, tubæ, cornua, buccinæ; quæ qui inflabant, universè dicti æneatores; Tympana Romanis non in usu. Classicum excepit *clamor militaris*, imminente jam conflictu; cujus cùm inventor fuerit Pan; hinc *Terrores Panici*. Signum præterea tam pugnæ, quàm itineris, tunica russa in Prætorii fastigio extensa. Aliud signum ante ipsam pugnam ab Imperatore datum, unô alteróve verbô. v. g. *militemus; felicitas; palma, &c.*

Disciplina.

Est Præsciptum & Lex quædam militandi, & in militia se gerendi: & quia Castra sunt Gymnasium, Palæstra, ac sedes disciplinæ, ideò ab iis exordiendum. Fuére *castra duplicia: æstiva*, quæ & mobilia expeditionis tempore. Si paucæ in Castris agendæ noctes, *Mansiones* dictæ; si diutiùs subsistendum, *Stativa*. Et *Hiberna* (hiemalia, hibernacula) quæ per hiemem, & in diuturna mansione, & hæc in oppidis; aut instar oppidorum structa; illa sub pellibus; *Procestria* ædificia ante Castra prolixis, advenis, mercatoribus, &c. In parte supera Castrorum & infera erant diversæ *metationes*, (Lipsio *metatura*) tentoria, viæ castrenses, fossæ, vallum, portæ; quarum maxima, *Decumana*. Porrò ad

ad disciplinam spectant 1 *Munia.* 2 *Exercitia.* 3 *Leges.* Ad primum pertinent partitio manipulorum ad ministeria, *excubiæ* diurnæ, vigiliæ nocturnæ, (quaternæ, in ternas singulæ horas divisæ) harum *circuitio* seu lustratio; malè iis, qui dormientes aut loci desertores inventi fuerint. *Festus Procubitores* vocat, qui noctu custodiæ causâ ante Castra excubabant. Circitores lustrabant vigilias. Tesserarii distribuebant tesseras, seu tabellas ligneas, certis verbis aut symbolô notatas.

Ad *Secundum* quod attinet, Exercitia erant triplicia. 1 Oneris; ferre scilicet in agmine *cibum* plus dimidiati, & sæpe totius mensis; *Utensilia*, præter hastam & scutum, gestabant serram, corbem, rutrum, securim, lorum, falcem, catenam, ollam, veru; hæc enim necessaria ad pabulandum, lignandum, muniendum, ad captivos vinciendos, & victum. *Vallos* ternos aut quaternos ad vallandum. *Arma*; pendebat galea à dextro humero ad pectus, scutum in sinistra; in eadem, pertica cum sarcinis; sub dictis oneribus, compositi & ordinati ibant in agmine, non viæ tantum, sed pugnæ apti. Cùm Castris discedendum, ter signum datum, ut in procinctu essent, vel procincti; ad *Primum* tabernacula detendebant, sarcinas componebant, vasa colligebant, unde *vasa conclamari*. Ad *Secundum* imponebant sarcinas jumentis; ad *Tertium* procedebant, movebant Castra; quæ ut metatores metati fuerant locis certis, ibi ponebantur: *Exercitia Operis*, in variis castellis & munimentis exstruendis, fossis ducendis, circumvallationibus faciendis, machinis conficiendis, viis sternendis, pontibus fabricandis, &c. per fabros lignarios, structores, carpentarios, ferrarios &c. Quibus accedebant *Exercitia armorum*, dum *Tirones* bis in die

exercebantur: *Veterani* semel; quorum instructor *Plinio campidoctor*; hujusmodi erant *Ambulatio*, videlicet celeritas in ordinato incessu sub signis & armis; & æqualitas, ut suis justísque intervallis. *Decursio* quoq; ad tubam facta, & ad eandem revocata. *Saltus*, ad fossas transcendendas altitudines superandas, transiliendas. *Natatio. Palaria*; dum palum in terram fixum, hinc illinc tiro affiliebat, & variis ictibus, astante magistrô, petebat, quod pertinebat ad *armaturam gravem*. Sed armatura *levium* fuit, missio hastilium, jaculorum, pilorum, sagittarum; torquere & vibrare sudem; *salitio* spectabat ad equites, qui didicerunt saltare in equum ligneum, cursus, flexus, orbes, aliáque facere.

Pars ultima disciplinæ militaris, *Leges*. Furta severè punita; peditum stipendium in mensem denarii 10, Philippéus noster. Postea ascendit ad aureum, hoc est, denarios 25. Duplariis seu duplicariis duplex stipendium dabatur; equitibus triplex, nempe denarii triginta, tribunis quadruplex. Addebatur dimensum ex frumento; pediti menstruum quatuor modii, equiti duodecim, præter hordeum. Quibus accesserunt additamenta in sale, leguminibus, caseo, suilla salita; etiam veste. Stantes ferè prandebant & quidem cibum sine igne. In cenam, assam elixam ipsi sibi coquèbant; quandóque panem subitum & subcineritium; aliàs pultem, unde *Planto pultiphagi*. Potus aqua, interdum acetô mixta, quòd *poscam* vocant. Duo erant *præmiorum* genera. *Minora*, ob cæsum aut dejectum hostem data; *Majora*, ob civem servatum. Si quis extra ordinem, aut in singulari pugna, (monomachia) ut in excursione aut velitatione; aut tali tempore, in quo nulla necessitas fuerat viritim periclitandi, sponte se & ultrò eò

dede-

dederat, hostémque percusserat, hastâ donabatur purâ, hoc est, sine ferro. Qui verò hôc amplius, hostem dejecerat, aut spolia legerat, pediti quidem phiala seu armilla; equiti phaleræ, ad pectus demissæ dabantur; torques ambibat ipsum collum. Majora dona, *coronæ*. *Civica* servanti civem, è quercu seu ilice texta; *obsidionalis* obsidionem solventi, è gramine, quia herbam porrigebant victi; *muralis* primò omnium in murum hostilem evadenti, ex auro; uti & *castrensis*, primo, in hostium Castra penetranti; quæ & *vallaris*. Quarta *navalis*, aurea, primo in hostium navem armatâ vi transilienti, quæ à rostris dicta *rostrata*; quibus coronis domi in ludis & pompis conspicui erant. In ædium verò conspectissima parte ponebantur spolia, arma, & exuviæ hosti detractæ; suspendebantur quoque & affigebantur postibus ipsis & foribus, in transeuntium aspectum; quæ affixa revellere, aut refigere, aut tollere non licuit, etiam alienatis ædibus.

Quod ad *pœnas* attinet. In *castigando* tria fuerunt imperii & juris Tribunorum. Primò *mulctam* dicebant; deinde *pignus* capiebant, denique *verberibus* castigabant. *Verberatio* fiebat *vitibus* & *virgis*, itémque *fustibus*; unde fustuarium; & pœna fustuaria, quæ aliquando ad mortem; ut siquis mendaciô strenuum aliquod factum suum referret, honoris prœmiíque causâ; si in præsidio aut statione positus desereret locum; si aliquid armorum, in ipso discrimine, per metum abjiceret, &c. Quod si plures peccarent, fiebat *Decimatio*; interdum *Vicesimatio*; imò & *Centesimatio*. Præter castigationem erat *ignominiæ* pœna; ut si hordeum pro tritico datum in cibum; si ære privaretur quis, & stipendium non procedebat; talis dicebatur *ære dirutus*. Si *extra vallum* & Castra juberentur tendere; si

discincti, & turpi habitu prostituti; si jussi *mutare militiam*, quod est, ab honestiore genere in humilibus transcribi, &c.

Post confecta stipendia, (pedes 20, eques 10) *mittebatur* miles, liber deinceps & immunis. Justa *missio* duplex *Honesta*, quæ emeritis dabatur; *causaria*, quæ ob vitium, defectum, morbum. *Injusta missio* itidem duplex; *Gratiosa* per gratiam aut ambitum ab Imperatoribus impetrata, *ignominiosa* ob delictum aut crimen.

Machinæ bellicæ in oppugnatione. Restat, ut etiam aliquid *de machinis* dicam *bellicis*. Et quidem ad *oppugnationem* subitam adhibitæ leviores. 1 *corona cingebant*, capiebant, & expugnabant urbem, terrendô maximè & claudendô. 2 adhibita *Testudo* militaris; cùm scutîs super capita clatîs, muro succedebant, primis altioribus & ordine paulatim in morem tecti simplicis decrescente; alia testudo in *pugna*, cùm, globô factô & tecti scutis, invadebant & perrumpebant; alia in *repugnando*; cùm ab equitatu, aut levi armaturâ cincti, in orbem se muniunt, mediis altioribus, extremis undique desidendibus. 3 *Scalæ*; quarum quædam solutiles, compactiles, seu plicatiles, quæ plicari rursúmque explicari poterant; quædam *reticulatæ*, aut stupeæ, è facibus stupeis instar retis contextæ; ad quarum summitates, hami adjecti, ut murorum pinnas apprehenderent. Item *Tollenones*, quando una trabs in terram prælatè defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior, dimensâ medietate, connectitur, eô libramentô, ut si unum caput depresseris, alterum erigatur; in uno ergò capite cratibus sive tabulis contexta erat machina, in qua pauci collocati armati, qui per funes, unô depressô attractóque capite: aliô elevati, ponebantur in murum. 4 *Crates*, sive antelaræ, ut tegerent:

gerent: sive, ut fossas iis implerent. 5. *Vinea* seu gerra,(tectum devexum) è lignis levioribus colligatum, quam agebant, & sub ea procedebant, & ad muros subruendos arietem admovebant; cui ferè similes plutei è tabulis, asseribus, cratibus compacti; nec absimilis multùm testudo quadrata, ad tegendos fossores; *Arietaria*, (testudo) in qua aries suspensus; quibus omnibus *musculus* est minor, è lignis validis structus, ferro trifido ad murum, vel ad terram suffodiendam; in quem usum etiam adhibiti *vectes* & *dolabræ*, *secures* simplici acie, parte alterâ in mucronem acuminatâ.

In oppugnatione diuturna, primum erat *circumvallatio*; cujus pars prima, *vallum* 2 *valli lorica*, (accipitur hæc vox pro *tegmine* pectoris militari, & pro *munitiuncula*, & pro *murulo* in ambitu valli; itémque pro *sepimento* è cratibus & tabulis; nec non pro *peribolo*, & supera structura ædium.) 3 pars, *cervi*, seu ramosi trunci arborum ad coërcendam terram vallorum; iidem præfixi fossis & vallis, viæ impediendæ aut obstruendæ. 4 *turres*, quæ toti operi circumdatæ. *Munitio exterior oppugnantium.*

Interior munitio (versùs oppidum) habebat primò *fossas*; deinde *cippos*, seu stipites demissos & depactos, & ab infimo revinctos, ne revelli possent; prætera *lilia*, seu foveam instar lilii in imo angustiorem præacutis stipitibus horentem supernè constratam viminibus ac virgultis, ad occultandas insidias. Insuper stimulos, seu *taleas* ferreis hamis infixas, in terra defossas ad iter impediendum. *Interior.*

Jam ad *oppugnandum alia structa opera*. 1 *agger*, sive è terra, lapide, ligno aggestus tumulus; seu congeries arboribus firmata, cujus latera erant cancellatim lignis directis, transversisque variè ligata; *Alia ad oppugnandum opera.*

 quæ

quæ muris paulatim admovebatur, producendô opus; in aggere *turres*, rotis labentibus actæ, in fronte ferratæ, munímen contra ignes; aliàs prætenti centones, coria, floreæ; in turribus, *milites contati*, & *sagittarii*, qui defensores urbis contis, missilibus, saxisque prosternebant, pérque scalas & *sambucam* (scalam è restibus contextam, fulcris subrigendam) evadebant in muros, ínque eos per pontem (qui *exostra* vocabatur) de turri repentè projectum insiliebant.

Tormenta bellica Veterum. Sequuntur *tormenta*; & inter ea præit *aries*, qui erat trabs prægrandis, ferrô munita in capite (quod & *rostrum* dicitur, aliàs trifidum, aliàs quadrifidum) suspensus ex alia trabe, velut trutina, repetitis virorum ictibus impulsus, ad juncturas murorum penetrandas ac findendas, & lapides emoliendos. *Catapulta*, omnis generis jacula, etiam tigna, effundebat; *ballista* jaciebat saxa; utráque machina non *funibus* tantùm *nerviniis* intenta fuit; sed *vectibus* quoque & *suculis*; nonnullæ *polyspastis*; (trochleis plurium orbiculorum) aliæ *ergatis*; quædam etiam tympanorum rationibus torquebantur. *Scorpio* secundùm *aliquos*, ballista manuaria, cujus arcus similitudinem á chelis caudæ scorpionis habeat; *alii* putant, sagittas ipsas, sive minores, sive majores, ita vocatas, quòd *venenum* aut lethalem ictum intra cavatum mucronem continerent. Rem cum *Lipsio* in medio relinquimus. *Helepolis* (arietaria machina, non multùm absimilis *musculo*, sed longè major ab urbibus evertendis nomen acquisivit, cujus operâ Demetrius Antigoni, *Poliorcetes*, (expugnator urbium) cognomentum invenit; ars ipsa *Poliorcetica* (machinalis, oppugnatoria.)

Funda erat funiculis in medio latior, ut ibi lapis contineatur: (quæ pars fundæ, *habena* & *scutale* dicitur)

citur) ovali formâ, & paulatim in strictius abiens, ad emissionem rotatus, & circumactus circa caput, alterô ejus capite cum ansula, ne exeat, retentô, alterô dimissô: *fustibalus* vox est novitii ævi; *funda* à fundendo seu jactando lapide, *librator* & *funditor*, qui eâ utitur. *Jaculum rude*, sine ferro; ut *sudes*, lignum in capite acutum leviter, & igne duratum; *faces* erant urentes quædam hastulæ è picea, tæda, larice, &c. *Præpilata missilia* triplici significatu; *quæ* habent ferreas cuspides; & *quæ* sine ferro sunt mucronata; & *quæ*, pilæ instar, obtusô acumine rotunda. *Jacula ferrata*, pluria & multigenera sunt. *Hasta* dicitur tam de grandi illa, quâ cominus utuntur; quàm de leviore, quam eminus jaculantur. *Lancea* seu *sarissa*, hasta longior, seu ratione hastilis, seu spiculi. Est item spiculum venabuli & jaculi; *lanceola*. *Gesum* olim Gallorum, idem quod *pilum* Romanorum; *Contus* longè feriens. *Tragula*, validum telum *hamatum*. *Securis* ferrô crassô est, utrinque acutô; etiam missilis, & usui cominus quoque; *Martiobarbuli*, qui eô telô (cui penè similis bipennis) scienter & fortiter utebantur. Jaculum *amentatum*, amentô seu lorô circa medium, revinctum. *Aclis* (áclidis g.) exiguum & teres missile, religatum linô vel lorô, ut peractis vulneribus posset redire. *Sagitta* (calamus, arundo, spiculum, arma volatica) habet *alas*, *uncinum* seu hamum; *pharethra* ejus theca; arcûs *corytus*; in arcu *nervus*, *cornua*, *crena*, (incisura sagittæ) quâ nervum admittit; *uncus* seu *fibula*, (eburnea osseáve) quæ *epizygi* immittitur; hæc verò est foramen arcûs. *Verutum* est spiculum tenue & longum, aptum forare. Et hæc de oppugnatione.

Repugnabatur contra testudinem saxis & ponderibus; quòd si pars aliqua leviter cessisset, contos & lan- *Modus repugnandi.*

Zz 5

lanceas inferebant, donec, compage scutorum soluta, jam intutos lapidibus, pilis aliisque missilibus prosternebant; si per ipsam testudinem tamen scanderent: ii verò, gladiis & armorum incussu præcipitati, sudibus & pilis obruebantur. *Contra scalas* & ascensum, *furca* usurpatæ perticâ longiore. *Item* liquida aut liquefacta, oleum fervens, pix, sulphur, bitumen, plumbum; nec non *clypei* ærei, fervidâ arenâ repleti. Sparsi quoque rumices & tribuli; *dolia* quoque saxis farta, & cum impetu demissa; *cylindri* etiam volubiles per pronum labentes; *trabes* insuper, axe vinctæ, per declive incitatæ; *currus* etiam quadriroti, ponderibus onusti, dejecti, & lapides majores minorésque. In omnes machinas è ligno valuerunt saxa & ignes. Hastæ ardentes tormentis adigebantur, quæ propriè *falaricæ* aut *phalaricæ* dictæ Aggeres eversi consumptive cuniculô aut igne; aliive oppositi. *Contra arietem* centones, & culcitæ paleis plenæ, ut vel aberrare facerent ictum, vel vanum redderent, mollitie & laxitate fractum. Laqueis quoque frontem arietinam excipiebant imminentem; idem remedium contra *falces*, quibus lapides è muris extrahi soliti, *Lupô* etiam seu *Corvô*, (ferrum in modum forficis erat dentatum) funibus illigatô, arietem aut averterunt, aut ita suspenderunt, ut impetum non haberet feriendi; quem *deprimebant* aut frangebant ponderibus grandibus supernè incussis aut injectis, dum magnas trabes, longis catenis adaptatas, à capitibus utrinque suspenderant ad duas antennas, super muros inclinatas & extensas, quas deinde sursum trahebant, attollebántque obliquas, & quoties invasura machina esset, ictúmque datura, dimittebant luxatis catenis, manúque remissâ. Quod si tanta vis fuerat, ut murus

murus arietibus perfoderetur, & decideret; destructis domibus alius intrinsecus murus addebatur, qui, priore fallente, hostes moraretur, & includeret perimendos. *Contra ballistas* & catapultas erant coria, cilicia, vela, molliter suspensa, quibus vim excipiebant & frangebant; quæ aquâ humectata, aut acetô, etiam contra ignes valebant. Sed dudum in his prolixior fui æquô, quia tu petacior justô; nunc ad alia. *Desiderius.* Mirum quòd nihil de Triumpho. *Mercurialis.* Solus hic quot impleat paginas; dimoveamus tandem hinc pedem. *Desiderius.* Magni Augustini votum occurrit mihi, desiderantis videre Romam triumphantem, Paulum concionantem, Christum in terris ambulantem. *Mercurialis.* Magna petis, & quæ non viribus istis conveniunt. *Desiderius.* Vel rudi ductu delinea. *Mercurialis.* Importunus rogatores, alia petis, alia postulas, alia eblandiris, alia exurges.

Triumphus concessus erat nemini, nisi quinque hostium millia unô congressu fudisset, nec victoriâ admodum cruentâ. *Victoris* rebus gestis in æde Bellonæ extra urbem cognitîs decretóque Triumphô, militibúsque ob virtutem donatîs, factóque sacrificiô, *Imperator* in currum ascendebat, in hæc verba precatus: *Dii, nutu & imperiô quorum, nata & aucta est res Romana, tandem placati, propitiíque servate.* Ingredienti urbem Triumphatori omnis ordo, ætas, sexus in veste candida in gratulationes & gaudia effusi, ad eum videndum excipiendúmque se foràs dabant. In *prima pompa*, & velut in fronte agminis præportabantur simulacra montium, fluminum, oppidorum atque urbium, belli jure acquisitarum. Gestabantur item tabulæ, in quibus elementis uncialibus perscriptus navium captarum, urbium expugnatarum, in fidem receptarum, tributô affectarum, gentium debellatarum, Regum devictorum nomi-

Triumphus.

nomina, qui *Tituli* dicebantur. *Succedebant* hostilibus spoliis & armis onerata plaustra, cum signis militaribus non erectis, sed jacentibus. *Deinde* varia tormenta bellica & muralia cum rostris navium, falcati currus, insignes clypei, lecticæ aureæ, signa, vasa aurea, argentea, ænea; res raræ, peregrinæ, è domitis & longinquis regionibus visu admirandæ. Erat insuper videre elephantos, equos captos, obsides. *Sequebantur* tubicines, modos triumphales facientes. *Secundùm eos,* boves albi, cornibus inauratis, vittis ac fertis evincti ad sacrificium Jovi; dextrâ lævâque popæ succincti, aureas argenteásque pateras præferentes. *Inde* Tribuni militum Centuriones, Præfecti, Equites ac Pedites insigniores, donis & spoliis cohonestati, lauróque tempora vincti, clamantes, *iô triumphe*: Imperatorémque magnis vocibus collaudantes.

Simul autem de foro, *versus Capitolium*, currus triumphalis flectebat, *Duces* hostiles in carcerem abduci præcipiebat Imperator, ubi vel æternis in *vinculis* retinebantur, vel *securi* statim feriebantur. *Coronæ* quoque aureæ, quibus urbes sociæ populíque fœderati Imperatorem ob virtutem & honoris ergo muneraverant, præferebantur à ministris ferta oleágina gerentibus. Præterea, currum *præcedebant* cum coronis *citharædi* & tibicines eximii, in quorum medio quispiam talari vestimentô opertus, qui *gesticulationibus* & dicteriis risum concitaret. Tantus denique apparatus erat Triumphi, & tanta rerum visendarum copia, ut aliquando noctes & dies, totúmque triduum eô ducendô consumeretur. Ipse *Imperator*, præeuntibus lictoribus, veste Purpureâ, auro intertextâ, fulgebat, quali extra hanc pompam nemini fas uti, caput revinctus coronâ laureâ, tenens unâ manu ramum laureum, alterâ sce-

sceptrum eburneum: Currus ipse fuit inauratus, gemmis distinctus, turri rotundæ similis, duabus rotis sustinentibus, Deorum imaginibus mirè decoratus; ponè *minister publicus* auream coronam lapillis coruscantem sustinens, Imperatorémque admonens, uti respiceret, id est, reliquum vitæ spatium provideret, ne superbiâ tumesceret; hanc coronam Triumphô perfectô in gremio *Jovis Capitolini* reponebat, aut templis dedicabat, argumentô confessionis, eam victoriam Deorum esse donum. Appendi quoque solita *tintinabulum* & *flagellum*, quibus symbolis admoneretur, sequoque in calamitatem devolvi posse. Accipiebantur in currum parvî quoque liberi ac nepotuli; si grandiores essent, equis currui subjunctis impositi, à cognatis & affinibus sustentabantur, ne deciderent; si plures, singulis insidentes equis, currum prosequebantur, quem trahebant *equi candidi* quatuor.

Sic ornatus Imperator per *Triumphalem Portam* ad Capitolium ascendebat; *post eum* captivi, servitute exempti, libertate donati, omnes capitibus rasis & pileati. *Tum* victrices legiones per turmas laureatæ, Imqeratorem prædicantes, versus quoque lascivos & inconditos in eum jactantes. *Tota via*, quâ Triumphus ducebatur, aulæis ad parietes suspensis ornabatur: spargebantur flores & odores undique: utrinque sedilia & tabulata, seu ponticuli, pro spectaculis disponebantur: &, quò esset aptior expeditiórque via, *ministri* baculos inauratos ferentes turbam è medio submovebant. *Delubra* imminentia patebant, intenta sertis & suaveolentibus repleta suffitionibus. Ibi vota & preces concipiebantur, ibi hostiæ immolabantur, & Diis gratiæ agebantur.

Post-

Postquam advectus esset in Capitolium, gratiarum actionem his verbis effari solitus est:

Gratias tibi Jupiter, Opt. Max. tibiq; Junoni Reginæ, & ceteris hujus Custodibus Habitatoribúsq; arcis, Diis, lubens lætusque ago, re Romaná in hanc diem & horam per manus, quod voluistis meâs, servatâ, benegestáque: Eandem & servate, ut facitis, fovete, protegite propitiati, supplex oro.

Tum magnâ ceremoniâ *victimæ* cædebantur, & *corona* aurea, cujus antè meminimus, cum pretiosis manubiis & spoliis opimis Jovi dicabatur. Postea *epulum* conquisitissimum dabatur; *invitati Consules* mox rogabantur, ne venirent, ne eô die honoratior triumphante appareret inter illas epulas.

Genus fuit minoris Triumphi, *Ovatio*, cui nomen ab Ovibus, quæ coronatæ ante Ducem agebantur, & exactâ pompâ sacrificabantur. An satis tandem de re militari? *Desiderius.* Omnia dixisti. *Mercurialis.* Ohe Omnia! Ubi mos indicendi belli per fecialem, missâ versus aut in hosticum hastâ sanguinolentâ? Ubi, in oppugnatione urbium, evocatio Divorum Tutelarium? Ubi missio sub jugum è duabus hastis, tertiâ super eas transversim impositâ, erectum? Ubi venditio captivorum sub corona? Ubi artes Imperatoriæ Ducúmque militarium; & hujusmodi longè plurima? *Desiderius.* Obruunt me copia dicam, an Copiæ, id modò rogo, ut hinc me abducas. *Mercurialis.* I nunc, & Martem vel interrogandô lacesse. *Desiderius.* Abeamus. *Mercurialis.* Quorsum? *Desiderius.* Ducem sequor. *Mercurialis.* Sequere, quà Pietas & Religio vocat. A bello multa ducuntur *Adagia. v. g. Ante tubam trepidat. Cœlum territat armis. Telum ingens, necessitas. Primas hastas jactare. Et meum telum cuspidem habet. Epinicium ante victoriam. Vasa conclamare. Fors, domina campi. Cominus eminúsque, &c.*

CA-

Caput XCII.

Religio, seu Cultus Divinus.

Est hæc Virtus inter Morales præstantissima, quia propinquiùs attingit DEUM, dicta à religando, quipppe quæ nos DEO vinculô pietatis adstringit ac religat, dum ei, ut supremo rerum omnium Domino, cultum & obsequia nostra deferimus; sine qua nullum Regnum potest esse stabile, nulla societas humana rectè constituta. Ipsi Gentiles vitam nostram Religione constare dixerunt. Omnibus, inquit *Tullius*, innatum est & quasi insculptum, esse Deos; rectiùs dixisset DEUM. Et rursus; Nulla gens est neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendũ sciat. Quod quidem vinculũ adeò necessarium est in Republica, cognitio, inquam, supremæ omnium potestatis, quæ falli vitaríque non possit, ut sine hac neque Principes justè imperent, neque subjecti obedienter imperata faciant. Summa enim est ratio, quæ pro Religione facit; & quod in eam committitur, in omnium fertur injuriam; quid enim pretiosius & potius immortalitate animæ? Hinc alacritas additur ad mortem, & cetera omnia fortiter contemnenda ob præmium vitæ æternæ, & evitationẽ supplicii sempiterni; sed quia plures decipiuntur specie boni & recti, facilis est lapsus in superstitionem, quâ aliquid supra convenientem Divini Numinis cultum statuitur, adeò que est exhibitio cultus vitiosi, qui vel non debetur; vel modô, quô non debetur; vel cui non debetur; de quo postea.

Religiosæ in Deum pietatis modus duabus continetur partibus, piorum certitudine Dogmatum, & re- *DEUS cognoscendus & colendus.*

& rectâ ratione secundùm eadem agendi; est enim Deus non cognoscendus solùm, sed & purè pièque venerandus cultu omninò singulari summóque, quem Græci λατρείαν appellant, tanquam supremus rerum omnium Dominus, Optimus, Maximus, Creator, Regnator & Gubernator universi; omnis gratiæ & gloriæ largitor; quem nullus effugere nec mente nec factô potest: cui nihil secretum, nihil clausum; fidelis Remunerator bonorum, justus Vindex malorum; quæ veneratio maximè consistit in Sacrificiis nulli non genti, quanquam superstitiosè usurpatis, si Hebræos excipias, & pauculos quosdam mortalium, quibus melior de cœlo radius illuxit. Est autem Sacrificium Oblatio DEO facta, per immutationem alicujus rei sensibilis, in signum & contestationem supremi super res omnes dominii, ex publica & legitima institutione; ut erant victimæ, & quæcunque in ara cremabantur ac consumebantur; victimarum appellatio oritur ab iis, quæ post victoriam de victis hostibus immolabantur, sive quòd vi ictûs percussa caderent: sive quòd vincta ad aras ducerentur; hostia quoque dictum est animal, mactandum pro hostibus aut profligandis, aut profligatis.

Sacrificium.

DEI Natura.

Cæterùm DEUS est Unus in Natura, Trinus in personis, summè bonus, justus, æternus, incorporeus, infinitus, immensus, immutabilis, *incomprehensibilis*, (*Plin.*) invisibilis, ineffabilis; per lumen gloriæ clarissimè intuendus, (*Theol. intuitivè seu intuitione cognoscendus*;) in quo præscientia possibilium omnium & futurorum; cujus Voluntas vel est Beneplaciti, ita nimirum efficax, nunquam ut suô frustretur intentô; vel signi, quâ præcipit, prohibet, promittit, suadet, operatur aliquid; & hanc suis legibus ac præceptis declarat.

In

In eo est Omnipotentia sine limite, Providentia sine errore, cuncta ad fines suos destinans, & singulis intimè insidens ac præsidens, propriámque cujúsque indolem formans, & ad congruas functiones dirigens. Rationalis tamen Natura sæpe Divinæ Directioni se non accommodat, suóque vivere cupit arbitriô, hinc omnis peccati atque calamitatis origo. Qui tametsi cupiat omnes homines salvos fieri, aliquos tamen antè destinat, (*Theol. prædestinat & præordinat,*) ad vitam æternam, dandô illis auxilia efficacia ad salutem consequendam; nemini negans sufficientia; quem singularem benevolentiæ affectum non exhibet reprobis, quorum Reprobationis causa est peccatum, ut vocant finale, seu in finem pertinax; pœna (vulgò damnatio) sempiterna.

Dei in sacris Paginis nomina reperiuntur potissimum decem. *DEI nomina.* 1 El, idest, fortis. 2 Elohim sive Elohe, Deus, providens, judicans. 3 Zebaoth, Virtutum seu Exercituum. 4 Eljon, Excelsus, 5 Ehjeh, AscherEjeh, sum qui sum. 6 Adonai, Dominus. 7 Jehovah, est illud Tetragrammaton, Hebræis non pronuntiabile. 8 Schaddai, munificus & per omnia sufficiens. 9 Agla, Infinita virtus. 10 Jah, DEUS. Unde hallelujah, Laudate DEUM.

Idem nullius quidem indigens, Ministros tamen sibi constituit Spiritus, nullâ corporis mole præditos. Quorum tres Hierarchiæ seu Acies & quasi *Tres Hierarchiæ Angelorum.* Exercitus; earum quævis in tres Ordines divisa, ac proinde novem sunt Chori: Seraphini, Cherubini, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, *Novem Chori.* Principatus, Archangeli, Angeli. Inter hos Superiores Inferioribus præstant dignitate & officiis: quorum multitudo longè major quàm hominum: conditi sunt ante mundum corporeum. Erant o-

mnes aliquando in via seu statu promerendi & delinquendi, unde pars descivit ab obtemperatione per arrogantiam, ideóque deturbati è cœlo in orcum, ubi torquentur cum hominibus sceleratis duplici pœnâ, Damni & Sensûs, quam secum sine ullo laxamento circumvectant, quocunque divagentur, æternum à Divino aspectu rejecti, & inexplicabilibus cruciatibus addicti, toríque & torquendi. Pars in recto persistens ita confirmata est, ut ampliùs Conditoris sui gratiâ nequeant excidere; quorum pauca nobis constant nomina, ut Michaël, Gabriel, Raphaël.

Cacodæmones. Lapsorum, quorum caput Lucifer, extrema in malo est obstinatio, & implacabile in DEUM ac homines odium. Carcer ipsorum in ipsis terræ visceribus, igne fumido, nec lucente, semper exæstuans; quibus appellationes variæ pro functionum & vitiorum, quæ promovent, diversitate, ut Behemoth, Astaroth, Belial, Asmodæus, Dæmones, Cacodæmones, Diaboli, Alastores, Panurgi, &c.

Vires Bonorum & Malorum Geniorum. Boni associant se piis, averruncandô ab iis noxia, mentem illustrandô, preces offerendô, consolandô, excitandô, revocandô, castigandô, tuendô; utrique (Boni malíque Genii) & seipsos & alia movent, apparéntque vel per phantasiæ illusionem; vel per apparitionem veram alicujus rei figuratæ & coloratæ; partímque ingrediuntur corpora, partim fingunt & effigiant illa ex aëre, vocésq; ac sermones efformant. Loquuntur inter se, dum alter alteri sua insinuat & manifestat arcana, ipsum illuminandô. Cognitio in iis naturalis subtilissima, judicii vigor ex operibus artium ac rerum civilium disciplinis acerrimus; potentia tanta, ut elementa permutent & concutiant; humores corporis humani, sensúsque & phantasmata variè miscent;

Mali

Mali etiam ludificant; ex radicibus herbarum gignentium ceterorum occultis, sed sibi, præcognitis viribus, inopina remedia & contraria detrimenta efficiunt.

Mali Spiritus, cum personam induunt alicujus malè mortui, dicuntur Larvæ: cùm homines aliàs terrent, Spectra: cùm infesti sunt Infantibus, Lamiæ: cùm tumultuantur per intempestam noctem, Lemures: cùm famulantur alicui veteratoriè, Lares, Penates, Spiritus Familiares: cùm in varias formas & metamorphoses abeunt, Empusæ; quibus tamen justus omnium Dispensator utitur ad salutarem probationem Piorum, ad meritam divexationem & tormentorum Impiorum. *Variæ Diabolorum larvæ.*

Quàm igitur stulti Epicurei, curam Mundi adimentes ejus Opifici, tanquam fatigaretur tumultu rerum, cujus infinita virtus lassari non potest, neque bonitas tædiô affici, neque sapientia cognitione assiduâ opprimi; neque providentia negotiorum mole languescere aut obrui. Qui cùm sit Conservator, Inspector, Rector, Provisor, & Moderator omnium, ita consulit singulis, ut universis; quem nihil fallit, nihil latet: qui per vaticinia & futurarum rerum signa, eventis omni ævo, comprobata, præmonet, quæ fieri velit, quæque vitari, Operis sui non Sustentator minùs quàm Fabricator. *Epicurei circa gubernationem Mundi.*

Quàm insani Stoici, qui ex connexione causarum naturalium catenant Fatum, cui etiam innectunt Motorem & Gubernatorem omnium; nam quomodo n ab eadem causa non eadem semper effecta, si indeclinabilis rerum series ordinem suum immutabili lege percurrit? Ubi voluntatis delectus & libertas? Ubi merita pœnarum & prœmiorum, si imposita mortalibus fatalis necessitas? Neque verò *Stoici.*

Præſcientia DEI facit, ut liberè contingentia fiant neceſſariò, quia prævidet; ſed quia fient, ideò præſcit.

Athei. Quàm veſani Athei, negantes DEUM exiſtere, illum, inquam, quem omnis rerum Natura Auctorem, Primum Motorem, Principium & finem ſuum prædicat, qui fecit nos, & non ipſi nos. Nam unde Cœleſtium motuum nunquam vacillans tenor: unde (ut taceam cetera) animantium multiplices ac mirabiles ſtructuræ & formæ, niſi ab illa Mente, quâ nihil aut majus, aut melius, aut ſapientius poteſt excogitari?

Machiavelliſtæ. Quàm vecordes Machiavelliſtæ ſeu Pſeudopolitici, Atheorum Productores & Eductores, qui autumant, Mundum humanis regi conſiliis; cùm ſapientiſſimè ſæpè excogitata infauſtiſſimos ſortiantur exitus, & callidiſſimi quiq; infelicitentur maximè; quorum præcipuum artificium hypocriſis & ſimulatio, nequitiæque mantelum Religio; qui modeſtiam dominandi mutant in libidinem deglubendi ſubditos: &; ſub pallio politico ſacris cenſibus, profanas augent opes, procul habitô DEO & conſcientiâ; cujus locô pro ſtatus conſervatione & ratione (ut loquuntur) erigunt Idolum, cui litant, Utile anteponentes Honeſto. Juſtitia & Pietas in Deum ac homines nomina ſunt illis, quocunque flexu invertenda; Res, ſi requiras, reddunt verba in fallaciarum Labyrintho nata, in omnem ſenſum dubia, in nullum certa.

Fortuna & Caſus. Quid jam putas Fortunam eſſe & Caſum, niſi accidentium rerum ſubditos atque inopinatos eventus, adeóque Fortuita, quæ cùm nullas habeant cauſas nobis cognitas, Deo ſunt notiſſimæ, cujus reſpectu nihil evenit temerè. Plebeja inſcitia eſt, ſorti imputare vel ſecunda vel adverſa: Gentilis error

& ſu-

& superstitio, eandem facere Deam, cœlóque locare. Tu si sapis, totum illi te committe, cujus potentissimæ & providentissimæ gubernationi nemo se potest subtrahere; hæc enim cum Divina mente conformatio & conjunctio fiduciam ingenerabit in terroribus, securitatem in periculis; in rebus afflictis tolerantiam, in exspectatione futurorum animi quietem.

Deus quomodo colendus.

DEUS est diligendus super omnia, & cetera propter Deum; huic ut inhæreas, per *Fidem* est tibi cognoscendus: ejúsque voluntas, quid fieri velit, exploranda; deinde per *Spem*, certissimis nixam promissionibus, concupiscendus; deniq; per *charitatem* præferendus rebus omnibus, & totô corde omnibúsque viribus amplectendus; ídque non verbis tantùm, sed factis; nam signum dilectionis exhibitio est operis. Quò spectat, preces & laudes ei persolvere, sacrificia offerre, vota nuncupare, & nuncupata perficere, ejus nomine juramenta concipere, eidem debitô servitiô se dare, munia Ecclesiastica obire, Decimas & Oblationes reddere, Dies Festos observare: amicos ejus cœlô jam receptos, peculiari cultu afficere. Jejunia suscipere, misericordiæ opera seu officia aliis impendere, &, quæcunque DEUS præcepit, sedulò præstare, quæque vetuit, vitare.

Falsus Dei cultus.

Et quia una & simplex est veritas, quot ab ea sunt deflexiones, tot sunt errores & Religiones supposititiæ, adulterinæ, falsæ. Peccatur verò adversùs sincerum Dei cultum vel excedendô, ídque per superstitionem, quæ duplex est; alia scilicet cultûs indebiti & incongruentis, ut si quis Judaicæ Legis ceremonias hodiè observet: ficta miracula pro veris venditet, vel superfluum & inanem, ut si quis jejunet die Dominica, aliáve faciat, præter Ecclesiæ

consuetudinem &c. Alia est, ratione rei cultæ, cùm scilicet cultus, vero DEO debitus, falso Deo vel rei creatæ defertur, quod fit per Idololatriam, Divinationem, vanam Observantiam & Magiam. Delinquitur deficiendô, irreligiosè agendô (*Theol. irreligiositatem* vocant) per Blasphemiam, quæ est contumeliosa de DEO Divísve locutio; per Sacrilegium, quod est, rei sacræ, Lege Divinâ vel Ecclesiasticâ, in cultum Dei destinatæ, violatio: (cujus species est Simonia, seu deliberata voluntas emendi aut vendendi spirituale aliquid, quà tale; nomen habet à Simone Mago, qui potestatem conferendi Spiritum S. à D. Petro licitatus est) per tentationem DEI, quæ est probatio seu exploratio alicujus perfectionis Divinæ, viis & modis, à DEO ad id non ordinatis: per perjurium denique, & voti violationem. Atque hæc de Religione seu Cultu, quem Numini Cœlesti debemus omnes; nunc transeamus ad Hebræos, & videamus, quomodo ipsi Deum coluerint, colántque. In ipso hoc transitu Grammaticum quid (liberalem enim habet Doctrinam) disce: Vocabulum Religio varii significatûs est; nam est pietas, in Dei cultu & rerum Divinarum ceremoniis consistens; est idem, quod debitum officii; quod sollicita & anxia cura; quod scrupulus conscientiæ; quod recta conscientia; quod metus Divini Numinis in dicendis testimoniis; eamus. *Desiderius.* Quidquid dicis, doces, & mea sciendi desideria vel explicandô prævenis, vel indicata instruis. *Mercurialis.* Vide, ne tute tibi Religionem offeras hæc præloquendô; non meritô meô, sed affectu magis tuô, quàm judiciô.

CAPUT

CAPUT XCIII.

Ritus Judaici, seu Judaismus.

INvalescente *Idolomania*, evocavit Deus in Chananitidem seu Palæstinam Abrahamum, natione Chaldæum ab Hebére, Hebræorum omnium parente, originem trahentem, è medio Idololatrarum, ut sibi serviat cum sua posteritate, è qua proditurus esset Messias, (Christus sive Unctus) in quo *benedicerentur* omnes gentes terræ; à quibus eum tantisper segregavit signô Circumcisionis populi, quæ erat remedium quoque Peccati Originarii, ac Legis Veteris *Sacramentum*, gratiam significans, non conferens, nisi ex virtute fidei in Christum venturum, ex opere operantis, sive suscipientis, ministrantis & offerentis.

Postea Hebræis (qui & Judæi, à Juda, filii Jacobi primogenito, de cujus tribu ortus est JESUS Christus, qui venit, Sceptrô de Juda ablatô & in Herodem translatô: dicti etiam Israëlitæ, à Jacobo Patriarcha, cui nomen Israël ab Angelo impositum) Deus in monte Sinai de medio ignis, nubis & caliginis, per manum Mosis, tripartitam Legem dedit, *Moralem*, quæ ad mores; *Ritualem*, (vulgò *Cæremonialem*,) quæ ad cæremonias sacrósque ritus; & *Forensem* seu *Judicialem* quæ ad Judicia pertinet. *Lex triplex Hebræorum.*

Moralis (quæ & *Naturalis* & *Divina*) est Immutabilis norma Cultus Divini, non tam quia Legis Mosis pars, quàm quia Lex Naturæ, & pars Legis novæ, cujus summarium *Decalogo* continetur; quem Deus ipse geminis in tabulis lapideis scriptum Mosi tradidit, scilicet non esse colendum aliud Numen præter se; neque sculpenda Idola; nomen *Lex Moralis.*

suum sacrosanctè venerandum; Sabbatum religiosè feriandum; Progenitores & Majores honorandos: non temerandam ullius vitam hominis, neque pudicitiam, nec facultates, nec famam ne cogitandô quidem aut concupiscendô. Atque horum appendices & additamenta sunt cetera præcepta omnia, (*Cæremoniarum* & *Judiciorum*) quæ amplius *sexcenta* Hebræis, & multa quidem, non sine interminatione mortis, injuncta fuerunt, atque in morte Christi exspirârunt, cùm Synagoga sua.

Rituale. Præscribebatur verò externi cultus ratio per varios ritus, rerum futurarum significationem continentes, veritatémque Legis Evangelicæ præumbrantes, quibus Judæi excitabantur in *Messiæ* venturi fidem ac dilectionem. Nam quid spectabat Arca Fœderis, quíd Manna, quid Agnus Paschalis, quid varia Sacrificia, Libamina & Sanguinis aspersiones, quàm ut essent Typi tum Sacrificii in Cruce peracti, tum ejusdem incruentè in *Missa* repræsentati, (quod in omni loco sacrificatur, & offertur oblatio munda, Malach. 1.) & *SS. Eucharistiæ* aliorúmq; Religionis Christianæ Mysteriorum? *Lex*

Judicialis. *Judiciaria* spectabat coërcitionem refractarii populi & administrationem Reip. Judicum tria fuerunt Tribunalia. 1 *Trium Virorum*, in quo de injuriis, rebus pecuniariis & minoribus causis disceptabatur. 2 *Synedrium* (Sanédrim) *parvum*, *viginta trium* Judicum, qui de capite fortunísque Civium judicabant. 3 *Synedrium magnum*, *septuaginta duorum* Virorum, seu Concilium Seniorum, de rebus gravissimis sententiam dicentium; hoc Tribunal erat Hierosolymis; ceteræ duæ in singulis tribubus.

Testamentum Vetus & Novum. *Testamentum* est duplex, *Vetus* & *Novum*; illud est antiquum *Fœdus* à Deo cum Israëlitarum populo initum; hoc verò novum cum populo Christiano

pactum

pactum, ad obtinendam hereditatem cœlestem, morte Christi confirmatum; quæ in Veteri Lege per sanguinem populo & ære aspersum præsignata. Geminus quoque est Sacrorum Librorum, quibus Deus suam hominibus voluntatem declaravit, *Catalogus*; alter Judaicus, alter Christianus. Judaicus tempore Esdræ confectus est, quô continentur Libri Pentateuchus, (Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium) Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipoménωn duo, Esdræ duo, Job, Psalterium, centum quinquaginta Psalmorum, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Prophetæ majores quatuor, Prophetæ minores duodecim. Præter enumeratos, inter Codices seu Volumina Sacræ Scripturæ *Authentica* sive *Canonica* admittit Ecclesia Catholica libros Tobiæ, Judith, Esther, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, & duos Machabæorum. Ex Novo verò Testamento quatuor Evangelia, Actus Apostolorum: Quatuordecim Epistolas S. Pauli, Petri Apostoli duas, Joannis tres, Jacobi unam, Judæ unam; quæ dicuntur *Catholicæ*, & Apocalypsin ejusdem Joannis Apostoli. Alii Libri habentur inter *Apócryphos*, qui vel rejiciuntur ut falsi, vel non admittuntur, tanquam Divinam auctoritatem habentes.

Catalogus Librorum Canonicó-Biblicorum.

Porrò, quia casta Religio, & sincerus Divini Numinis Cultus ab Adamo per posteros propagatus, penes solos Judæos remansit, usque ad tempus illud, quô Christus, morte pro nobis obitâ, Synagogæ Ecclesiam suam substituit, operæ pretium erit recensendô percurrere, quæ de Templo Hierosolymitano, ejúsque sacris, ac Sacerdotibus eorúmque Ministris & Ritibus sparsim Sacræ Paginæ memorant.

Templum Solymæum. *Templum* condidit Salomon *Annô Mundi* ter millesimô tricesimô secundô, posuítque in monte Moria, in quem olim Abrahamus filium Isaacum immolandum duxerat; impensas ædificii præparavit David, tria scilicet millia millionum, ducentos octoginta duos milliones, insuper centum & triginta quatuor millia, & viginti octo coronatos seu scutatos Romanos. Ad id populus puri puti auri septuaginta duos milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos sex aureos repræsentavit. Magnitudo civitatem benè magnam æquavit spatiô; lapides quadrati è marmore candido; opus absolutum septenniô.

Templi adytum. Intima pârs ædis sacræ (*penetrale*, seu *adytum*) dicebatur *Oraculum* seu *Sancta Sanctorum*, ibi collocata erat Arca Fœderis seu Testamenti, in qua tabulæ Decalogi, Urna aurea, Manna continens; & Virga Aaronis, quæ fronduerat; tegimen Arcæ, seu operculum, appellatum Propitiatorium, quod alis expansis gemini Cherubini obtegebant, omnia ex auro vel solida, vel vestita.

Huic Templi adyto, cui velum prætensum erat, adjecta structura, quæ dicta Sancta, & Domus Exterior, ubi itidem pavimentum & parietes aurô obducti. In hac Exteriore Parte Altare Thymiamatis seu Suffimenti; juxta decem grandiores mensæ; in quibus, singulis Sabbathis, duodecim Panes proponebantur ázymi; unde Panes Propositionis; ex altera parte decem majora, ex auro candelabra fulgebant.

Propylæum. Ante Templi Januam Porticus erat seu Vestibulum aut *Propylæum*, duabus insigne columnis æneis, visendâ mole, alteri nomen *Jachin*, alteri *Booz*.
Atrium. Post Vestibulum *Atrium* patebat magnum sub dio, in quo Sacrificia offerebantur à Sacerdotibus; ibi

Altare

Altare Æneum, quod *Holocaustorum* nominatum, in quo jugis ardebat ignis, quô victimæ incendebantur, & suffitus in ara *thymiamatis* adolebatur. Ibidem ingens aquarum receptaculum, quod Sacræ Litteræ *Mare* vocant *Æneum*, ob capacitatem, duodecim boum dorsô fultum, abluendis Sacerdotibus. Geminæ quoque conchæ peramplæ, seu labra ex ære fusilia (*Luteres* Scripturæ) ad lavandas victimas. Extra illud *Septum*, Porticibus magnis & latis cinctum, erat aliud *Atrium*, quô cuivis mundo & puro accessus patebat; quod initiô commune viris & feminis; postea murô præaltô divisum; in cujus altera parte feminæ nulla legali immunditiâ contaminatæ: Immundi verò & Ethnici extra Atria fundebant preces.

Circum Atria exædificatæ Exedræ, seu habitacula Sacerdotum & Levitarum, functiones suas in Templo per vices obeuntium; vocantur etiam *Pastophoria*, seu *Tabernacula*, aut *Thalami*. Erant insuper, in Templi inferiore & superiore ambitu, variæ cellæ, cameræ, receptacula pro supellectili sacra, quæ, si *Josepho*, testi oculato, credimus, fuit stupenda & immensa vis auri. Erant enim ex auro, præter decem illa majora candelabra totidémque mensas, candelabrorum minorum auri purissimi decem millia, totidémque mensarum minorum; Item mensuræ, tubæ, thuribula, phialæ, litatoria viginti millia ex auro. Instrumenta ex electro quadraginta millia. Crateræ aureæ ad subigendam similam sexaginta millia; canthari vinarii & lances aureæ octoginta millia: phialarum aurearum centum millia. Summa vasorum aureorum quadringenta & viginti millia; argenteorum tam grandis multitudo fuit, ut ea in numerum cogi non potuerit.

Habitacula circa & intra Templū.

Supellex sacra.

Hoc

Hoc Salomonis Templum à Chaldæis everſum; poſt reditum è captivitate Babylonica, iterum à Judæis exſtructum, Duce Zorobabéle, & Jeſu, filiô Joſedechi, Summô Sacerdote; appellatúmque Templum *ſecundum*; quod Herodes diruit, ejúsque locô aliud ſumptuoſius exſtruxit, *Joſepho* teſte, quod in ſui perfectionem quadraginta tres annos abſumpſit. Aliqui non exædificaſſe, ſed inſtaurâſſe ſcribunt; ut *Salianus* ad annum mundi 4035. *Porticum Salomonis* appellabant Judæi, tempore Chriſti, Atrium populi ſive Baſilicam grandem, undique Porticibus circundatam; juxta Atrium feminarum, erant domus exædificatæ, in quibus *Virgines* Templo oblatæ habitabant.

Miniſtri Templi. Sequitur, ut de *Miniſtris* Templi quædam referamus. Primus populi Iſraëlitici *Pontifex*, à Deo creatus, eſt *Aaron*, Moſis frater, Legislatoris, Judicis, Vatis, Sacerdotis. Soli Pontifici quotannis ſemel licebat ingredi in *Sancta Sanctorum*, non ſine ſanguine hoſtiæ immolatæ; *Sacerdotes quotidie* matutinô & veſpertinô tempore *thymiama* adolebant.

Veſtitus Pontificis. *Veſtitus* Pontificius erat iſte: Interiùs adhærebat corpori *tunica* byſſina, ſeu è lino talaris, arcta & ſine ruga, manicata; (*zónâ* circa pectus latiore accinctâ) ſupra hanc *femoralia* ad poplites pertinentia; his ſuperinduta *veſtis hyacinthina* ſeu tunica, ex lana violacei coloris contexta, Græce *Podéris* decóra malorum Punicorum textili opere, & aureorum tintinnabulorum limbô, ut inceſſu ſonitum ederet, ac memoriam Dei excitaret; iſtis ſuperinjecta erat *Epómis*, (ſacris Litteris *Superhumerale*, Hebraicè *Ephod*) opere polymitô, intercepta cingulô variegatô & aurô diſtinctô. In medio Epomidis, nempe *Pectoralis*, eminebat *quadra* quædam palmaris, ex auro, hyacintho, purpura, cocco; cui intextæ gem-

gemmæ duodecim; his insculpta duodecim Israëlis tribuum nomina: Sacra Pagina *Rationale* vocat, cui inscripta gemina vocabula: *Urim* & *Thumim*, hoc est, *Doctrina* & *Veritas*. Caput circumdabat *tiara* sive *mitra*, huic addita *lamina aurea*, ceu corona, aut diadema, in qua literis expressum: *Sanctum Domino*. *Sacerdotes* quoq; peculiares habuere in *sacris* vestes, ut: femoralia, tunicas lineas strictas, pileum rotundum, ephod lineum. Horum *officium*, incendere thymiáma, panes proponere, lucernas Templi concinnare, inflammare, statóque tempore extinguere, Sacrificia offerre, clangendô tubis argenteis populum convocare, docere, eidem bene precari, Sabbata & Dies Festos indicare, de lepra judicare, in bello, militum corda corroborare, &c.

Officium Sacerdotum.

Jam *Levitæ* nomen habent à *Levi*, filio Jacobi Patriarchæ: & quemadmodum Aaronis posteri Sacerdotiô soli fungebantur: ita inter Levitas ipsius Mosis filii erant numerati. Horum *munus* erat in solitudine excubare ad tabernaculum, humeris portare Arcam, &c. Postquam in terram Promissionis ventum, agebant Cantores, Janitores Templi, thesaurorum Custodes, & vasorum, vestiúmque sacrarum; ministrabántque Sacerdotibus. Byssina illis in templo stola. *Nathinæi* erant è Gabaonitis, ad ligna cædenda & aquam pro Templo comportandam.

Levitarum munus.

Sacrificia præcipua fuere; primò *Holocaustum* seu *Holocautóma*, quô, exceptâ pelle, tota victima sacrô igne consumebatur, in contestationem Dei, supremi rerum omnium Domini. Deinde *Hostia Pacifica* seu *Salutaris*; cùm *una* pars animalis igni exurebatur: *altera* cedebat in cibum usúmque Sacerdotis; *tertia* in escam offerentis: & *vel* gratum animum pro acceptis beneficiis testantis, *vel* pro novis

Sacrificiorum genera.

novis obtinendis rogantis. Tertiò *Hostia* seu *Piaculum*, aut *Placamentum*, pro peccato, sive scienter sive per errorem commisso; cujus pars una flammis, altera Sacerdoti dabatur erátque *hircus*. *Mincha* erat sacrificium farreum propter pauperes, quibus non suppetebat impensa ad offerenda animalia. Sacrificiorum *adjumenta* fuere *libationes* seu *libamenta* ex simila, oleo, vino, sale, thure; omnia Sacrificium *Novi Testamenti* præsignificantia; quod & *Latreuticum* est, supremum Deo obsequium exhibendô; & *Eucharisticum* gratias agendô; & *Propitiationis* ad placandum: & *Efficaciæ* ad Impetrandum. Vetera illa Sacrificia, cultúsque sacrifici, & ceremoniæ, utpote per Christum abrogatæ, mera nunc sunt superstitio, quia significant Messiam venturum, qui jam venit.

Festa celebriora Judæorum. *Festa* nominatiora fuere septem, à Deo instituta. Videlicet 1 *Sabbathum*, quô (die septimô quovis) in memoriam Creationis Mundi, Deíque honorem ac cultum ab omni opere servili quiescendum Judæis; qui inde dicti *Sabbatarii*, item *Recutiti* & *Apellæ* à resecto præputio seu cute glandis. 2 *Pascha* (*Phase* aut *Transitus*) sive Festum *Azymorum*, in significationem Angeli *Percussoris*, domos Hebræorum transilientis, populíque Israëlitici per mare *rubrum* transeuntis. 3 *Pentecoste*, quæ dies quinquagesima à Paschate, unde nomen habet, in recordationem Legis, à Deo in monte Sina datæ. 4 Festum *Tubarum*, quô clangebant cornibus arietinis, in commemorationem Isaâci Patriarchæ, ab immolatione & gladio Patris liberati, & arietis substituti. 5 *Expiationis*, seu *Propitiationis*, aut *Placamenti*; quô fiebat Expiatio peccatorum populi totô annô admissorum, ídque non tàm ex vi operis, quàm ipsius operantis, putà pœnitentis dolore,

&ex

& ex charitate offerentis. 6 *Festum Tabernaculorum*, seu *Scenopegiæ*, in gratiarum actionem Protectionis Divinæ, dum peregrinarentur in deserto, per annos quadraginta, & habitarent in tabernaculis; quod celebrabant, manu frondes & fructus citri, palmæ, myrti, salicis præferentes. 7 *Cœtûs*, seu *Collectæ*, cùm, Die Festi Tabernaculorum octavâ, conveniebant collecti, grates persolventes, quòd terram Promissionis quietè possiderent. Erátque à singulis dimidius siclus pro Templi fabrica & Sacrificiis pendendus. *Neomenia* seu *Novilunium*, quod agitabatur ipsis cujúsque mensis Calendis in reminiscentiam Gubernationis Divinæ; inter Festa non numeratur; quia cessationem à labore servili non imperabat. Quibus additus est Sabbatismus, seu Annus *Sabbaticus*, aut *Remissionis*, quoniam annô quovis septimô nec serebatur, nec metebatur, nec vindemiabatur, sed omnia sponte nascentia erant quibuslibet communia; nec ulla debita exigi poterant; commodata remittebantur tenuioribus; & servi ancillæque manumittebantur. Annus verò quinquagesimus erat *Jubilæus*, quô prædicta indulta telluri hominibúsque concedebantur: & insuper possessiones olim venditæ ad veteres dominos sine pretio redibant.

Ab ipsis quoque Judæis quædam Festa introducta sunt. Ut *Festum Sortium*, in memoriam liberationis per Esthérem; *Encæniorum* seu Purgationis Templi, sub Juda Machabæo; Recepti è cœlo Ignis Sacri: ob cæsum Nicanorem. *Xylophoria* erant festivitas, in qua mos omnibus, grandem lignorum materiem convehere ad Templum, alendo Igni. Huc pertinent variæ Oblationes, Primitiæ, Decimæ, Purificationes, Purgationes, Immolationes Primogenitorum, eorúmque Redemptiones,

nes, aliáque ad agnoſcendum Deum, tanquam Conſervatorem, Redemptorem, Sanctificatorem.

Variæ dignitates, alia munia, ſectæ apud Judæos.

Juverit etiam ſcire, quæ, præter Sacerdotes, fuerint inter Hebræos *dignitates, munia, ſectæ*. Imprimis eminebant *Prophetæ*, ſeu Vates, aut Vatidici, qui Numinis iram peccanti populo denuntiarent, miracula ederent, futuros rerum eventus prædicerent, Deíque afflatu Sacram Scripturam explicarent, *Doctores* verò tradebant, quæ ſuô ipſi ſtudiô & ſapientia conſecuti fuerant; qui dicti ſunt *Rabbini*, nec non *Scribæ & Legisperiti*, reſpondebant enim de Lege conſulti, ex Sacris Litteris & Prophetarum Oraculis, magis ſecundùm corticem, quàm medullam. *Phariſæi* penitiùs Scripturarum myſteria perſcrutabantur, homines ſupercilioſi, non multùm abſimiles Stoicis, hypocrytæ, humanas, quasdam adinventiones Divinis Præceptis anteponentes: ſuáque *philacteria* (ſive ea fuerint *membranæ*, Decalogo inſcriptæ, frontíque circumpoſitæ, ſive latiores in pallio *fimbræ*, purpurâ prætextæ) dilatantes. Iisdem *Joſephus* attribuit παλιγγενεσίαν, iteratam generationem, & μετεμψύχωσιν, *transmigrationem* animarum de corpore in corpus: quô errore *Eſſenos* quoque ſeu *Eſſæos* infectos eſſe, ſcribit, famam ſeveritate vitæ aucupantes, omnia inter ſe communia habentes, ne connubia quidem ineuntes; à quibus tamen integritate vitæ & caſtitate longè diverſi erant *Eſſeni* illi, quos Philo Judæus laudat, (tanquam ſuos, cùm non eſſent) Ægyptum colentes, Chriſtianâ diſciplinâ à D. Marco inſtitutos. *Sadducæi* erant hæretici, Dei providentiam, animorum immortalitatem, corporum reſurrectionem, Angelum & Spiritum negantes. *Samaritani*, à regione Samaria dicti, etſi admittebant

bant quinque Libros Mosis, & venturum Messiam exspectabant, in plerisq; tamen à Judæis dissentiebant; præsertim circa locũ adorandi Numinis; nam suum ipsi Templum in monte Garizim positum anteferebant Solymæo; quid, quod, præter Deum idola quoque, multorum sententiâ colebant. At *Nazaræi* singulari sanctimoniâ efflorebant, Deo sacrati votô, à vino uvísque abstinentes, capillum non tondentes, &c. quibus accesserunt *Rechabitæ*, & ipsi à vino abstemii, inque tabernaculis extra civium frequentiam habitantes.

Quid verò sunt Cábala & Cabalistæ, quid Talmud & Talmudistæ? *Desiderius.* Vah, monstra vocabulorum? *Mercurialis.* Explico. *Cábala*, vox Hebraica, idem, quod *Traditio*, seu *Receptio*, significat arcanam & sublimiorem Sacræ Scripturæ intelligentiam, ab Hebræorum majoribus ad Posteros, quasi per manus, transmissam, dum sensus *Mystici* & *Anagogici*, obscuriores & *ænigmatici*; (ut olim Pythagoreorum dogmata symbolis obvelata) quale est *Mysterium SS. Trinitatis, persona, adventus* & *officium Messiæ*, à Doctioribus Hebræorum fuerunt expositi; quorum successores veterem illam & eruditam Cábalam ita perverterunt, ut nunc plena sit mendaciis, fabulis, deliriis, nugis, erroribus & characteribus magicis: Exemplum Cabalæ habes in nomine Adam, ubi a significat ἀνατολὴν Orientem, d δύσιν, Occidentem, a ἄρκτον, Septentrionem, m μεσημβρίαν, Meridiem. *Cabalistæ & Talmudistæ*

Talmud significat *disciplinam*; seu multiplicem Scripturæ Divinæ intellectum, hinc *Talmudistæ*, qui varias Interpretationes, Periphrases, Explicationes in eam commenti sunt, & ediderunt; quorum Posteri multas in Christum blasphemias ad- *Talmud.*

miſcuerunt, novísque punctorum inventis, & aliis futilibus obſervationibus, literarum transpoſitionibus, ac malitioſis emendationibus, Hebraicos Bibliorum fontes corruperunt, totámque, ut quidam ait, Sacram Linguam conſpurcârunt. Ejus Auctores potiſſimi ſunt Grammatici, Hebraicè *Maſoretæ*, qui omnia ad literæ corticem, ut ſunt ſtolidâ mente, *velamen ſupra inſipiens cor habentes*, traduxerunt, & Sacroſancta Fidei noſtræ myſteria eludere tentaverunt. Quidam recentiorum ſola ſcripta Prophetarum tenent, ideò dicti *Caræi*, quaſi *Scripturarii*.

O miſeram & infelicem nunc Judæorum gentem, qui nec Judices habent, nec Tribunalia ſine Lege, ſine Rege, ſine Sacerdotio, ſine Sacrificio, vagabundi & per orbem diſperſi, jurati Chriſtiani Jesúque nominis hoſtes, quod ne legere quidem aut pronuntiare ſuſtinent, umbras quaſdam avitæ Religionis retinentes, (quales ſunt *circumciſio, eſus azymorum, quies ſabbati, abſtinentia à carne ſuilla &c.*) & execranda Sacra ſuis in Synagogis ac *Proſeuchis* peragentes; occæcatis oculis, ut non videant Emmanuelem illum, cujus adventûs ſigna pridem prætetlapſa ſunt, jam adveniſſe, ſed exſpectent alium, nec ſine jejuniis & planctibus implorent, ſcilicet Pſeudoprophetam, *Antichriſtum*, qui & ipſe Judæus (de tribu Dan, cujus literæ nominis conficiunt numerum *666*) à puero magicis artibus imbutus, per familiarem dæmonem *Maozim*, maximam orbis partem dementabit, ſibíque per exercitus ſuos, *Gog* & *Magog*, ſubjugabit; ſedem habiturus in Templo Hieroſolymitano; abſorbendus denique in Tartarum, cœleſti igne deflagrans; plurimis Judaicæ gentes per *Enochum* & *Eliam* ad Chri-
ſtum

ſtum rediturîs. Interea ſunt Veteratores & Fœneratores perfidi, in omnem fraudandi occaſionem intenti, dum licitum ſibi arbitrantur, omni fraudum genere, præſertim *ſtellionatûs*, (variæ in contractibus impoſturæ) Chriſticolas circumvenire, & iniquiſſimô fœnori *Anatociſmum* addere, uſuras non ſolutas in ſortem computandô. *Deſiderius.* Ad vivum expinxiſti gentem illam, quæ quò in Majoribus ſuis fuit ſanctior, hoc eſt in poſteris corruptior, odium cœli, terrarum purgamentum. Quò me portò duces; *Mercurialis.* Nónne vides

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum;

imò lumine caſſum utróque? *Deſiderius.* Quid ſibi vult iſtud? *Mercurialis.* *Idololatriam* inſinuo, quam aliqui *Paganiſmum* aut *Gentilitatem* vocant; cujus tenebris involuti & oppreſſi ſunt inanium, falſórum & fictorum Deorum cultores, quos ſolemus *Ethnicos, Gentes, Gentiles, Paganos* appellare; quarum quidem appellationum rationem exquire ab aliis. In monſtrum tibi digitum intendo, cui nullus in fronte oculus, ſed denſa nox & cœcus error, colentium ligna, lapides, damnatóſque æternis ignibus ſpiritus. *Deſiderius.* Aſſequor; ſpectabimus. *Mercurialis.* Immanem draconem, ſuum qui virus in totum, quàm latè patet, diffudit orbem, nunquam non peſtilentiſſimus, ſive Ammonis Jovis induat *arietem*; ſive Latratorem Mercurii, *Anûbin*; ſive aureum Aaronis *viculum*; ſive alias quasvis beſtiarum formas. Contemplemur.

Caput XCIV.

Idololatria.

Initium Idololatriæ.

INItium *Idololatriæ* per ſimulacra Ninus dedit, qui Nemrodum, ſive Belum, genitorem vitâ functum, per exſecrabilem ſuperſtitionem, in ipſo Turris Babylonicæ Templo conſecravit; & eum, quem mors dudum ac Tartarus habebant, in impia ſtatua, Deum eſſe Divúmque juſſit: adorarí que tanquam præſens adhuc vivúmque Numen ab Orientis univerſi populis coëgit. Ita filius Idolomaniæ, pater Tyrannidis principium ſtabilivit. Quæ duo mala, tunc primùm própalam in orbem invecta, magnas cœlo terríſque turbas ſuscitârunt, cùm per eorum alterum mortalibus libertas; per alterum immortalibus ſuus honos eriperetur, in indigniſſimos, imò teterrimos translatus. Inde priſca idola *Bel* ſeu *Baal*, (quod dominum ſignificat) Baalim, Belial, Beelphegor, Beelzebub, &c. Dixi, *Idololatria per ſimulacra*; nam *dæmones* antè jam colebantur ſine imaginibus, ſive pictis ſive fictis, quos ſtulta ſuperſtitio Deos dixit, credidítque, quorum alii *Majorum* gentium ſeu *Maximi*; alii cœleſtes, ſuperi: alii *Minorum* gentium, Medioximi ſeu Medii: terreſtres alii & *ſemidei*, & *infimi*, ac denique *inferi*. *Indigetes* vocitârunt, qui ex hominibus Dii facti. Romani quidem Imperatores ſuos conſecraturi, hoc eſt, in Divos relaturi, (quæ relatio ac celebritas Græcis ἀποθέωσις & ἀθανάτωσις dicitur) ſimulacra defunctorum maxima cum pompa ad pyram deduxerunt, è cujus ſupremo apice, in formam tabernaculi compoſito, Aquilam ſubjectô igne dimittentes, in cœlum cum eo Principis animam deferri credi voluerunt, eidémque Divinos hono-

honores decreverunt, hymnósque cani & Sacra fieri imperârunt. De quâ vanitate etiam cap. 89. meminimus.

Atque ut nihil dicam de priscis illis, quorum in sacris codicibus mentio, idolorum monstris, quale fuit *Moloch*, cujus in amplexus miserabiliter cremandi pueri per ignem impellebantur: quale fuit *Astarthe* seu Venus, Sidoniorum Dea, cui Salomon, ex sapiente stultissimus, Templum exstruxit; quale Philisthæorum (qui & Allophili) *Dagon*, infernè piscem, supernè hominem præferens. Et vivens illa ac squamosa Babyloniorum bellua *Bel*, quam obsipatâ Vates Daniel offâ interemit: Et Moabitarum *Chamos*: Accaronensium *Beelzebub*, & Aaronicus ille ex auro *Vitulus*: Et aliud Sidoniorum idolum *Astaroth*, ovem referens; ut taceam Indorum & Japonum *Nacas*, *Amidas*, *Potocos* vel *Potaquos*, &c.

Deos & Deas illas fabulosas subjiciamus conspectui, quorum ut *veneratio* summè detestabilis est ad imitationem: ita *mythologia* plurimùm utilis ad ingenuam eruditionem; quem in finem de sacrificiis quoque & sacrificulis adjiciemus quædam, scire quæ proderit eatenus, quatenus & Veteres Latinè loquentes intelligamus; & veteratorias Stygias artes, in assimilandis sacratioribus mysteriis, advertamus.

Mythologia falsorum Deorum.

A *Jove* principium; cujus nomenclatio à juvando, qui scilicet Divûm est hominúmq; pater, & Cœlicolûm Rex; Idem *Diespiter*, quasi diei lucísque Parens; & *Vejupiter* à nocendo: & *Tonans* à ciendis tonitribus; qui Deos Consentes & Consiliarios in concilium deliberaturos vocat; cujus genitor *Saturnus*, à filio Cœlô pulsus, inventor agriculturæ, præses temporum. Jovis & soror & conjux *Juno*, Dea Regnorum & divitiárum; cujus filia *Hebe*, Dea

juventutis, Tonanti à poculis fuit, sed ei postea subrogatus *Ganimedes*; Aquila est fulminis armiger. Magna Deûm Mater est *Cybele* (Rhea, Ops, Tellus) redimita frontem coronâ turrigerâ.

Apollo, sive Phœbus, unus instar multorum est, nam & cœlo *Sol* est, & in Parnasso Musarum (seu Camœnarum novem) *Antistes*, Medicinæ Inventor, Præses Vaticinii & artis sagittandi. Nec minùs occupatus est *Mercurius* nuntius & interpres Deorum, inventor lyræ, Deus eloquentiæ, mercatorum, furum. *Mars* seu Gradivus præest bellis cum Bellona, Nemesi seu vindicta, & Victoria. *Venus* amoribus præsidet, cui famulantur *Cupido* & Cupidines, *Voluvia*, *Gratiæ* seu Charites. *Diana* multis gaudet titulis; nam in astris est *Luna*: in terris Dea Venationum: apud inferos *Hecate*, vel *Proserpina*: trium capitum, equini, canini, humani. Eadémque *Lucina*, dum præest partubus, *Trivia*, dum triviis. *Minerva* seu *Pallas* artium est & ingenii Dea, ac etiam belli si hastata & clypeata. *Ceres* inventrix frugum: *Bacchus*, seu Jachus, Dator vini & lætitiæ; qui & Lyæus ac Liber, quòd solvat homines & liberet curis. *Vulcanus*, seu *Mulciber* claudicans, Deus fabrorum & ignis, cum adjutoribus *Cyclopibus*. *Neptunus*, seu Nereus regnator aquarum cum madida familia; & uxore *Thetide* seu Tethy, sive Amphitrite, ac filia *Doride*, tubicine *Tritóne*, portuum custode *Portunô* seu *Palæmone*, hujúsque conjuge *Melicertâ*, Nymphis *Najadibus* & *Nereidibus*.

Infera regna tenet *Pluto*, seu *Orcus*, cujus uxor *Proserpina*, & Stygium famulitium: *Furiæ* Alecto, Megæra, Tisiphone, Erinnyes Eumenides, *Parcæ*, vitæ ac mortis arbitræ, Clotho, Lachesis, Atropos; Triceps canis *Cerberus*, & inferna is navita *Charon*, severíque *Judices* Minos, Æacus, Rhadamanthus.

Flu-

Fluvii infernales : Styx, Cocytus, Phlegethon, Acheron.

Hæc de majoribus Numinum commentitiorum, nunc promiſcuè & quaſi in acervo accipe, qui, quarúmque rerum ſint præſtites Dii, ſed cave iliis, ne riſu diſſolvantur ; & ſtomacho, ne indignatione evertatur ; quidquid enim uspiam fuit ſtultitiæ ac dementiæ, id delira Antiquitas in Deorum ſuorum album ac tabulas velut in ſtultitiæ cumulum congeſſit.

Itáque, præter jam dicta, *domibus* præſident Genius, Penates, Lares ; *ſilvis* Fauni, Satyri, Silvani, Dryades, ſeu Napææ : *arboribus* Hamadryades : *montibus* Oréades. Pan Deus, Pales Dea *paſtorum* & pabuli. *Hercules* ſeu Alcídes monſtrorum domitor, malorum depulſor, Græcis Alexícacus, Latinis Averruncus : Medicinæ *Æſculapius* ; navigantibus, pugilibus, equitibus *Caſtor* & *Pollux* : Juſtitiæ Antiſtita *Themis*, & ejus filia Aſtræa : Judiciorum præſes Dea, *Dica* ; Facinorum vindex *Nemeſis*, Adraſtéa ſeu Rhamnuſia ; *Nuptiarum Dii* Juno Lucína, Hymen ſeu Hymenæus, Jugatínus, Domidúcus & Domidúca. Libitína funerum, Æolus *ventorum*, Priápus *hortorum*, Flura & Chloris *florum*, Pomóna *pomorum*, *Facundiæ* Suada, Fabulínus *infantium*, Angeróna *ſilentii*, Laverna *lavernionum*, Murcia *deſidiæ*, Fidius *fidei*, Vertumnus & Proteus *mutabilitatis*, Segetia *ſegetum*, Bubóna *boum*, Hippóna *equorum*, Mellóna *mellis*, Collína *collium*, Vallonia *vallium*, Pilumnus pinſendi *frumenti* ; Janus biceps *anni* ineuntis & abeuntis ; idem dicitur Patulcius & Cluſius ; Conſus conſiliorum : *diſcordiæ* Eris ; *ſomni* Morpheus, Icelus, ſeu Phobétor, & Phantaſus. Quid multis ? Nulla res tam fuit abſurda & ſordida, cui non Deum aut Deam ſuam præſtituebant. Hinc

Robígus & Robíga *rubigini*, Sterculius agrorum *stercorationi*, Terminus *terminis*, *obtrectationi* Momus; Tempesta quoque & Febris; &, quod ridiculum, Fornax (nobis utique Germanis hieme colenda) Divinitatis honore afficiebantur; denique Cloacina (sit honor auribus) *cloacis* præfuit. Pudet plura. Delúbra quoque posita sunt Fortunæ, Virtuti, Honori, Concordiæ, Menti, Pudicitiæ, Spei, Clementiæ, Paci, Quieti, Libertati, Saluti, Felicitati; quin etiam Senectuti & Morbo, Risui & Timori. Váh!

Bestiæ adoratæ. Jam bestiæ quàm variæ in Deorum venerunt censum. *Anserem* consecrârunt Romani propter servatum Capitolium: *Crocodilum* coluerunt Ægyptii, (allia quoque & cepas) *columbas* Syrii, Troglódytæ testudines, ciconias Thessali. Alii feles, hircos, lupos, dracones: colles quoque & montes, luci, arbores adorata sunt. Persæ pro Numine habuerunt *Solem*; (quem vocabant Mithram) *Lunam* seu Reginam cœli feminæ Hebrææ; Chaldei *ignem*; Ægyptii *aquam*; hinc concava Nili statua, per foramina cerâ óblita, in flammis extitit victrix.

Sacra Gentilium. Jam ad *Sacra* progrediendô, parantur illa, patrantur, peraguntur, celebrantur, aris honores mactantur, odores uruntur, victimæ immolantur pingues, opimæ: & feriuntur vel securi in collo; vel malleus incutitur temporibus, ut cadant attonitæ, & admotô cultrô jugulandæ. Erant hostiarum (quæ ab hostiendo seu feriendo dictæ) aliæ *Præcidaneæ*, quæ ante solennia sacrificia mactabantur: aliæ *Succidaneæ*, quæ prioribus jam cæsis, si non esset litatum, luendi causâ piaculi succedebant; aliæ *Eximiæ*, quæ de grege singulariter exemptæ; *Injuges*, quæ nunquam jugo subditæ, &c.

Sacrificia in hunc modum fiebant. Cùm Sacerdos (Sacrificus, Sacrificulus, Sacricola) victimam ad

ad aram adduxiſſet, hanc manu prehendens, fundebat preces; inde fruges aut molam ſalſam in caput victimæ deponebat, additô thure maſculô, qui ritus vocabatur *Immolatio*, quaſi molæ in caput victimæ collocatio, deinde vinum aſpergebat; quod, antequam affunderet ſimpulô ſeu capedunculâ, *libabat* ipſe leviter, & in patera deferebat guſtandum adſtantibus; atque hæc ceremonia dicebatur *Libatio*. Quô factô, ſetas inter cornua victimæ manu evulſas, tanquam prima *libamina*, injiciebat in Ignem; converſúsque ad Ortum, ducebat obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam; quam denique Diis exhibitam (cœlo oſtenſam) & dedicatam jubebat *jugulare* miniſtros; qui à mactando appellati *cultrarii*, *victimarii*, *popæ*. Ubi perpurgata erat, mox Aruſpex, Flamen, aut Sacerdos cultrô *viſcera* rimabatur, ne qua offenſa pollutis Sacris intercideret. Inſpectis tandem & exquiſitis ſingulis, certas partes ex omni viſcere & membro deciſas involvebant farinâ, & in calathis ſacrificanti offerebant; Sacerdos aris impoſitas comburebat incenſô foculô; quod *reddere* erat & *litare*. Fum ignem ex olea, lauro, quercu nefas erat accendere, quippe lignis diri & mali ominis. Ubi, quod Diis tributum erat, conflagrâſſet; ad *epulas* ipſi & convivia convertebantur: Inter veſcendum Diis laudes canebant, pedibúſque circum aras complodentes, ad numeros pſallebant, & pulſatis cymbalis choreas agebant: Singulis Diis erant ſingulæ hoſtiæ deputatæ, ſuperis albæ & impares: inferis nigræ & pares; nec raro, ô crudele nefas! teterrimis dæmonibus humanô ſanguine faciebant.

Sacerdotum præcipui erant *Pontifices*; & inter hos *Pontifex Maximus*, prius nomen habet à poſſe & facere, quod ſcilicet facere, id eſt, offerre & ſacri-

crificare posset; posterius verò, quòd maximarum rerum, quæ ad Sacra & Religionem pertinent, Judex esset. *Augures* velut interpretes & internuntii Deorum, quorum Insigne lituus seu baculus auguralis, à summo inflexus. Officium Augurum fuit, ex avibus vaticinia observare, aliáque signa è cœlo (ut sunt tonitura & flumina) rerum futurarum & à Diis monita contemplari; & avium quidem aliæ erant *oscines*, quæ cantu: *Præpetes*, quæ volatu: Pulli, quæ tripudiô, seu terripaviô, signa edebant. *Pavire* verò idē est, quod ferire, unde tripudia *solistima* dicebantur, cùm offa pullis data aliquô modô cadebat in solum, & ita feriebat terram. In *tonitribus* notabatur paritas vel imparitas numeri, ortus & occasus, lævum dextrum; *Fulminum* alia *Bruta*, alia *Fatidica*; & faustum aliquid aut infaustum portendentia. E *quadrupedibus* quoque omina & auspicia captata; qualia erant leporis transcursus, fœtæ vulpis, aut prægnantis canis occursus, serpentis, mustelæ, lupi, &c. *Diri* ominis latratus canum, gemitus ejulantium imitantes, noctuarum ululatus; contrà *felicis*, equorum hinnitus alacrior, & ferocior fremitus. De his omnibus indicabant & obnuntiabant Augures, & de Prodigiis, Somniis, Oraculis, Portentis responsa dabant, observationes auspiciorum, procurationes, expiationésque, Vatúmque libros & Deorum monita edicebant: si quid ingruente fatô casurum esset; quídque salvis auspiciis fieret; quod augurium lætum, quod fatale, &c. *Desiderius*. Prô diabolica ludibria! *Mercurialis*. Præter varias lustrationes & expiationes, qui ad Templum accedebant, arcana à Diis exploraturi, immolabant arietes, quorum substratis pellibus indormientes, nocturna visa exspectabant. Ad Augures pertinent *Pullarii*, qui caveæ pullorum curam agebant,

Augures.

agebant, è quorum, ut dixi, pastu diversimodè augurabantur augurii periti.

Non minùs Deorum placita referebant *Haruspices* ab hostiis, quæ in *hara* conclusæ, dicti, (aliqui ab *aru* non rectè desumunt) ab *exti* inspectis futura prædicunt unde *Extispices*, feminæ haruspicæ: ars ipsa *haruspicina* & *haruspicium*, seu extispicium, plena stultissimis observationibus; ut si victima ductorem non spontè sequeretur; si è ducentium se manibus proripuisset; si elapsa ictum fefellisset; si percussa exiliisset altiùs, aut horridiùs exclamâsset; si calcitrâsset, si difficulter exspirâsset. *Desiderius.* Vah nugæ nugarum! *Mercurialis.* Imò Acheronticarum imposturæ imposturarum! *Haruspices.*

Rex Sacrorum vel Rex sacrificulus, exactis Româ Regibus, creatus, nomen regium saltem in Sacris tuebatur, electus à Pontificibus & Auguribus; qui Vestales ad se singulis annis ventitantes præmonebat, ne Sacra ipsis credita negligerentur, his verbis: *Vigilásne Rex? vigila.* *Rex Sacrorum.*

Flamines nuncupati à licio seu filo, quô caput velatum ac cinctum habebant, unde quasi *Filamines*. *Dialis* præerat Jovis Sacris, *Martialis* Martis, *Quirinalis* Quirini seu Romuli. Flaminibus ad sacrificia aderant ministri, quos *Camillos* vocabant; quanquam aliqui dicunt omnes pueros ab antiquis Camillos vocatos. *Flamines.*

Vestales, Vestæ Sacra curabant, & perpetuam ejus ignem custodiebant; virginitate venerabiles ac sanctæ; quam quæ violâsset stuprô, viva defodiebatur; ob negligentiam ignis extincti, flagris cædebatur. *Vestales.*

Salii, Marti Gradivo lecti, æneô super tunicam pictam pectoris tegmine, ancilia (cœlestia scuta) canendô ferentes, illáque pugionibus seu gladiolis pul- *Salii.*

pulsantes, cum tripudii solennique saltatu urbem obibant; à qua saltatione nomen acceperunt.

Curiones. *Curiones* à Curiis nominati, Sacra Curionia administrabant, quorum Præses *Curio Maximus*. Potitii & Pinarii Sacerdotes Herculis fuerunt, quæ Sacra una ex omnibus peregrina, suscepit Romulus.

Luperci. *Luperci*, Pani Lycæo (qui & Silvanus & Faunus) constituti, pro lupis à pecore arcendis: cursitabant per luxum & lasciviam, pelle caprinâ amicti, cædentes obvios scuticâ è caprino tergore, quâ percussæ mulieres occurrentes fœcunditatem ac facilitatem partûs sperabant.

Corybantes. *Cybeles* seu Berecynthiæ Matris Sacerdotes, Galli evirati, à Gallo Phrygio fluvio; item Curétes & Corybantes, qui, correpti furore, & aspiratione Numinis, cymbala pulsabant, séque cultellis compungebant & conscindebant.

Feciales. *Feciales*, ut jam suprà memini, præerant fœderibus feriendis, rebus repetendis, bellis indicendis, quorum Princeps, *Pater patratus*, patrem & filios habere debebat.

Festi dies Gentilium. His ita expeditis, Gentilium *Celebritates*, *Festa*, *Sacra*, *Ferias* perstringamus; de quibus jam alibi quædam tetigimus; nam dierũ alii sunt *Festi*, nimirum Diis dicati; alii *Profesti*, hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi. In his sunt *Fasti* seu Judiciales, quibus jus dicebatur: *Compitales*, quibus cum populo agi poterat: *Comperendini*, quibus licitum, vadimonium dicere: *Præliares*, quibus fas, res repetere, vel hostem lacessere. *Intercisi* Diis hominibúsque communes; quibusdam enim illarum horis fas erat jus dicere, quibusdam fas non erat. Festi porrò dies dividuntur in Sacrificia, ludos, epulas, ferias. *Feriæ Stativæ*, quæ

quæ quotannis, certis & constitutis diebus atque mensibus recurrunt. *Conceptivæ*, quæ à Magistratibus vel Sacerdotibus conceptæ, & non iisdem *annuatim* (*Plin.*) diebus celebratæ. *Imperativæ*, quas Consules vel Prætores pro arbitrio potestatis indicebant. *Nundinæ* erant paganorum seu rusticorum, nonô quoque die, in urbem convenientium, negotiorum aut mercium causâ. Dies *Nefasti* Festis annumerantur, quibus, ut suprà memoravimus, nefas erat Prætori tria illa verba, Prætoriam Jurisdictionem comprehendentia, profari: *Do*, *Dico*, *Addico*. *Atri* & *Religiosi*, tristi infames omine, & impediti ad rem Divinam faciendam. Dies *Pandiculares*, quibus omnibus Diis simul sacrificabatur; iisdem Romæ Pantheon Augustus Cæsar dedicavit; quod postea, ritu Christianô, Divis Cœlitibus omnibus consecratum.

Agonalia erant ludi in honorem Dei Agonii, qui rebus agendis præesse credebatur.

Amburbia & *Ambarvalia* erant supplicationes, quæ fiebant in ambiendis urbibus & lustrandis agris, unde Fratres seu Sodales *Arvales*, qui sacra faciebant, ut arva ferrent fruges, quique de agrorum finibus cognoscebant. *Annæ Perennæ* festô largioribus poculis indulgebant, & pro cyathorum numero annos mutuò precabantur. *Angeronalia* Deæ Angeronæ sacra; *Cerealia* Cereri; *Carmentalia* Carmentæ; *Compitalia* Laribus, in compitis peragi solita; *Charestia*, Convivium solenne amicorum; *Consualia*, ludi in honorem Dei Consi; *Faunalia* Fauni; *Fontanalia* vel Fontinalia sacra fontium, coronatis puteis & fontibus: *Fornacalia* Deæ Fornaci; *Furinalia* Deæ Furinæ; *Feralia* Diis Manibus sacrata, à ferendis epulis. *Floralia* Floræ; (ludi impudici) *Gamelia* Junoni propter nuptias: *Hecatombe*, Heca-

Hecatæ, sacrificium centum victimarum : Hilaria lætitiæ Deæ dicata, *Inferiæ* sunt mortuorum, *Lemuria* Lemuribus sedandis, *Liberalia* Libero, quæ & Bacchanalia & Dionysia & Orgia; *Lupercalia* Pani: *Latinæ Feriæ*, quibus Romani, Latini, Hernici, Volsci in monte Albano convenerant, ut Jovi Latia i facerent & vacarent epulis. *Megalesia* seu Megalensia, Ludi Magnæ Deorum Matri Cybeli; quibus lusibus & epulis diu noctúque vacatum; *Mercurialia* festa Mercurio sacra. *Novendium* vel *Novendiale* sacrificium exequiale, quod fiebat nonô post mortem alicujus die *Opalia* opi. *Palilia* vel Parilia Pali Deæ rusticæ: *Paganalia* seu Paganicæ Feriæ, agriculturæ causâ susceptæ: *Parentalia* pro mortuis: *Quirinalia*, feriæ in honorem Quirini seu Romuli: *Quinquatria* Palladi sacra à numero quinque dierum, quibus celebrabantur: quorum primô fiebant sacrificia, secundô, tertiô, & quartô gladiatorum spectacula: quintô urbis lustratio: *Rubigalia* ad amoliendam frugum rubiginem. *Saturnalia*, quibus heri servis discumbentibus inserviebant, & ultrò citròque munera mittebantur. *Sementinæ* Feriæ, sationis causâ institutæ. *Terminalia* in honorem Termini Dei Romani, qui solus locô cedere noluit, cùm Tarquinius ceteros Deos è Capitolio dimoveret. *Vinalia*, quibus vinum novum Jovi libabatur; *Vulcanalia* dicata Vulcano.

Quid plura? Roma, (nam hujus potissimum & *verba* & *facta* inquirimus) Magnô *Leone* teste, cùm pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Diis suis vel epulaturis vel cubaturis lectulos sternebat, quos *Pulvinaria* dicebat, in quibus Deorum simulacra reclinabat, unde *Lectisternium*;

sternium; quos renovabat, quoties supplicationem decernebat; inde, cùm legimus, ad omnia *Pulvinaria* sacrificatum vel supplicatum esse; cogitemus, Deos omnes, publicâ circa fana circumitione, in opem fuisse vocatos. Unde & *Epulones*, qui Jovi ceterísque Diis epulas indicendi potestatem habebant; tanquam sua in cœlo ambrosiâ & nectare saturi non essent, & *exinamentis* suis, ut cum *Plauto* loquar, explementum queritarent. *Desiderius.* Quàm est volupe mihi, Rem Romanorum Divinam dicam, an superstitiosam fusam admodum, te in has sermonis angustias constringere potuisse! *Mercurialis.* Quas tu angustias vocitas, vereor, ut alii exspaciationes justô longiores putent. Quidquid sit, seu per arctiora callium, seu per latiora camporum in hoc argumento incessimus, id tibi habeto certum, nostram dissertationem nequaquam *scruposam*, ut iterum *Plautinianô* verbô utar, repsisse viam; scrupulos & scrupulositatem relinquamus *Criticis*; nos, in hac Religionum superstitiosarum enarratione, Religioni non habuimus, siquid aliter sentirent alii, aut loquerentur. Ad Sectam Mahometanam faciendus transitus, quæ nisi tam latè imperaret, potuisset tacita præteriri. *Desiderius.* Gens est detestabilis; jurata & avita nominis Christiani hostis. *Mercurialis.* Restat, quod hoc in loco dicam. *Desiderius.* Quid? *Protervia* Gentilium veterum erat sacrificium, in quo, quod ex epulis supererat, igne consumebatur. Unde jocus Catonis in juvenem, quòd proterviam fecerit, quia, bonîs decoctîs, domum incendiô perdidisset. *Desiderius.* Salsè.

CAPUT

Caput XCV.

Mahometismus.

SUperstitionis hujus execrabilis inventor & auctor extitit *Mahometus*, circa annum Domini sexcentesimum vigesimum secundum, gente Arabs, ex Agarenis, ab Agare, Abrahæ ancilla, denominatis; qui posteà se Sacracenos, tanquam ex Sara, ejusdem Patriarchæ uxore, oriundos, dixerunt, latéque Africam & Asiam invaserunt. Is patre Gentili, matre Judæâ genitus, Sacrisque imbutus Christianis, homo corpore immani, aspectu truci, voce terribili, epilepsiæ morbô ex intempestivis comessationibus contractô, simulatô Archangeli Gabrielis congressu & colloquiô, adjutore Sergiô, Monachô apostatâ, &, ob hæresin Nestorianam, Constantinopoli pulsô, monstrosam sectam ex diversis disciplinis, Nestoriana, Judaica, Ethnica, velut Chimæram, conflavit. Ac primò Vates impostor, deinde dux exercitûs, nefaria dogmata in Arabiam induxit armis. Columbam inter cetera assuefecerat, ut ex aure ipsius peteret pabulum, quod Veterator callidè eô locô abdere consueverat. Hanc ille dicebat esse ipsissimum Spiritum Sanctum. Volumen novæ suæ Legis condidit, Arabicéque vocavit Alcoranum. Cúmque jam appetendi regni opportunum tempus videretur, columbæ schedam alligat, in qua scriptum: *Quisquis taurô jugum imposuerit, Rex esto.* Subornatur taurus; cujus inter cornua Alcoranus defigitur. Hic cùm multorum terrore subitò erumpens, ad Mahometem (ita enim assuefactus fuerat) accurrit; is pro concione Legem veluti cœlô demissam recipit; Sergius, apertâ columbæ schedulâ, verba legit; adfert jugum:

gum : quô impositô, confestim Mahumetes *Rex*, Sergius *Propheta* denuntiantur. In *Lege* omnia absurda & ridicula, de creatione mundi, de ejus fine, de paradiso, de inferis, cœlo, terra, creatione hominis, déque Mahumetis itinere in paradisum. Unum tamen Deum agnoscit, Christum etiam pro Magno Propheta coli præcipit, ut Moysen; natum ex Virgine, quam etiam in honore habet; ipse verò *Deceptor* à suis Christo antefertur. Testamenti Veteris Prophetas venerantur omnes. Non disputandô, non differendô veritatem inquirere licitum; ense Religionem profanam tuentur; hinc superstitionum pertinacia. Lunam præcipuum Planetarum in veneratione habent; menséque ab eadem numerant, annum cum illa in Septembri inchoantes. Septimô die circumcidere genitalia solent, ut diversitate noscantur. Cum *Sabellio* negat Mahometes Trinitatem Divinam; cum *Arrio* & *Eunomio* Christo adimit Deitatem: cum *Carpocrate* inficiatur, æterno Patri esse Filium: cum *Manichæis* asserit, Christum non esse crucifixum, sed alium ejus locô: cum *Donatistis* omnia Sacramenta tollit, & locô Baptismi varias lotiones introducit: cum *Origene* sentit; diabolos esse denique cœlô recipiendos: cum *Anthropomorphitis* somniat, Deum esse corporatum: cum *Cerintho* beatitudinem paradisi collocat in voluptatibus corporis, & admittit polygamiam, (uxorum multitudinem) prohibétque vinum ac suillam; diémque Veneris pro Dominica instituit feriandum.

Alcoranus dividitur in Azoáras centum quatuordecim: quas interpretantur illorum Mystagógi, dicti *Talismanni*. Diffident ipsi quoque *Musulmanni*, (ita vocati à circumcisione, quasi rectè credentes) dum alii volunt solum *Aly* seu *Haly* Interpretem legiti- *Alcoranus.*

gitimum Alcorani; alii ſociant ei *Ebubecar*, *Aomar*, *Osmar*. Et hoc eſt, quapropter Turcæ cum Perſis adeò mutuis in ſe bellis ſæviant. *Mamalucci* ſunt, qui à Chriſtianis ad Mahometem deſciſcunt.

Primum & præcipuum ipſorum Præceptum ſæpe repetunt; & in delubris ſuis ſcribunt: *La illah, ilelah, Mehemmet ireſul, allah. Non eſt Deus, niſi unus, Mahomet Propheta ejus.* Quinquies diurnô ſpatiô, horîs conſtitutîs, ſanum ſuum, quod *Meſchit* ſeu Moſchæam vocant, adeunt; ubi faciem verſùs meridiem convertentes Sacerdotes hymnos, quos de turribus antè concinuerant, erectô ſtantes corpore legunt; ad quorum voces ſinguli, manus zonæ inſerentes, finitâ denique lectione, procidunt, clamantes ter: *Sabanalla: ô Deus miſericos! eſto miſericors nobis peccatoribus!*

Sacerdotes ipſi Templa cuſtodiunt, populum ad orationem, digitis aures obturantes, convocant, ſuper editas quasdam turres clamitandô; campanis enim carent; mulieres Templi aditu prohibentur; viri priùs manus ad cubitum usque lavant. Præ foribus Templi oves, boves, pullos, columbas, & hujusmodi ſacrificant, carnésque pauperibus dividunt. Juxta omnia ſana fontes ſunt, ne quis, ob aquæ penuriam, illotus ingrediatur. In Templis nihil pictum, nihil ſculptum; niſi ſententiæ & dicta in parietibus conſcripta; lampades infinitæ, laquearibus aut fornici undique appenſæ, quarum pars aliqua ſemper ardet, pars die feſtâ. Paſchata duo obſervant, quæ *Bajaram* vocant; alteri jejunium viginti dierum jungitur, quod *ramazan* ſeu *ramadan* appellant.

Inter alia docent ipſorum codices, eos, qui, peregrinatione ſusceptâ *Mecham*, ubi ſepulchrum Mahometis eſſe dicitur, ſemel adierint, æternæ beati-

tudi-

tudinis certos esse. Item, si necentur à Christianis; quorum cæde, suis in prœlio occisis, parentare se putant. Prohibentur Lege, ne ullum hosti locum restituant, quem ferrô ceperint; & ubi Moschæam excitârint, ibique preces recitârint. Hostibus superatis, nihil sibi arrogant; sed totum Deo acceptum referunt; victi fortunam adversam impietati suæ adscribunt. Hospitalitatem adeò sanctam habent, ut eum, quocum semel cibum sumpsere, vel hostem factum, violare nefas existiment. Jejunii temporibus nihil gustant, ne aquam quidem, imò nec os eluere fas habent, antequam vesperi stellæ appareant, vel apparere soleant; deinde totam per noctem ingenti luxu convivia agitant. In sumentes die vetitâ cibum fustibus & flagris animadvertitur. Persuasum habent, ubi per quartam horæ partem cadaver in sepulchro quiverit; à duobus Angelis formâ terribilibus mortuum de vita exacta examinari; qui sceleratos ignitis flagellis cædant; innocentes placidè consolentur. Adeò creduli & superstitiosi sunt, ut & canibus felibúsque eleemosynam præbeant; sunt, qui coëmptas aves in libertatem emittant, sic mortuorum animabus suffragari seu opitulari putantes. Plebeiis ex præscripto incumbit, ut cuivis mendico obvio stipem impertiant: opulentis nullus præscribitur modus. Vigesimum quintum egressis annum necesse est connubiô jungi uxoribus, quas, pecuniâ emptas, ducunt indotatas.

Juris & Sacrorum summus Præses est *Muffti*, qui Sacricolas regit omnes, Legémque gubernat & explicat; huic proximi sunt *Cadelescheri*, tum *Cadi*, inde *Hoggiæ*; quorum officium docere populum; ad quos, tanquam Judices potissimæ tam Religionis quàm Politiæ, causæ deferuntur. Sequuntur Præ-

fecti Hospitalium & Xenodochiorum, quos *Medecos* appellant. *Imami* ceremoniis præsunt; *Meizini* ex alto populum convocant cantu: *Talumanni* eum ad preces excitant: *Syphi* rhythmos concinunt.

Religiosi inter illos habentur *Imailéres*, qui cæsariati cymbalis concrepant: *Calendéres* rasi ferreos annulos auribus, collò, brachiis gestantes, & insignem præ se continentiam ferentes, circumeunt, carmina quædam è libris lectitandô. *Dervisseri* vel *Dervisii*, in fronte & temporibus cauteriô notati, manu nodosam clavem gestant, prætextu hospitalitatis, sæpius latrocinia exercentes. *Torlachi* vel Torlaces, velissimis mendiculis persimiles, victum & ipsi tonsi mendicandô quærunt, ac turmatim vagantur; nebulones omnes impurissimi, sub larva pietatis, omne nefas occultantes.

His de Mahometica superstitione ex varia Scriptorum relatione expositis, Regimen quoque Politicum obiter inspiciendnm videtur. *Desiderius*. Non amicos tantùm, sed hostes etiam, præsertim capitales, operæ pretium est, nôsse.

Turcarum origo & progressus.

Mercurialis. *Turcorum* seu *Turcarum* nomen, ut recens quidam Auctor scribit, orbi innotuit annô Christi tertiô supra millesimum. Ii gens *Hunnica*, Caucasi Borealis incolæ, à Sultano (Saracenorum Principe) Babylonico evocati, contra Persas rebellantes, arma victores in Sultanum verterunt, Perside, Babyloniâ & Mesopotamiâ occupatîs; qui deinde Mahumeticâ lue, ex contagio Sacracenorum infecti, tremendum orbi imposuerunt Imperium, sub annum Christi millesimum trecentesimum, in Othomanno seu Osmáne, Satraparum Asiæ potentissimo; cui cùm Bythinia obvenisset, idem cœteras Satrapias sibi subjecit, gradúmque posteris stravit ad erigendam sublimem illam potestatis molem,

quâ

quâ latissimæ orbis partes premuntur, gemúntque diræ tyrannidi mancipatæ. Sedes Turcici Imperii constituta Adrianopoli in Thracia, quam annô Chr. 1360 expugnârunt : inde Constantinopolis capta annô 1453 acerbissimâ & luctuosissimâ rei Christianæ jacturâ. Exindè occupârunt in Europa Hungariæ magnam partem, & Thraciam cum Græcia, hoc est, Macedonia, Epíro, Achaja, Peloponeso, & cum Insulis maris Ægæi. Præterea Illyridis sive Sclavoniæ partem; tum Bosniam, Serviam, Rasciam & Bulgariam. In Africa habent Algerium, Tripolim, totam Ægyptum ab Alexandria usque ad Asuam urbem, quæ Syéne est. In Asia verò habent Natoliam, quæ est Asia minor; Cyprum, Palæstinam, Cœlesyriam, Arabiam omnem cùm Armenia.

Turcarum regimen. Ottomannorum *regimen* est merè Despoticum & Tyrannicum. Magnus enim Turca adeò absolutè *Dominus* rerum omnium, intra fines dominii sui contentarum, est, ut incolæ se ipsius mancipia, non subditos, nuncupent. Nec aliquis adeò magnus est, ut, de vita, non dico de fortunis aut statu, in quo est, securus sit, nisi quamdiu *Magno Domino*, sic enim passim vocatur, gratum est. Nulla ipsis Instituta aut Leges præter unum Alcoranum.

Opes & arma in manibus eorum ponuntur, qui à Christianis oriundi sunt, (*Azamoglani* dicuntur seu tributi filii) è parentum ulnis teneri adhuc avulsi; ad vigesimum secundum annum, inter labores & inopiam, ignari parentum, pro Imperatoris tutela vel obsequio educantur; è quibus deinde fiunt *Janizari*, (qui soli ferè pedites ritè armati sunt) & *Timarratæ* (equites, locô stipendii, agros possidentes; Timarrus enim ager est) semper in arma parati; & *Spachi*, equites stipendiô militantes; ex

his verò majores præfecti eliguntur. Lex autem ejúsque interpretatio apud eos reposita est, qui ab origine sua Turcæ sunt. Hi filios suos inter Moschæarum servitia educant; ubi Alcorani dogmata docentur; postea, adultâ ætate, *Cadi*, quasi Prætores, creantur, justitiámque administrant: etsi executio apud eos est, penes quos jus armorum viget.

Onera Imperii sunt penes *Vezirium* supremum; cetera per *Divan* seu *Divanum* (Regium Senatum) administrantur; cujus suprema capita sunt Vezirii reliqui; qui & provinciarum Maximi Præfecti, quibus subsunt *Bassæ*, & ipsi Præsides Provinciales, ob quæ officia vocantur *Beglerbégi*, hoc est, Duces Ducum & Principum Principes; quibus inferiores sunt *Agæ*, quasi tribuni; & his *Sangiaki*, *Begi*, *Capigii*, tanquam Centuriones. *Chiausii*, per provincias ad Præsides, Imperatoris mandata perferunt, & exequi curant. *Capigii* id faciunt atrocioribus in rebus, cùm de capite agitur.

Mores Turcorum.

Meminerimus etiam aliquid de *moribus*. In victu parci sunt Turcæ, unô ferculô, plerúmque simplici, saturantur; cibum humi capiunt super tapetia sedentes, cruribus decussatis. Mensa è corio explicatur, & contrahitur ut marsupium. Varia adhibent potionum genera, decocta è saccharo, melle, uva passa, cinamomo, pipere ac frigida. Nonnulli opium deglutiunt, ut ebrii sint, fatuique sine sensu, sine curis. Caput abradunt, relictâ, in ejus summitate, particulâ crinium, quam Hungari in sincipite, Tartari in occipite erigunt. Tegunt illud albâ cidari, cujus è medio holosericus apex, purpureus vel viridis, surgit, per spiras divisus; qui involúcre viride gestant, à Mahomete originem jactant. Honoris causâ caput non aperiunt, sed, manu pectori admotâ, corporis incli-

inclinatione reverentiam exhibent. Præcipuos Baſſas ipſúmque Imperatorem, ambabus pectori applicatis, venerantur. Tergum obvertere inhoneſtum credunt; itáque, poſt ſalutationem retrocedentes, frontem ſemper obverſam habent illi, quem ſalutârunt, donec per aliquod ſpatium ſe è conſpectu ſubtraxerint. Siniſtra honori datur, quòd à læva incedenti liberior ſit framea, quippe exterior. *Urbes* clauſas perraras habent, quia captas ſtatim dejiciunt; magna etiam domorum vilitas. Arma victis adimunt, nec tame ad abjurandam Religionem cogunt; diſciplinæ militaris, laboris æſtùs, frigoris perquam ſunt tolerantes; *arma* habent lanceam, arcum, ſecurim, ſicam, acinacem, clavam ferream; quidam etiam ſclopetos: & alii peltas & ſcuta. Chriſtianis teſtibus in judicio nulla fides. Reis illicò poſt cauſam dictam vel pœna ingeritur, vel abſolutio: præſtò ſunt lictor & virgæ; quibus non terga, ſed plantas pedum cædunt. Vincire, verberare, necare omnibus permiſſum Gubernatoribus & Judicibus; privatis quoque in propriam familiam usque ad necem poteſtas. In bello Turcæ, Tartarorum ope uti conſuevere, quòd eandem cum iis habent originem, & ejusdem ſuperſtitionis ſunt aſſeclæ, quorum Regem vocant *Cham* ſeu *Kan*, id eſt, Dominum. Magnus Moſcorum Dux Polonis dicitur *Zar*, quaſi magnus Princeps. Plusculum ſunt hæc, fateor, extra orbitam, ſed quia Turcarum bella quotidie legamus, cur res domeſticas negligamus? Nunc ad viam, & ad argumentum longè dignius, Religionem Chriſtianam, ſalutis noſtræ fontem & parentem. *Deſiderius.* Utrasque hîc arrigam aures. *Mercurialis.* Quod alibi monui, hîc repeto; in ſanctiſſimo Religionis negotio res potiùs quàm verba tenenda; neque enim res propter

verba, ſed verba propter res ſunt excogitata. Ob quam rationem, diverſi argumenti conſtitutio noſtrum dicendi modum ſic attemperat, ut ipſe ſibi videatur dispar, niſi quod in fidibus accidit, etiam hîc inæqualitas pariat æqualitatem. An fortè Metaphoris, & verborum circuitionibus, Latinorum ambages ſectandas putes? *Deſiderius.* Tum me magis circumduceres, quàm rectà duceres. *Mercuriales.* Ergo continuatam hactenus viam proſequamur ſine flexu.

Caput XCVI.

Christianiſmus.

PRimi hominis crimen, lethali in poſteros contagione transfuſum, neceſſitatem requirebat *ſatisfactionis* infinitæ; quàm, præter Deum hominem, cùm præſtare poſſet nemo, ipſe humani generis reparandi (*redimendi*) gratiâ factus homo, volens libens eam Juſtitiæ partem, pro ſua immenſa bonitate, ſubiit. Ad hunc ſalutis Auctorem, *Verbum* & *Filium* DEI, quotquot ſe per Fidem, Spem, Charitatem adjunxerint, iis ſempiterna ſunt in cœlo præmia conſtituta; qui ſecùs; eis ſunt in Tartaro exquiſitisſima & nunqam finienda ſupplicia parata.

Quis Christianus. Multi quidem nomen ſibi *Christianum* uſurpant, cùm recte ſolis conveniat illis, ſacrô qui fonte abluti, promiſſum credunt Servatorem (aut Salvatorem Latinè) jam veniſſe, JESUM NAZARENUM, à Judæis rejectum; ejúsque doctrinam ſalutarem profitentur per omnia. Puta, quòd natus in Bethlehem, poſt ablatum à Juda ſceptrum, è domo Davidis, ex Matre Virgine Maria, vitam vixerit ſanctisſimam & prorſus inculpatam, morti adjudicatus inno-

innocens, passus extrema pro nobis Peccatoribus, è Satanæ servitute liberandis. Secunda in Sanctissima Triade (Trinitate) Persona, Filius Dei Naturalis, ab æterno genitus, Patri omnino æqualis, (*consubstantialis* seu ὁμοούσιος) tertiâ post necem indignissimam die, vi propriâ redivivus, in cœlum Triumphator ascendens, in gloria patris collocatus, demisit inde Spiritum Sanctum, Paraclétum, Tertiam in SS. Trinitate Personam super Discipulos suos, quos Linguarum donô instructos misit, (unde nomen Apostolis) ad gentes, nuntiaturos Verbum, per quod mundus erat factus, corpus induisse, seu Corporatum (Theol. *Incarnatum*) esse, & in nobis habitâsse, reversurúmq; ad judicandos omnes, probos ac improbos, cuncti námq; reviviscemus, ínq; resumpta carne seu corpore comparebimus, coram supremi illius Judicis tribunali, adjudicandi ob merita quísque sua, vitæ mortíve perpetuæ; hanc ut evadamus, thesaurum habemus pretiosô Servatoris sanguine comparatum, remissionem nempe peccatorum, iis relictum, qui se Fide & Baptismô cum Christi conjunxerint Ecclesia, ínque ejus Unitate & Obedientia perstiterint; in qua Communio est Sanctorum, seu membrorum ejusdem inter se corporis, mutuis se officiis precibúsque juvantium.

Quæ vera Ecclesia.

A qua ne aberremus, Canonem habemus seu Regulam, Scripturam Sacram seu *Biblia*, hoc est, *Verbum Dei scriptum*, Vetus scilicet & Novum Testamentum, verbúmque Dei *non scriptum*, sed per Apostolos, eorúmque successores, vivâ nobis voce *traditum*, ut sunt præcepta, Constitutiones, Dogmata, Traditiones, ab illis ad nos trasmissæ; de quibus Paulus 2. Thessal. 2. *State, & tenete Traditiones, quas didicistis, sive per personam, sive per Epistolam nostram.* Utriúsque verbi Divini sensus & explicatio non ex

 pro-

proprio cujusque capite: Sed ex authoritate Sanctæ Ecclesiæ, quæ columna est & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. petenda. *Desiderius.* Quoniam Sacramentorum summum & sacratissimum est Eucharistia, quod in alimentum animæ *sumitur*: in contestationem Dei hominis in ea præsentis, *adoratur*: in memoriam passionis Dominicæ: expiationem delictorum pro vivis ac defunctis: in gratiarum actionem, (unde nomen habet) ac beneficiorum impetrationẽ *offertur*, tanquam sacrificium Novi Testamenti unicum; ideòq; ad ejus litationem varius apparatus requiritur. Id nunc te rogo, ut quando mihi *Ritus* aliarum rerum explicasti, ne graveris exponere, quid sibi velint sacrificales vestes & ceremoniæ; nam me rei divinæ quotidie assistentem, juvat hæc intelligere. *Mercurialis.* Tuâ credo modestiâ vis experiri meam. Scio, me scienti locuturum, quidquid in hanc rem dixero. *Desiderius.* Perspectum habes candorem meum. *Mercurialis.* Et tu meum. *Desiderius.* Da, quod peto. *Mercurialis.* Habenti? *Desiderius.* Desideranti. *Mercurialis.* Accipe.

Sacrificaturus Mysta, Christíque patientis insignia & mysteria repræsentaturus, circumponit humeris epomidem lineam; (*super humerale* vocant) tum *Albam* (scilicet vestem) induit, longam ac laciniosam tunicam, illius imaginem amictûs, quo Christum Herodes contumeliosè, ut fatuum, operuit; inde cingulum lumbis (flagellorum indicem) circumdat; fasciam seu *manipulum* sinistro brachio, *stolam* collo imponit, ad funes & laqueos Christo injectos significandos; quibus super induit vestem sacrificam (*casulam*; *Isidoro* casiolam) illusoriæ Christi purpuræ, & crucis insigne. ita ornatus Sacerdos procedit ex *Sacrario*, manu præferens calicem; præeunte ministro cum libro sacrorum

ritua-

rituali (*Missale* dicimus) ad cœlestem Hostiam immolandam. Calici antem *patella* imponitur, huic tegmen lineum quadratum, & duratum (*palla* nuncupatur,) operitur velô byssinô; extergitur linteolô in formam Strophioli, aut sudarioli, (*purificatorium* dicitur) collocatúrque super Sindonem amylô firmatam (*corporale* appellamus, quia corpus Domini ei imponitur) quod involutum thecæ includitur; huic aliud substernitur, quod inde nominatur substratorium; Omnia Christi pro nobis morientis ac sepulti memoriam reducentia. Pro *Hostia* servit orbiculus triticeus azymus; (sine fermento pistus) adsunt gutti bini (ampullæ, simpula, urceoli) cum *malluvio* & mappula (quod vulgò *manutergium.*) Ipsa SS. Eucharistia, reposita in vase inaurato, quod priscis latinis à capacitate Ciborium est appellatum; asservatur in *tabernaculo* seu *sanctuario*, (*Plin.*) & exponitur in sacro illo chrysendeto, bombycina, aut Phrygii operis *palluda* sive *chlamydula* seu palliolo, intecto; aut in Hierotheca fastigiata, (vulgò *monstranzia*) extuberante per medium diaphanô vitrô, SS. Hostiæ receptaculô. Adest & *pulvinus*, super quem liber ille ritualis *Missæ* collocatur; & cymbalum, seu tintinnabulum, cujus pulsu fidelium sensus, ad sublatæ in altum Hostiæ adorationem excitantur. Lampas perpetuò ardens (ignis pervigil) suspensa est ante aram: intra hanc Divorum reliquiæ (ossa & cineres) Lipsanothecis inclusæ; supra aram Christi pendentis effigies, juxtà candelabris infixi ardentes cerei, circa aram cancelli instructi, & oblongâ mappâ strati, ad quos flectunt genua, communicandi, seu impertiendi corpore divino; quibus ablutio ex armillo, seu cyatho vulgari præbetur. Aqua rerum sacra-

ſacrarum lotoria defunditur in piſcinam ſacram, ſeu aquariolum.

Deſiderius. Avidus auſculto latinos de ſacris latinis loquentes. Perge, cœtera hujus argumenti proſequi. *Mercurialis.* Tu verò minùs miraberis, ſi in rebus & ritibus Eccleſiæ Catholicæ, hoc eſt, Univerſalis, græca latinis quoque miſceamus. *Deſiderius.* Uſus, ut alibi, ita hîc quoque magiſter eſt.

Mercurialis. Templi (cujus Dedicatio, Conſecratio, Inauguratio, Græcis Encænia pl. vocatur) princeps membrum ſeu caput eſt Chorus; (cuidam puteal & pulvinar) media pars dicitur Navis: poſtrema Odéum; (projectum interiùs, ſeu ambon) plura in eo, non rarò Sacella, & Baptiſterium, & Suggeſtus ſeu ſuggeſtum, (Cathedra.) Vexilláque cum prælongis haſtilibus, imò perticis. Adſtructa eſt turris, (campanile) unde horologium & campanæ reſonant: quarum loco in Paraſceve crepitacula malleata vel rotata crepunt ac ſtrepunt.

Apparatiùs cùm perpetratur Sacrificium, adhibentur miniſtri plures, qui facienti aſſiſtant inſerviántque; è quibus duo, majoribus initiati Ordinibus, ſunt *Levitæ*, tunicis amicti ſtrictioribus, cum fimbriatis, & apertis laxíſque manicis, funiculis ſericis & villoſis nodis, à tergo pendentibus. (*Dalmaticas* vocant eas tunicas.) His adjunguntur *acolythi*, hoc eſt, comites ſacrificantis, ceroferarii, & facigeri linteati, ſeu amiculô lineô albati: (vulgò *ſuperpelliceo*) alii geſtant thuribulum, & acerram (vulgò *naviculam*) ad odores incendendos. Interſonat Muſica ſive Chorodia; cui reſpondent antichoria, (quaſi oppoſita Chori pars) dichoria, trichoria. Choricis præeſt Choróſtata ſeu Choroſtates (Archíchorus, Meſóchorus, Phonaſcus) qui modulos manu ſeu percuſſione (ut *Cicero* loquitur,) mode-

moderatur. Apparatissimâ pompâ fiunt sacra, cùm illis infulatus Mystes, seu Protomysta operatur, utens pontificali pedô; Neomysta Sacerdotii primitias immolat, seu primam Hostiam litat.

Præter Sacrificium Missæ (quæ dicta est vel à missione Hostiæ in cœlum, vel à dimissione populi, Græci *Liturgiam* appellant) decantantur Preces *Canonicæ*, seu Horariæ, *Breviariô* (quasi Precum & Sacrorum Bibliorum epitome seu compendiô) contentæ, diurnóque pensô à Clericis persolvendæ, quarum aliæ, ob distributionem & intervalla temporis, Precationum *Matutinæ*, aliæ *Vespertinæ*, in quibus usus pallii seu *impluviæ*; (vulgò *pluvialis*) earum clausula dicitur *Completorium*, quasi Precum Complementum & finis. Psalmis interseruntur antiphónæ, versiculi seu epodia, capitula, hymni, quæ diebus negotiosis seu operariis, minúsve solemnibus concinuntur â *Choralistis*, (ut vocant) cantu Gregorianô (videlicet absque Symphonia.) Distributiones pecuniariæ, quæ dantur præsentibus decantationi Precum Canonicarum, vocantur *Præsentiæ* vulgò, quasi præsentaneæ pecuniæ, aut sacri nummi præsentibus erogati.

Præter diem Dominicum à Domini Resurrectione seu Anastasi dictum, cœteræ anniversariæ *Festivitates* dividuntur in Festa *Mobilia*, quæ diem mutant mensis; *Immobilia* (Stativa seu Stata) quæ quotmensium diebus numero iisdem recurrunt: prioris generis sunt Pascha, cui præmittitur jejunium magnum, seu quadraginta-diale & Pentecoste, &c. Posteriores sunt Natalia seu Natalitia Christi *Nazianzeno Theophania*; Et quod vulgò Festum Trium Regum dicitur, Græcis Epiphania vocatur. Quibus accedunt feriæ Matri Virgini & Apostolis, aliisque cœlitibus sacratæ, pridianis etiam pervigiliis, & Festi dies.

jeju-

jejuniis celebratæ; præter quod hebdomadum dies veneris & sabbathi, abstinentiâ carnium antiquâ religione observandos. Instituuntur etiam religionis ergò peregrinationes, & supplicationes votivæ ad diversorum locorum templa.

Hierarchia Ecclesiastica

Si spectes *Hierarchaim Ecclesiasticam*; in ea gradatim sic ascenditur: Præmissâ *Tonsurâ Primâ,* conferuntur *minores quatuor Ordines* Clericorum (consecrationes, initiationes, inaugurationes) scilicet *Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum*; majores verò tres: nempe *Hypodiaconorum*, (minùs Latinè, & Græcè, Subdiaconorum) *Diaconorum*, ac *Presbyterorum* seu Sacerdotum. Ex his aliqui habent *Curionatum*; vulgò *Beneficium Curatum*, Latinis dicuntur *Curiones* (alii non habent,) vulgò *Beneficium simplex,*) cui scilicet non est adjuncta jurisdictio & parœciæ administratio; quales sunt Sacellani, minoribus Sacellis aut ædiculis præfecti. *Curiales* sunt Curiones seu Parochi, cum sacra potestate administrantes parochias seu parœcias, quarum plures faciunt *Diœcesin*; horum officium est Eucharistiam distribuere, Confessiones piaculares excipere, moribundos sacrô oleô inungere, fonte sacro infantes tingere, nubentes matrimonio conjungere.

Munus Curionum.

Cùm dies feriatus illuxit; Parœci seu Parochiani convocantur ad ædem sacram, pulsu æris campani; ubi Liturgia seu sacrificium (res Divina) peragitur: Concionator sive Ecclesiastes è superiore loco dicit ad populum; invocatô priùs auxiliô Spiritûs Sancti & prælectô Evangeliô, Divina mysteria auditoribus interpretatur: fidem Catholicam declarat: pestiferos errores refutat. Superstitiones & vitiosas consuetudines extirpat: ad vitæ integritatem & sanctimoniam instruit. Re sacrâ confectâ, dimittitur Concio cum fausta apprecatione, consper-

gun-

guntur abituri aquâ lustricâ, quæ aspergillo seu asperforiô hauritur ex aquiminali. (aquiminario seu amula) Parochorum Adjutores appellantur *Cooperatores*. Supremus Curionum est *Archipresbyter*, seu Curio Maximus, sive *Decanus*. *Episcopatui* præest *Episcopus*, penes quem jus est primarium & cura pascendarum animarum, Baptizatos *confirmandô*: Clericos, non sine titulo mensæ seu sustentationis, ac Templa inaugurandô, Chrisma consecrandô, Pœnas Ecclesiasticas (vulgò Censuras) infligendô, anathemate (*Excommunicatione* vulgò) percellendô, indignos Sacerdotiô ab officio suspendendô, removendô, exaugurandô & desecrandô; alios voti Religione solvendô, aut Legem eis relaxandô, seu gratiam Legis faciendô; (vulgò Dispensatio) aut in favorem privatum aliquod Jus aut Legem concedendô, quod Privilegium appellatur. *Proëpiscopi* (seu Initiatores, vulgò *Suffraganei*) dicuntur, qui, locô Episcoporum, Sacris initiant Ordinibus, Templa & aras sacrant; ex aris quædam, quia de loco in locum portantur, vulgò dicuntur altaria portatilia, Latinè subductilia, explicatilia, temporaria; *Vicarii* autem seu *Archidiaconi* sunt, qui eosdem Antistites in omni cura Ecclesiastica adjuvant. Episcopus designatus, alterô vivente, *Coadjutor* vocatur. *Episcopium* habitatio Episcopi. Primarii Sacerdotum & Clericorum sunt Collegæ *Canonici* Ecclesiæ Primariæ; quæ à Cathedra ibidem residentis Episcopi solent vocari *Cathedralis*, aut *Collegiata* à minore vel minorum Canonicorum Collegio; qui Senatum ineunt in Exedra, quæ vulgò *Capitulum* dicitur, & ejus Consilii participes *Capitulares*. Inter quos eminet *Præpositus*; tum *Decanus* (Magister Collegii & Censor Ecclesiasticus) ad quem disciplinæ & Divini Cutûs ratio

Munus Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum Antistitum ac Ministrorum.

maxi-

maximè pertinet. Sequuntur *Scholasticus*, cujus officium est curare, ut rectè instituatur juventus seu Scholares, tanquam seminarium Clericorum; *Hierophanta* est Custos Thesauri & sacræ supellectilis, ac SS. Lipsanorum ostensor; inde *Oeconomus*, quasi rationum & redituum magister, aliique Officiales; quibus adjungitur *Syndicus*, qui lites persequitur, & jura Ecclesiæ controversa defendit. Infima Templi ministeria obit *Æditimus*, seu Æditaus, templi Custos. *Crustularius* coquit arroptâ crustula sacrifica pertenuia, quæ exscindit ferramentô orbiculatô. Verùm præ his omnib⁹ dignitate præcellunt *Metropolitani* seu *Archiepiscopi*, quorum sedes *Metropolis*; quibus rursum Superiores sunt *Patriarchæ*. Sed summus omnium Hierarcha, & Pastor Pastorum est Pontifex Romanus, Syriacâ linguâ *Papa* seu Pater, Christi Vicarius, & caput Ecclesiæ; penes quem *potestas clavium* seu Jus universale *ligandi* & *solvendi*. A quo potestatem & jurisdictionem habent omnes illi, qui in Ecclesia *ligant*, *solvuntque*, hoc est, vel delicta loco Christi remittunt, vel reservant & pœnis adstringunt. Pontificium est pontificalis dignitas ac munus. Electores summi Pontificis sunt *Cardinales*, seu Patres purpurati. Pontificis est, Leges ac Canones condere, fidei controversias decidere; homines sanctissimâ vitâ functos in Divorum numerum referre, Concilia Oecumenica seu Generalia suo consensu congregare, & auctoritate confirmare, &c.

Monachi (Cœnobítæ, Religiosi, Ascétæ) inhabitant Monasteria, Cœnobia, Claustra Religiosa, professi spontaneam Paupertatem, Castitatem & Obedientiam, secundùm certas Leges, *Regulas* & Statuta, quibus præsunt Antistites, (vulgo *Prælati*) Rectores, Cœnobiarchæ, Archimandritæ, Præsu-

Ies,

les, Abbates, Præpositi, priores, &c. Consecratis verò & dedicatis Deo Virginibus (vulgò *Monialibus* seu *Sanctimonialibus*) sacrô obnuptis flamine, (Græcis Ascetriæ vocantur) quas quæ regunt, vocantur Antistitæ (vulgò *Abbatissæ* aut *Priorissæ*) earúmque Vicariæ.

Qui recèns complectuntur vitam Religiosam aut Cœnobiticam, vulgò *Monasticam* & *Claustralem*, dicuntur Tirones aut Novitii, absolutóque Tirociniô (vulgò *Novitiatu*) admittuntur ad Professionem Votorum. *Eremitæ* seu *Anachorétæ* tenent se in eremo seu solitudine. *Desiderius.* Liceat hîc interloqui. *Mercurialis.* Optima cum venia. *Desiderius.* Quoniam in Chronologia sparsim fecisti mentionem Originum & Institutionum Religiosarum, qnid si, quando hic locus monet, unâ contexeres serie Cœnobiticas familias, suis cum Institutoribus & ætatibus. *Mercurialis.* Concedam in tuam voluntatem, ubi priùs notâris, non discrepare leviter Computatores temporum, circa hasce Origines; dum alii, quod alibi memoravi, observant annos, quibus Religiosi cœtus coire cœperunt; alii, quibus floruerunt: alii, quibus auctoritate Pontificiâ approbati fuere. Deinde copia sacrarum hujusmodi familiarum major est, quàm ut brevi se paginâ constringi sinant. Præterea de prærogativa vel Dignitatis vel Antiquitatis non sunt exiguæ controversiæ, quas componere, haud sanè nostrum est. *Desiderius.* Auscultatorem me habes, qui tibi nec modum dicendi, nec tempora ponit. *Mercurialis.* Recenseo, non veste tantùm, quod Viatorum est, sed linguâ etiam succeinctus. E pluribus potiores accipe & notiores. *Monachorum*, hoc est, solitariam & claustris abditam degentium vitam Patriarcha primus est *D. Antonius Magnus*, qui in Thebaide, regione Ægypti,

eremos in monasteria & sacrorum virorum domicilia convertit circa annum 310. *Baron.* Cujus sectator & discipulus fuit S. Hilarion, Monachorum & ipse Pater. In Occidente S. Martinus Episcopus Turonensis, instituit Cœnobitas in Gallia circa ann. 360. *Baron.*

In Græcia S. *Basilius* Magnus, Cæsareensis Episcopus Cappadociæ circa ann. 326 in eremum abiit; Monasticam inde disciplinam perfecit, Regulis seu Legibus eam in rem piè sanctéque præscriptis, circa ann. 362. *Baron.*

Circa an. 400 S. *Augustinus*, Hipponensis Episcopus in Africa, instituit Ordinem Canonicorum Regularium, nempe Clericorum, qui communem cum ipso vitam agebant. *Bellarm.* in Chronolog. & *alii.* Reformatur Ordo annô 1062. *Gaulterius.*

Inde S. *Benedictus*, Nursiæ in Italia, nobili genere natus; circa annum 494 in solitudinem secessit. Ordini verò à se denominato initium dedit circa an. 524. *Bellarminus.*

Circa annum 912 instauravit S. Benedicti disciplinam S. *Berno*, Abbas ejusdem Ordinis, & in Burgundiæ pago *Cluniaco* Cœnobium constituit; unde Ordo *Cluniacensis* nomen habet, quem S. *Odo* circa annum 936 mirè propagavit. *Baron.*

S. *Romualdus*, Ravennas, nobilissimâ Ducum stirpe oriundus, è Cœnobio Classensi, ad Anachoreticam vitam transiens, instituit Ordinem *Camaldulensem*, ab eremo Camaldulensi appellatum, circa annum 967. Ejus meminit *Baron.* an. 974.

S. *Joannes Gualbertus*, Nobilis Elorentinus, extitit Auctor Ordinis Vallis Umbrosæ circa annum 1040. Juxta *Gaulderium* & *Raynaudum* nostrum. Confirmatus à sede Apostolica annô 1070. Ejus meminit *Baron.* 1063.

S. Ro-

S. *Robertus*, Abbas Molismensis in Diœcesi Lingonensi Galliæ, institutor est Ordinis *Cistercienss*, circa ann 1098, cui nomen à Cistercio, solitario quodam Burgundiæ loco; in quem se Ordinem postea circa annum 1113 contulit cum multis aliis S. *Bernardus*, primus Abbas Claravallensis, & Ordinis Instaurator ac Propagator; atque hæ familiæ omnes è Divi Benedicti Institutis fluxêre. *Hieron. Platus de Bono Status Religiosi lib. 2. c. 22.*

S. *Bruno*, Coloniæ Agrippinæ natus, Theologiæ Doctor, Canonicus Rhemensis, cum sex sociis secessit in montes Diœcesis Grationopolitanæ in Gallia asperrimos, appellatione *Carthusios*, unde nomen Ordini *Carthusiano*, quem instituit circa ann. 1086. *Gault.*

S. *Norbertus*, Nobilis *Lotharingus*, Ordinem *Præmonstratensem* inchoavit circa ann 1116, cui appellatio à deserto loco, Præmonstratô nomine, Diœcesis Laudunensis, quem cum tredecim sociis sibi delegit, divinitus acceptâ per visum Regulâ S. Augustini. *Ray. Gau. Brev. Rom.*

Juverit hîc meminisse Equitum S. Joannis seu *Joannitarum*, sive *Rhodiorum*, ob Rhodum Insulam ab iis occupatam; quibus incumbebat peregrinos hospitiô excipere, unde & *Hospitalarii* dicti. Institutio facta annô 1119. *Teutonicus* verò Ordo à Germanis erectus est eodem tempore, qui & peregrinantes ad Terrã sanctã excipiebant & deducebant, ac pro Religione cum barbaris dimicabant; dimicántque. *Gault.* Sed *Joannes à Bussières* Soc. nostræ in Flosculis Historiarum refert hæc ad annum 1104, aítque, ex Hospitalariis ortos Equites Jerololymitanos, deinde Rhodios, postremò Melitenses, Reip. Christianæ firmissimum propugnaculum.

Ordo *Guilielmitarum*, à *Joanne Bono* Mantuano in-

inchoatus, appellationem traxit à S. Guilielmo, Aquitaniæ Duce, Pictaviensíque Comite, qui illum sub Regula ex S. Augustino collecta formârat 1160. *Gaulter.*

Ordo *Carmelitarum* in monte Carmelo stabiliri cœpit sub Alexandro III; licet, quô annô, haud satis constet *Gault.* At *Bell.* & *Baron.* ponunt annum 1180 & 1181. Juxtà *Raynaudum* & *Platum* innotuerunt Europæ circa annum 1200 Idem *Platus* ait, Regulam Carmelitis conditam à Joanne Hierosolymitano Patriarcha, ejusdem Ord. circa ann. 412 nec desunt, qui, tempore Apostolorum Ordinem in monte Carmelo inchoatum, dicant. Quidam usque ad Eliam & Elisæum Prophetas referunt.

Dominicani à D. *Dominico*, Hispano, Calarogæ nato, & nomen & initium habent, qui priùs Oxoniensis Ecclesiæ Canonicus Regularis, cùm Tolosæ in Gallia decem annos adversùs hæreticos operam navâsset, coactis illic aliquot ejusdem consilii sociis, novam formam novúmque institutum excogitavit, circa an. 1201. quod quia Evangelio prædicando se impendebat; *Prædicatores* sunt appellati. Approbatus Ordo primò ab Innocent. III tempore Concilii Lateranensis; deinde ab Honorio III ann. 1216. *Platus, Genebrard. Gault.*

S. Franciscus, Assisii in Umbria natus, relictâ mercaturâ, Evangelicæ Paupertatis amore impulsus, cùm duodecim socios adhibuisset, Ordinem Minorum instituit, Romámque venit annô salutis 1209, ut sui instituti Regula ab Apostolicâ sede confirmaretur. *Gaulterius* ex *Genebrardo* ait, Ordinem confirmatum duobus ante S. Francisci mortem annis, hoc est, annô 1224.

S. *Clara*, nobilis Virgo, Assisii nata in Umbria, S. Franciscum Civem suum imitata, facultatibus suis

ſuis in pauperes erogatis, ſacrarum Virginum collegium inſtituit circa annum 1211. *Raym.*

Ordo Militaris S. Mariæ *de Mercede* ſeu de Redemptione Captivorum inſtitutus Barcinone, circam ann. 1232. auctoritate Jacobi I, Arragoniæ Regis, adjuvantibus S. Raymundô, & S. *Petrô Nolaſcô*, qui Fundator & Inceptor Ordinis extitit, natione Gallus. *Genebrardus in Innocentio IV*. & *Breviar. Roman.*

Annô 1232. juxta *Platum* & *Henric. Spondanum*: ſed juxta *Gault*. & *Rayn*. 1252. ortum habuit Florentiæ Ordo *Servitarum* ſeu Servorum B. Mariæ, ſeptem viris nobilibus ac locupletibus (quorum juxta *Spondan*. primus Bonfilius de Monaldis; juxta *Gaulterium* verò ex *Onuphrio* ad ann. 1252. primus Beatus Bonavitus) cœleſti voce admoniti in propinquum montem ſeceſſerunt, ubi in æde ſacra, à ſe exſtructa, monente B. V. nigrum habitum & Regulam S. Auguſtini ab Epiſcopo Florentino ſuſceperunt; approbati ab Alexandro IV. ejúsque Succeſſoribus, & inter mendicantes relati à Martino V.

Ordo *Eremitarum* S. Auguſtini ad diverſos annos defertur. *Joan. Buſieres* in Floſc. ſcribit, eos Galliæ illuxiſſe annô 1157, Conditore S. Guilielmô, S. Bernardi diſcipulô, Aquitaniæ Duce, qui ad Regulam S. Auguſtini Anachorétas inſtituit, poſteâ cœnobiticô more vitam agentes. Juxta *Bellarmin.* nomen illud ab Innoc. IV. acceperunt annô 1243. qui deinde circa an. 1255. ab Alexandro IV. reducti ad unum & eundem habitum, qui hodie eſt in uſu, & conſociati. *Bellarmin. Gualter.* Alii apud *Suarez. de Relig. l. 2.* referunt horum originem ad ipſum S. Auguſtinum.

Ordo *Cæleſtinorum* à *S. Petro de Morono* ſub Regula S. Benedicti inſtituitur, & à Gregorio X. confir-

matur an. 1274. Eô quidem nomine appellatus, quòd hujus Fundator & Auctor, viginti post annis ad summum Pontificatum evectus, Cœlestini V nomen accepit. *Platus.*

Olivetanæ familiæ auctor est B. *Bernardus Tolomeus*, unà cum duobus aliis, ipsius luculentâ oratione incensis, quam is in Sinensi Academia, ubi publicè Philosophiam profitebatur, de seculi vanitate habuerat. Inde in propinquum quendam montem Olivetum, unde nomen Ordini, se receperunt, an. 1320, ubi multos ad imitationem excitârunt, *Platus.*

In eadem urbe Senensi annô 1356 inchoatus est Ordo *Jesuatorum*, auctore *Joanne Columbinô*, cujus mirabilis conversio debetur lectioni vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ, in quam casu inciderat *Platus.*

Ordo Fratrum Mendicantium, seu *Eremitarum S. Hieronymi*, sub Regula S. Augustini, Fesulis à Redone Comite & Gaultero institutus annô 1405, & restitutus annô 1425. *Gault. Platus* ait, familiam Eremitarum S. Hieronymi, quæ præsertim in Hispania & Lusitania floret, Fundatorem habere Petrum Ferdinandum, qui relictâ Petri, Castellæ Regis, aulâ, primò solitariæ vitæ sibi socios adscivit; Ordinem deinde circa annum 1383 sub Gregorio XI confirmatum & domiliorum accessione non mediocriter auctum esse.

Post hos *Minimi* prodiere, an. circiter 1450, qui humilitatem, quam nomine ipsô præ se ferunt, vitâ etiam atque institutô profitentur. Horum caput atque origo fuit S. *Franciscus ex Paula*, Urbe Calabriæ, oriundus; unde *Paulini* appellantur, *Platus Breviar. Roman.*

Annô 1524 instituitur Ordo *Clericorum Regularium*, quos *Theatinos* vocant, à Petro Caraffa, Episcopo

scopo Theatino. *Gault.* Adjutor Caraffæ, postea Pauli IV, fuit B. Marcellus *Cajetanus Tienæus*, Nobilis Vincentinus, Protonotarius Apostolicus, ad quos accesserunt Bonifacius à Colle, Alexandrinus Insuber, & Paulus, gentilitiô cognomine *Consiliarius*, Romanus; ut eorum operâ Ecclesia in morum censura & sincera Sacrorum Ordinum collatione uteretur. *Henric. Spondanus in Annal* ad annum 1524. Exigit Institutum, ut non solùm omnino nihil possideant, sed ut ne mendicandô quidem vitam sustentent. *Idem.*

Anno 1525 initium Ordinis *Capucinorum* sub Regula S. Francisci; auctore Matthæô *de Basso*, Umbro, Sacerdote Religiosô, *Minoritá observante. Gault.* & *Spond.* ad hunc annum. Addit *Spondan.* eundem P. Matthæum voce divinitus allapsâ excitatum esse de Regula S. Francisci ad literam observanda sub vita Eremitica. Confirmatus Ordo à Clemente VII 1528 & an 1538 à Paulo III. Nomen traxit à quadrato capitio seu cucullo, quem ceteri *Minores* rotundum gestant. *Suarez de Religione lib. 2. c. 8.* scribit, Ordinem S. Francisci in duas Principales familias divisum, tempore Clementis VI Alteram, Bonorum Immobilium possessionem & proprietatem in communi retinuisse; & *Conventuales* dictos. Ab altera repudiatam eam proprietatem & vocatam de *Observantia*; ad quam omnes aliæ variis nominibus nuncupatæ reductæ sint. Quibus postea tertia adjecta *Capucinorum*, quæ ex Observantibus prodiit. Iniit Pontificatum Clemens VI annô 1348. & rexit Ecclesiam annis decem. *Observantium* Præpositus Generalis vocatur *Minister*; *Conventualium Magister.* Annô 1532 Clemens VII approbavit Congregationem Fratrum *Minorum S. Francisci Strictioris Observantiæ,* (quos *Recollectos* postea vocarunt) quip-

pe purè & simpliciter Regulam S. Francisci observantium. E quibus *Reformati* nominantur, qui utuntur calopodiis seu calceis ligneis; Italis dicuntur *Socculantes*. *Spondan.* ad hunc annum.

Annô 1533 approbata est à Clemente VII Congregatio *Clericorum Regularum S. Pauli Decollati*, nuper Mediolani instituta à tribus viris nobilibus, homines ad pœnitentiam exhortantibus. Qui, quòd primùm munia sua exercerent in Ecclesia S. Barnabæ Mediolani, sortiti sunt denominationem *Barnabitarum*. Hujus Congregationis membrum fuit Augustinus Torniellus insignis Chronographus.

Annô 1534, quô tempore Anglia defecit ab Romana Ecclesia, Parisiis jacta sunt fundamenta *Societatis JESU*, auctore *Ignatiô de Loyola*, Nobili Cantabrô, profanam militiam cum sacra commutante. Is ex Parisiensi Academia, adjunctis sibi variarum Nationum sociis novem, in iis *S. Franciscus Xaverius*, Indiarum Apostolus, qui artium magisteriis & Theologiæ gradibus insignes erant, Ordinem *Clericorum Regularium* (vulgò *Jesuitæ* dicuntur) instituit Romæ, eúmque ad tria consueta Religiosorum Vota, quartô de Missionibus additô, arctiùs sedi Apostolicæ adstrinxit. Paulus III primò recepit confirmavítque annô 1540. Mox alii Pontifices ac Tridentina Synodus probaverę *Breviar. Rom.* Est Ignatius in Beatorum numerum relatus an. 1609, in Sanctorum 1622, Breviario Romano insertus 1646.

Annô 1575, S. *Philippus Nerius*, Florentinus, instituit *Congregationem* Presbyterorum & Clericorum *Sæcularium*, ut vocant, (cujus hoc locô inter Religiosos, honoris causâ, meminimus) sub ipsius Directione viventium & curam animarum exercentium. Constitutiones ab ipso conditas confirmavit Paulus V annô 1612, & *Congregationem Oratorii* nuncu-

cupavit. *Spondanus* ad annum 1575. *Raynaudus* refert ad annum 1564. Eminuit in hac Congregatione Cardinalis Cæsar Baronius, celeberrimus Scriptor Historiæ Ecclesiasticæ.

Annô 1568 Pius V admisit in numerum Religiosorum Ordinum *Clericos Regulares S Majoli*, (cujus Ecclesia Papiæ, urbe Italiæ, illis à Divo Carolo Borromæo attributa est) sive *de Somascha*, qui alius est locus Diœcesis Mediolanensis. Fuit à Paulo III jam annô 1440. Ordo approbatus, sed nullis dum votis adstrictus. Ejus Conditor *Æmilianus*, Patritius Venetus.

Annô 1572 Pius V approbavit Congregationem *Fratrum Charitatis* seu *Misericordiæ*, auctore Joanne Dei: quem Urbanus VIII ann. 1630 Beatorum numero accensuit. Fuit is Lusitanus natione, Diœcesis Eborensis. Finis instituti servire pauperibus infirmis. Ordinem reformavit Clemens VIII & Paulus IV an. 1617 in veram Relionem, sub tribus votis & quarto de juvandis Infirmis erexit sub Regula S. Augustini. *Spondau.* ad an. 1572.

S. *Teresia Virgo*, Abulæ in Hispania nata, severiorem Veterem Carmelitarum Regulam, Deô afflante & Piô IV approbante, primùm mulieribus, deinde viris observandam proposuit annô 1568. *Brev. Rom.* In auxilium promovendæ Reformationis venerunt Joannes de Cruce & Joannes de JESU, ambo ejusdem Ordinis primi austeriorem vitæ Regulam amplexi. *Spondan.* ad an. memoratum. Approbavit Clemens VIII annô 1580.

Annus 1604. protulit Ordinem Monialium *Annuntiatarum*. Fundatrice Mariâ de Victoria, Genuensi, quæ, defunctô maritô, Religiosum cœtum instituit, & habitum de manu Archiepiscopi suscepit, vestem videlicet albam & *scapulare*, cum pallio cœ-

rulei coloris. Dictæ sunt *Annuntiatæ*, quòd præcipuâ devotione ad Mysterium Annuntiationis B. Mariæ afficerentur. *Spond.*

Annô 1610 cœpit in urbe Aniciensi Diœcesis Ordo *Fœminarum Visitationis B. Mariæ*, institutore B. Franciscô de Sales, Episcopô Genevensi, nomen habet à Visitatione, quòd primæ ejus Congregationis, ob reverentiam tanti Mysterii, infirmos, magísque egentes & derelictos consolabantur, eísque inserviebant. Postea in varias Provincias propagatæ claustris se abdiderunt; & cùm non possint in domibus invisere infirmos, tenentur admittere puellas debiles & infirmas, atque ad alterius Ordinis ingressum inhabiles. *Spondan.*

Annô 1611 surrexit Parisiis novus Ordo Virginum & Viduarum sub nuncupatione *S. Ursulæ* & *Regulâ* S. Augustini, additis nonnullis singularibus Statutis, sub autoritate *Ordinarii*; quarum Institutum est ad bonos mores & pietatem instruere puellas; quod Paulus V Pont confirmavit hoc annô. Fuit autem Sodalitas *S. Ursulæ* jam priùs instituta an. 1572 à B. Angela Brixiana, & ad petitionem S. Caroli Borromæi, Archiepiscopi Mediolanensis, approbata à Gregorio XIII. *Spondan.* ad an. 1611.

Sed nunc ad tramitem, unde nonnihil deflexi-mus. *Desiderius.* Enimverò rectà procedimus, & quidem inter florida Religionis viridaria, quorum aspectus pariter & odor intimos mihi sensus recreavit. *Mercurialis. Si tu velle potes, poteris flos floribus addi.* Nisi forsan magis arrident Dignitates Ecclesiasticæ & ampla Sacerdotia & cetera sacra, non sine splendore, munia, quæ justè ritéque comparantur 1 *Præsentatione*; quæ est personæ per *Patronum* Episcopo vel alteri, ad quem Institutio pertinet, legitimè facta exhibitio. 2 *Electione*, quæ est alicujus personæ

Collatio munionum Ecclesiasticorum.

ſonæ ad Eccleſiæ vacantis paſtoralem dignitatem *Canonica Vocatio*, facta per *ſuffragia*, ſive id fiat *ſcrutinio* ſeu collectione ſuffragiorum; ſive per *compromiſſionem* uni vel pluribus, eam eligendi poteſtatem committendô; ſive per *inſpirationem* Divinam, quando omnes omnino Electores in unum, quaſi unô ore, abſque vitio conſentiunt. 3 *Poſtulatione*, quando ab habentibus jus eligendi poſtulatur quis extra corpus ſuum ſeu Collegium a Superiore illius; rogatúrque, ut confirmet, quem elegerint. Spectat autem ad Electionem *Confirmatio*, quæ tunc eſt, quando Epiſcopus dat alicui jus adeundi & adminiſtrandi officii, ei per electionem aut poſtulationem delati. 4 *Collatione* liberà, quæ eſt conceſſio Sacerdotii, aut alterius muneris vacantis liberaliter facta ab habente poteſtatem. Huc revocantur *Permutatio* & *Reſignatio Beneficiorum* (ut loquuntur) Eccleſiaſticorum. Sed hæc ſimiliáque ad Forum potiùs Juridicum pertinent: Nobis ſatis ſit, Religionem Chriſtianam & Rempublicam Eccleſiaſticam ita delibâſſe, unde & rectè ſentire poſſimus & loqui, ſi minùs nitidè & Ciceronianè, verè tamen & Chriſtianè. *Deſiderius. Uti ſermone debemus, qui notus eſt nobis*, inquit Tullius. Non verba, ſed pectus & vis mentis diſertos faciunt. *Mercurialis.* Ego memini illius à Plutarcho dicti: *Qui in Moralib. in Platone & Demoſthene* (nos dicamus: in rebus ad Religionem ſpectantibus) *nihil quærunt, niſi puritatem Attici ſermonis, quid aliud agunt, quam ii, qui nihil in pharmacis amant, niſi fragrantiam & nitorem; vim purgandi, ſervandiq; negligunt.* Quanquam hîc ego, neque Medicum, neque Theologum ſed Philologum ago. Sed procedamus ad eos, qui â noſtris ſacris diſſidentes, variis ſeſe opinionum heteroclitarum labyrinthis implicant. Quorum tota ratio à

veri-

veritate aberrandi, est, Magno Augustino teste: *Quod Scripturas bonas, intelligant malè. Desiderius.* Multa paucis. *Mercurialis.* Hoc in argumento nullum est dogma tam absurdum, cui pro hederâ non appendatur *verbum Dei, & Evangelium.* Videamus.

Caput XCVII.

Hæreses.

Fides Divina est assensus firmus, præstitus propter auctoritatem Dei loquentis & revelantis, qui, ob veracitatem suam, tam in cognoscendo quàm dicendo nec falli potest nec fallere. Et cùm fides sit ex auditu, opus est, ut nobis proponatur.

Quid Hæresis. Atque hinc oritur *Hæresis*, quæ est Græca dictio, significans sectam aliquam tenaci opinione electam. In proposita materia est Error contra fidei Orthodoxæ veritatem, cum pertinacia junctus, in eo, qui fidem suscepit, hoc est, Baptismi Sacramento initiatus, membrum Ecclesiæ factus est; qua ex causa, quotquot salutari undâ abluti sunt, nomine censentur *Christianô*; quod utinam non amitterent, quando donum illud cœlitus infusum rejiciunt, defensantes contumaciter erronea dogmata. *Infideles.* *Infideles* dicuntur, quicunque per januam illam salutis in Cœtum *Fidelium* admissi non sunt. *Schismatici.* *Schismatici* audiunt, ob Schisma seu scissionem & divisionem, aut disjunctionem, dum se impiè separant & segregant ab unitate Ecclesiæ, prout est corpus mysticum, ex diversæ conditionis fidelibus, tanquam membris inter se & cum suo capite, ejúsque in terris Vicario connexis; in qua re advertendum, omnes Hæreticos esse Schismatis reos; non vice versâ; quamquam non procul absint à pervicacia hæretica & in

eam

eam labiles, quæ præcipuè refragatur Fidei: Schisma verò repugnat Charitati. *Apostata* sive *Desertor* audit, qui vel deficit aut desciscit à religione Catholica; vel criminosè recedit ab Instituto Religioso; vel à Sacro Clericorum Ordine, ad statum inferiorem temerè se transfert; crimen ipsum dicitur *Apostasia*.

His ita præmissis, videamus, qui sint *apri* illi (nam & hæc cognitio digna est homine, eruditionis amante) qui & prioribus seculis devastârunt vineam Ecclesiæ, quique nostrâ eam memoriâ depascuntur, ut, miseratione pariter & detestatioue permoti, in alieno periculo nostræ securitati; in interitu, saluti; non minùs invigilemus, quàm gratulemur; communisque contagium exitii precibus reprimere atque avertere studeamus. Itáque, progrediendô secundùm annorum seriem, enumerabimus nominatiores sectas, à Catholica Religione alienas, quarum auctores & antesignani dicuntur *Hæresiarchæ*, quos qui sectantur, *Sectarii* & *Novatores*; quòd novas falsitates invehant in Remp. Christianam; mitiore vocabulô (quidam enim ignorantiâ falluntur) appellamus *Heterodoxos*, *Acatholicos*.

Agmen *Hæreticorum* ducit *Simon Magus*, natione Samaritanus, circa annum Christi 55, qui se virtutem Dei & salutis humanæ assertorem appellavit; promiscuum libidinis usum concessit; mundum ab Angelis factum asseruit; gratiam Spiritus S. venalem putavit; (unde *Simonia*) & futuram corporum resurrectionem negavit. Discipuli ejus *Menander* Samaritanus & *Elymas* Judæus, utérque Magus; ille circa an. D. 80, iste tempore S. Pauli venenum diffudit. *Cerinthus* an. 69, *Ebion* 80, *Carpocrates* 129, abnegârunt Christo Divinitatem: Legem vete-

Catalogus Hæreticorum.

veterem cum nova permiscuerunt, è qua solum D. Matthæi Evangelium admiserunt. *Nicolaitæ* 83 vagam libidinem etiam in connubiis permiserunt. *Basilidani* 124 inficiati sunt Christi Passionem ac Mortem, virginitatis maritum, corporum anastasin. *Gnostici*, ab excellentia scientiæ se jactantes, an. 129, animas hominum ex Dei substantia educebant; brutis intelligentiam, creationi mundi duos Deos, bonum & malum, assignabant. *Cerdon* 144 utrúmque Testamentum rejecit, præter Evangelium S Lucæ. *Valentiniani* 150 omnium rerum originem, Deum ipsum in antiquum Chaos referebant. *Marcion* an. 155 *veterem* rejecit *Legem* & nuptias, baptizavit defunctos; Christo ademit veritatem carnis, hominibus spem resurgendi; discipuli Cerdonis, *Encratitæ* 78 damnârunt esum carnium, D Pauli Epistolas & Conjugium. Idem fecerunt *Severiani*; corporum insuper ad vitam reditum, & legitimam maris ac fœminæ conjunctionem inficiantes. *Montanistæ* 181, seu *Cataphryges*, mortuos Baptismô tingebant, repudiârunt nuptias, semel lapsis, persecutionis tempore, spem veniæ intercluserunt. *Adamitæ* veteres 194 eorúmque posteri circa ann. 1414 *Picarditæ*, & post hos *Anabaptistæ* quidam, reprobatis connubiis, pudendâ nuditate & libidine sunt infames. *Origenes* Adamantius 207 inter doctissimos Patres Ecclesiæ numerandus, Martyris filius, Martyrum æmulus, denique lapsus, asseruit, animas ante infusionem in corpus peccâsse, & in pœnam peccati carneo carceri inclusas esse; Christum etiam pro dæmonibus crucem perpessum esse, nec beatitudinem Cœlestium nec miseriam Inferorum fore perpetuam; denique contra æqualitatem Divinarum Personarum hallucinatus est. *Tertullianus* & ipse inter antiquissimos Patres venerandus 229 damna-

damnavit digamiam, credidit animam fieri per traducem ex anima patris, quemadmodum corpus ex corpore propagatur; animásque ſceleratorum poſt mortem verti in cacodæmonas, &c. *Novatus* 256, unde *Novatiani* ſeu *Cáthari*, id eſt, Sanctuli & Puri, dicebant, ſe ſine peccato eſſe; nec infantes egere Baptiſmô; ſecundas improbârunt nuptias, & ſubſidia precum pro Defunctis. *Noëtus* 259, à quo *Patrepaſſiani*, quòd Patrem paſſum affirmarent, eundem unicam Deitatis perſonam aſſerentes. Cujus diſcipulus *Sabellius* 260 ipſe quoque Unitatis Trinitatem confundere auſus eſt. *Paulus Samoſatenus* 273 blaſphemum os calamúmque uſurpavit contra Divinitatem Chriſti; Circumciſionem Judaicam obſervavit, ſuos Pſalmos Davidicis ſubſtituit. *Manichæi* à *Manete* 273 geminos Deos & Creatores, bonum & malum, confinxerunt; beſtiis rationem, Chriſto phantaſticum corpus tribuebant; rejecerunt civilem poteſtatem & jus bellorum, Judicium Mundi ſupremum, Vetus Teſtamentum, nuptias, liberum arbitrium in peccatis evitandis; meras ſibi è cœlo illuminationes imaginantes.

Arriani 315 negârunt Filium Dei *conſubſtantialem* Patri, Græcè ὁμοούσιον, quâ peſte totum penè Orbem infecit *Arrius*. *Aëriani* 315 ſive *Aërii* oggannierunt contra luſtrales luentium animarum flammas & jejunia Eccleſiaſtica; *Circumcelliones* 349 per varias mortes ſeipſos, inſani martyrii cauſâ, necabant. *Photinus* 350, Pauli Samoſateni diſcipulus, inſurrexit contra SS. Trinitatem, Chriſtíque è Virgine Matre nativitatem. *Donatiſtæ* 358 Chriſti Eccleſiam ſolis Africæ limitibus circumcludebant; Filium minorem Patre, Spiritum S. minorem Filiô credi volebant, Catholicósque ad ſe deſciſcentes iteratô Baptiſmô abluebant. *Eunomiani* 358 inæqualita-

litatem personarum S S. Triadis invehebant. *Macedoniani* 359 Spiritus S. Divinitatem impugnârunt. *Aetiani* 363 Arrianæ sectæ hoc insuper addebant, nullum peccatum, quantumlibet grave, imputari in fide manentibus, quæ sola sufficiat absque ullo alio opere ad vitam æternam consequendam. *Luciferiani* 365 animam hominis è carne eductam garriverunt. *Apollinaristæ* 377 Christum corpus sine anima ex Virgine assumpsisse fabulati sunt. *Priscillianus* cum suis 388 Gnosticorum & Manichæorum errorès conjunxit. *Collyridiani* 395 *Collyram* seu Placentam Virgini Mariæ in Sacrificium offerebant. *Jovinianus* 395 occlamavit contra delectum ciborũ, jejunium, liberum arbitrium, virginitatem: beatos omnes in gloria cœlesti pares fecit; in baptizatis nullum peccatum admisit. *Helvidius* 395 Virginitatem vituperavit; plures Deiparæ filios affinxit; quô tempore *Anthropomorphitarum* Hæresis exorta, Deo corporea membra adjunxit. *Vigilantius* 402 Sanctis venerationem abstulit, divitias paupertati religiosæ antetulit, miraculis & virgineo statui obstrepuit. *Pelagius* 405 liberum arbitrium Divinæ gratiæ anteposuit, parvulos ut labis primævæ immanes, ita etiam Baptismi fecit. *Nostorius* 427 duas in Christum personas introduxit. Mariam Virginem χριστοτόκον, *Christiparam*, non Θεοτόκον, *Deiparam* dixit. *Eútiches* 443 duas in Christo naturas inficiebatur, corpúsque de Virgine sumptum; rediviva post mortem corpora nec tactu nec visui subjicienda somniavit. *Dióscorus* 453 cum *Eutychete* confudit naturam Verbi Dei & Hominis. *Theodorus*, Mops vestiensis Episcopus, 476 Virgineam Parentem negavit esse Deiparam. *Acéphali* 494 Divinam & Humanam Christi naturam miscebant, unde & *Monophysitæ* appellati, quòd unam Verbi & Carnis natu-

naturam mentiantur. *Sergius* 604, Constantinopoli Patriarcha, Monothelitarum Princeps, unam in Christo voluntatem & unam naturam statuentium. Alius fuit *Sergius* Pseudomonachus 630, qui Mahometi Pseudoprophetæ adhæsit & sociatus est temporibus Heraclii. *Iconoclastæ* seu *Iconomachi* 719 imagines Christi & Sanctorum demoliti sunt & exterminaverunt. Hæreticorum interregnum, hoc est, Ecclesiæ ab Hæreticis infestationibus quies & cessatio, per ducentorum annorum spatium & ultra fuit, sub initium translati Romani Imperii ad Germanos, ab anno videlicet 800, quô Carolus Magnus regnare cœpit; ad 1000, donec, sub Henrici tertii Imperio, *Berengarius*, Diaconus Andegavensis in Gallia, erupit circa annum 1048, corpus & sanguinem Christi sub speciebus Panis & Vini, hoc est, SS. Eucharistiæ Sacramentum è mediô tollens. *Petrobrusiani* 1124, Anabaptistarum Prodromi, parvulos, usu rationis carentes, sacrô lavacrô privabant. *Petrus Abailardus* 1143 Deo necessitatem agendi impegit; in eo compositionem finxit; omnium bonorum autorem negavit; Angelos in consortium Creationis admisit. *Pauperes de Lugduno* seu *Waldenses* 1160 à Petro *Waldo*, cive Lugdunensi, excitati fuere; qui erogatis in pauperes opibus, Evangelicam paupertatem ementiens, homo illiteratus, Apostolicum officium *prædicando* usurpavit: cæremonias & ritus Ecclesiæ irrisit. Quadragesimam, Confessionem seu exomologesin peccatorum sustulit: Sacramenta Confirmationis & extremæ Unctionis, venerationem imaginum sacrarum, indulgentias, juramenti religionem, miracula, lustralem animarum carcerem, festos SS. dies, religiosum statum, obedientiam erga summum Pontificem repudiavit;

 pre-

preces omnes abrogavit, præter orationem Dominicam; promiſcuam Venerem conceſſit. *Albigenſes* circa annum 1200 invaleſcentes, diabolum conditorem corporum: Deum, animarum dixerunt, articulum Reſurrectionis univerſalis, ſubſidia pro defunctis, Baptiſmum & Euchariſtiam negarunt.

Flagellantes 1273. Poſtea invaluerunt magis ann. 1313, paſsimque oberrantes, ſe virgis & nodoſis flagellis concidebant ad oſtentationem, aſſerentes Baptiſmum aquæ ceſsâſſe, & in Baptiſma ſanguinis mutatum eſſe. *Joannes Wicleffus*, Sacerdos Anglus, annô 1352. ſecutus, oppugnavit Indulgentias, juramenta, Ordinem Religioſum, Epiſcopi vel Sacerdotis in peccato exiſtentis, poteſtatem Sacramenti efficiendi; panis & vini, peractâ conſecratione, deſtructionem ſeu deſitionem, ut loquuntur Theologi. *Hußitæ* à *Joanne Huß* nominati ſunt. Is reduxit errores Waldenſium & Wicleffiſtarum, tollens diſcrimina Sacerdotum, animarum piantium ſedes. *Mendicantium* Religionem, venerationem Divorum, pœnas Eccleſiaſticas, Chriſti præſentiam ſub una ſpecie. Docuit *Prædinatos* ad vitam æternam, excidere gratiâ Dei non poſſe; poteſtatem Verbum Dei explicandi omnibus conceſſit; introduxit fatalem rerum neceſſitatem. Vivus denique exuſtus Conſtantiæ ann. 1414. quem ſectator ejus *Hieronymus Pragenſis* pari ſupplicio ſecutus eſt Anno 1416. quâ hæreſi infecti fuerunt duce Joanne Ziska, Taboritæ; à monte Bohemiæ Thabore, ubi conventus habebant, ſic dicti, qui miſerandas ſtrages in eo regno dederunt, paſſim in Dei Eccleſias, Divorum imagines, religioſa clauſtra ſæviendo. Sub idem tempus *Pickardus* quidam, è Gallia Belgica oriundus, Adamitarum hæreſin in Bohemiam invexit.

Hæc

Hæc de Hæresibus antiquis; ad *Schismaticos* quod attinet, præcipui sunt *Græci*, qui circa annum D. 860, temporibus Nicolai primi, Pontificis, (teste Bellarm.) sese avulserunt ab Apostolica sede & Ecclesiis Occidentis. Cujus Schismatis error est cum Hæresi conjunctus, Spiritum Sanctum à Filio non procedere. Iidem negant conferri beatitudinem justis ante diem Judicii, neque antè pœnas infligi peccantibus; non comedunt suffocata: Eucharistiam in fermentato pane conficiunt: (circa hoc Ecclesia Romana iis gratiam fecit) Negant Dominicum corpus recipi ab eo, qui graviore delictô obstrictus est: dicunt, licita esse damna inimicis illata; secundas repellunt nuptias: admittunt pro conjugum arbitrio dissolutionem connubii: Eucharistiam impertiunt parvulis. Utramque requirunt speciem ad efficaciam & integritatem SS Synaxeos, extinguunt purgantem ignem, pia pro defunctis opera, & unctionis extremæ Sacramentum. *Maronitæ*, à quodam Marone dicti, ad montem Libanum degentes, Eutychétis & Dióscori deliramentis involuti, postquam quingentos annos ab Ecclesia abscissi erant, ad eam redierunt sub annum 1182. Græcorum Errores sequuntur *Georgiani*, à Divo Georgio se denominantes, qui Cappáduces, Ibéros, Armenos, Evangelicâ doctrinâ imbuit, qui omnes, postea ab Ecclesia defecerunt. Non meliores sunt *Ruthéni*, (seu Russi aut Moscovitæ) qui Latinorum Patrum & Doctorum scripta rejiciunt; Concilia, Canones, Decreta respuunt. Ad Eucharistiam panem fermentatum adhibent. Rident Ecclesiæ *Censuras*, ut vocamus; & Sacramenta Confirmationis, Inunctionis, cum *Purgatorio* eliminant. Hucusque in silva tam horrida, vestigia Gabrielis Prateoli legimus sectas & dogmata ab Orthodoxa Religione alie-

Schismatici.

aliena, diligenter persequentis. *Desiderius.* Prô Superi! quot sunt diverticula, divortia, aberrationes ab unica veritatis via? *Mercurialis.* Nunc veniamus ad Sectarios & Novatores nostri temporis, qui sese *Reformatos*, *Protestantes*, *Evangelicos* specioso titulo appellant, novam sectam ex veteribus consutam invehentes. Eorum antesignani fuere, *Martinus Lutherus*, & *Joannes Calvinus*. Ille fuit natione Germanus, patriâ Saxo, ex urbe Islebia, professione monachus S. Augustini Eremitarum, exortus est circa annum 1518. Alter, gente Gallus, regione Picardus, Canonicus Noviodunensis, virus spargere cœpit circa annum 1525. Quibus succenturiati Udalricus Zwinglius, Canonicus Constantiensis: Joannes Oecolampadius, Monachus Ordinis S. Brigittæ; Andreas Carolstadius, Archidiaconus Wittebergensis; Martinus Bucerus, Ordinis S. Dominici, aliíque deinceps.

Cœterùm ex ipsorum sectatoribus alii sunt *pertinaces*, obstinatè persistentes in sua opinione, etsi videant meliora probéntque. Alii *Zelosi*, ex quadam ignorantia falsò inducti ad quidlibet perpetiendum pro sua secta, quam putant veritati & Evangelio conformem. Alii *Frigidi*, inanes quasdam, & politicas causas errori suo prætendentes, & ex ancipiti temporum mutatione pendentes. Alii *Dubii* seu fluctuantes, qui simplici ac sincero corde quærunt veritatem, cupiúntque discere.

Ex Lutheranis *Ubiquistæ* seu *Ubiquitarii* vocantur, qui docent Christum, etiam quà hominem, ubique esse. *Confessionistæ* seu *Homologistæ*, qui amplectuntur Confessionem Augustanam, à *Philippo Melanchthone*, ann. 1530. conflatam. *Rigidi* dicuntur, qui Lutheri placitis mordicùs adhærent. *Molles*, qui per Syncretismum, seu falsam pacis & concor-

diæ ſimulationem, facilè ad alias ſectas ſe flectunt & applicant. *Extravagantes*, qui longius à Lutherana doctrina recedunt.

Calviniſtæ ſortiuntur varia nomina; nam in Anglia quidam vocantur *Puritani*; (hac etiam tempeſtate Independentes, Presbyteriani, Antinomiani, Quackeri ſeu Tremuli) in Gallia Hugonotæ, in Bohemia *Picarditæ*, in Helvetia *Zvvingliani* & *Sacramentarii*, in Hollandia *Geuſii*; ex his *Gomariſtæ* à Franciſco Gomaro, abſolutam illam Dei & determinatam, quosdam extra culpam ſuam, reprobandi voluntatem, obſtinatè & rigidè propugnantes; quorum adverſarii ſunt *Arminiani*, (aliàs *Remonſtrantes*, ſicut Gomariſtæ illi *Contraremonſtrantes*) eam reprobationem limitantes. *Deſiderius.* Quæ monſtra nominum & hominum! *Mercurial.* Ibidem nidulantur *Memnoniſtæ*, reſtauratores Anabaptiſticæ inſaniæ & turpitudinis; *Vorſtiani* per ſummam impietatem adimunt Deo omnipotentiam, omniſcientiam, immutabilitatem, æternitatem; omnes in ſe hoſtiliter linguâ, ſtilô, cominus, eminus debacchantes; quibus nuper acceſſerunt *Janſeniſtæ*, autore Cornelio Janſeniô, Epiſcopo Iprenſi in Belgio, asſerentes cum prioribus, aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia obſervatu; interiori Dei gratiæ non reſiſti, ne poſſe quidem: non requiri ad meritum libertatem à neceſſitate, ſed tantùm à coactione: Chriſtum non pro cunctis hominibus ſuum fudiſſe ſanguinem. Quam illi contagionem per Galliam & Belgium afflaverunt non paucis. *Calviniſtarum varia nomina.*

Quid jam de Anabaptiſtis dicam? his nominatio eſt à rebaptizando, quia cum *Pelagianis* originariâ labe abſolvunt infantes, eóſque negant eſſe capaces Baptiſmi, quod non ſint capaces doctrinæ & *Anabaptiſtæ*

fidei; hinc non nisi adultioribus lustricam undam adhibent; abrogant Magistratibus Politicum regimen, Tribunalia, Judicia, jus gladii & bellorum. Prohibent quodlibet juramentum; Polygamiam seu plures uxores permittunt; vinculum matrimonii dissolvunt: cum *Chiliastis antiquis* quietem indulgent Elysiam, in hac terra, animis corpore solutis, præter alia plura fanatici spiritus sive somnia sive portenta. Hydra hæc primò procrevit ex semine Thomæ cujusdam *Munzeri* seu Monetarii, circa annum Dom. 1529, quæ deinde caput suum altiùs exeruit ad ann. 1534 in Westphalia sub Joanne *de Leyden*, opificio Sartore: ex hujus Sectæ contribulibus aliqui vocantur *Cathari*, id est, ab omni peccato puri: alii *Tacentes* qui, interrogati de religione, respondent nihil, sed quasi attoniti hærent; alii *Enthusiastæ*, jactantes se cum Deo loqui, ac cœlestibus visionibus illustrari; alii *Libertini*, prætextu Libertatis Christianæ Politicum Magistratum aspernantes: alii *Clancularii* seu *Fratres Hortenses*, nulla intrantes templa, domi se suósque docentes, aut in hortis convenientes; Alii *Ejulantes* & perpetuò cum Heraclio flentes; quidam *Adamitæ*, omnia habentes communia, de quibus suprà. Præter enumeratas Sectas omnes, invasuerunt nunc *Adiaphoristæ* seu *Indifferentes*, qui nullam non religionem approbant, modò admittat Symbolum Apostolicum; stolidissimè nihilominus duodenos illos articulos trahentes in sensus diversos, & ab Ecclesia, quam credunt esse Catholicam, deflectentes.

Adiaphoristæ.

Desiderius. Tandémne finis monstrorum est? *Mercurialis.* Quid ita quæris? *Desiderius.* In lassitudinem me dedit hæc per Lernam perambulatio. *Mercurialis.* *Ex qualibet re bonus est odor lucri*, dixit Impera-

peratorum quispiam; melius hoc ad Philologiam transferimus. Et quid officit puritati Solis, quòd radios suos per lacunas & paludes transmittat? Eruditionis avido nihil est negligendum. Quædam juvat scire, ut prosint; quædam, ne obsint. Poteramus verò hujus Itineris Literarii nunc subire portum, peractâ totius peragratione mundi, variæque Eruditionis Apparatu non indiligenter perlustratô, nisi putaremus, facturos nos auspicatiùs, si centum omninò Capitum, in quæ tanquam in totidem intervalla *Viam* hanc *Latinam* distinximus, hecatombem Musis consecraremus. Quare cùm plurimum & cognitionis & utilitatis ingenuæ insit in eo verborum ornatu, in quo vocabula aut singularia aut minùs communia pro communioribus adhibentur, spero, tibi tuíque similibus, ad amœnioris profectum literaturæ, hoc quoque profuturum caput, quòd proximè sequens, *Tropicæ* cuidam rerum *appellationi*, prout sese promptius juxta seriem Alphabeticam offerent, dedicabim⁹ *Desiderius.* Iterum ex votis meis facta reddis: prosequere dissertationem; tuum cum voluptate sermonem edam, si licet ita cum *Plauto*, leporum patre, loqui. *Mercurialis.* Quippini liceat. Age igitur, si qua in varietate jucunditas est, erit in consequente Capite, cui, si libuerit, auctarium haud inutile subjungam. *Desiderius.* Quò plura addideris, eò pleniùs satisfeceris. Numeri nulla in his est religio.

CAPUT XCVIII.

Antonomastica quarundam rerum, ex historiis & fabulis, explicatio.

A.

ABderitanus, pro stolido.

Achates, pro fido comite & amico accipitur, qualem expertus est Æneas.

Acheloïa pocula, pro aqua.

Acherusia species, per quam Cerberus ad Superos extractus est; pro loco horrido.

Achilles vocantur insigni fortitudine duces, & argumentum Achilléum, quod insuperabile. Achillis stomachus cedere nescius, pro iracundo.

Acroceraunia, pro altis montibus & fulmini obnoxiis.

Actæon, pro venatore. Curiositas oculorum in eo punita.

Adónis, pro formoso puerulo, sed minùs casto. Adonidis horti, res leves & amœnæ.

Adriâ (mari) iracundior.

Æacidis (seu Achillis) minæ, graves.

Æacus, Minos, Rhadamanthus, severi Inferorum Judices.

Ægis, clypeus Jovis & Palladis, in cujus medio Gorgoneum caput, contra obtrectatores munimen & invidos.

Ægisthus, pro adultero.

Ænéas, pius in patriam & parentes.

Æolia, pro loco infesto ventis, aut variis metaphoricè turbinibus.

Æolus, pro bucculento.

Æsculapius, pro insigni Medico.

ne

ne Æsopum quidem trivisti, pro re omnibus nota.

Ætna flammivoma; in Iracundos, Concupiscentiam depravatæ naturæ.

Africa seu Libya, monstrorum patria & altrix.

Agamemnon, pro Rege. Agamemnonis hostia in duros & persuasu difficiles dicitur, quod Agamemnoni, in Troja rem divinam facturo, bos effugerit, vixque multô negotiô comprehensus fuerit. Agamemnonii putei; (quos circa Aulidem effodit) de novis & admirandis operibus.

Aganippe, fons Musarum, pro vena Poëtica.

Agáthocles, conditionis suæ memor, ex figuli filio Rex, unde vasis aureis figulina solebat admiscere.

Ajacis risus, qui temerè & vecorditer rident; Ajax duos sues pro Ulysse & Agamemnone flagris præ ridiculâ insania cecídit. Ajax, pro furioso.

Alastor, pro cacodæmone.

Alcinoi horti, pro amœnissimis & fertilissimis. Alcinoi mensa, lautissima.

Alecto (Megæra, Tisíphone) pro furiosa femina, aut quacunque infernali Furia.

Alexander Magnus strictô gladiô nodum Gordium solvit, vel vi vel fatô.

Amalthéæ cornu, seu Cornucopia, aut Corpiæ cornu, pro rerum omnium copia & ubertate.

Amazon, pro Heroina.

Amphiaráus, vates, invitus ad bellum pertractus, terræ hiatu, quod præviderat, absorptus est. Vates ipse sui infortunii.

Amphíon, pro insigni Musico & Lyricine.

Amphitríte, pro mari.

Amyclas silentium perdidit. Amyclæa pluma.

Anaxarchi tun..e follem: At Anaxarchum ipsum non tundis, dixit ille Philosophus torquenti se tyranno.

Caput XCVIII.

Antonomastica quarundam rerum, ex historiis & fabulis, explicatio.

A.

ABderitanus, pro stolido.

Achates, pro fido comite & amico accipitur, qualem expertus est Æneas.

Acheloia pocula, pro aqua.

Acherusia species, per quam Cerberus ad Superos extractus est; pro loco horrido.

Achilles vocantur insigni fortitudine duces, & argumentum Achilléum, quod insuperabile. Achillis stomachus cedere nescius, pro iracundo.

Acroceraunia, pro altis montibus & fulmini obnoxiis.

Actæon, pro venatore. Curiositas oculorum in eo punita.

Adónis, pro formoso puerulo, sed minùs casto, Adonidis horti, res leves & amœnæ.

Adriâ (mari) iracundior.

Æacidis (seu Achillis) minæ, graves.

Æacus, Minos, Rhadamanthus, severi Inferorum Judices.

Ægis, clypeus Jovis & Palladis, in cujus medio Gorgoneum caput, contra obtrectatores munímen & invidos.

Ægisthus, pro adultero.

Ænéas, pius in patriam & parentes.

Æolia, pro loco infesto ventis, aut variis metaphoricè turbinibus.

Æolus, pro bucculento.

Æsculapius, pro insigni Medico.

ne

ne Æsopum quidem trivisti, pro re omnibus nota.

Ætna flammivoma; in Iracundos, Concupiscentiam depravatæ naturæ.

Africa seu Libya, monstrorum patria & altrix.

Agamemnon, pro Rege. Agamemnonis hostia in duros & persuasu difficiles dicitur, quod Agamemnoni, in Troja rem divinam facturo, bos effugerit, víxque multô negotiô comprehensus fuerit. Agamemnonii putei; (quos circa Aulidem effodit) de novis & admirandis operibus.

Aganippe, fons Musarum, pro vena Poëtica.

Agáthocles, conditionis suæ memor, ex figuli filio Rex, unde vasis aureis figulina solebat admiscere.

Ajacis risus, qui temerè & vecorditer rident; Ajax duos sues pro Ulysse & Agamemnone flagris præ ridiculâ insania cecídit. Ajax, pro furioso.

Alastor, pro cacodæmone.

Alcinoi horti, pro amœnissimis & fertilissimis. Alcinoi mensa, lautissima.

Alecto (Megæra, Tisíphone) pro furiosa femina, aut quacunque infernali Furia.

Alexander Magnus strictô gladiô nodum Gordium solvit, vel vi vel fatô.

Amalthéæ cornu, seu Cornucopia, aut Corpiæ cornu, pro rerum omnium copia & ubertate.

Amazon, pro Heroina.

Amphiaráus, vates, invitus ad bellum pertractus, terræ hiatu, quod præviderat, absorptus est. Vates ipse sui infortunii.

Amphíon, pro insigni Musico & Lyricine.

Amphitríte, pro mari.

Amyclas silentium perdidit. Amyclæa pluma.

Anaxarchi tunde follem: At Anaxarchum ipsum non tundis, dixit ille Philosophus torquenti se tyranno.

Andábata, pro cœco pudnatore.

Annibalem Capua fregit: Luxus fortissimum belli ducem.

Antæus gigas, ab Hercule prostratus, fortior ex contactu terræ surrexit: avulsus inde, periit. Brutæ cupiditates per Rationem elevandæ, & elidendæ.

Antícyris tribus, caput insanabile: Insanus.

Antigoni Regis imago obliquè expressa ab Apelle, ut tegeret orbitatem alterius luminis, quô Rex carebat.

Apelles, pro pictore eximio: Deploravit jacturam unius diei: hodie nullam lineam duxi. Opus Apellêum, egregium. Ejusdem cum Protogene æmulatio in subtilissima linea exprimenda.

Apicius, pro gulone.

Apina & Trica (Apinæ & Tricæ) duo ignominiosè eversa Apuliæ oppida; pro nugis.

Eris mihi magnus Apollo; Doctissimum te censebo.

Aquínas, pro Juvenale.

Arabum odores, pro pretiosis. Ita Cilicum imbres, messes, segetes Item Cilici adjectivè, Panchæi, Orontéi, Assyrii, Achæmenii, &c. Arabum gazæ, *Horat.*

Arachne, pro insigni, sed superba, textrice.

pontem indignatur Araxes; de quovis rapace fluvio.

Arcadicum germen, pecus Arcadica, pro stupido.

Archimedes, mirus artifex & Mathemáticus, vitreâ, sphærâ motus calculósque cœlorum repræsentat. In obsidione Syracusanorum speculô encausticô naves Romanorum incendit. Occisus, describens in pulvere figuras Geometricas.

Archytas, nobilis artifex. Archytæ crepitaculum, in hominem vehementer garrulum. Ejusdem celebratur columba lignea, ad volatum librata.

Arco-

Areopagíta, pro taciturno, ſevero, juſto Judice. Areópagus, pro Senatu & judicio exactiſſimo.

Argolicus (Argivus) vel Ajacis clypeus, pro magno & firmo præſidio. Argivô clypeo dignus, de viro generoſo.

Argonautæ, Heroës, qui vellus aureum rapuerunt; pro fortiſſimis viris

Argum fallere, hominem oculatiſſimum decipere. Argô oculatior.

Ariadne, Theſeum è Labyrintho eduxit, fida ductrix & adjutrix.

Arimaſpi populi unum in fronte dicuntur habere oculum; in hebetes.

Aríon, inſignis Citharœdus.

Ariſtarchus, pro accurato & ſevero Cenſore.

Ariſtippi præcepta *Horatio*, doctrina Epicuréa.

Arpínas pro Cicerone.

Arria, Pæti Romani uxor, cum marito moriens.

Artemiſia, ſpeculum conjugum, exſtruxit Mausôlo, viro defuncto, Mauſoléum, mortui cineres vinô commiſtos ebibit.

Aſcanius ſeu Julus, pro dulci filiolo.

Aſtomorum gens, ſine ore, halitu tantùm vivens & odore, quem ex naribus trahit; cenodoxi ſeu vanæ gloriæ inhiantes.

Aſtræa; pro Juſtitia.

Aſtyanax, pro gratioſo puerulo; ſicut & Atys.

Athénæ vel Athenæum, pro Academia aut celebriori loco.

Atho ſculptus, ingens adulatio; nam Staſicrates volebat montem Atho efformare in ſpeciem Alexandri, in cujus dextra, maxima civitas, in ſiniſtra, perennis fluvius, è phiala erumpens. Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla; copia.

Atlas

Atlas cœlum humeris ſuſtinet; pro viro, qui Reipublicæ columen.

Atreûs pro crudeli tyranno. Atrei oculi, ſeu torvi.

Attalicæ opes, conditiones, veſtes, aulæa, pro ſplendidis & regiis.

Attica bellaria, pro lautitiis & cupediis. Attica Muſa, pro venuſta lepidáque oratione. Atticus lepos, eloquentia, pro ſermonis feſtivitate facunda.

Avernus lacus, pro Inferis.

Augíæ ſtabulum, pro loco ſordidiſſimo & laborioſæ repurgationis.

Autolici piceata manus, pro fure.

B.

Babylonici numeri, pro ſcientia Aſtrologica. Babylonius luxus, pro magno.

Bacchæ, ſeu Bácchides, aut Baſſárides, Mænades, imago bacchantium & fuerentium; inde Orgia Bacchi. Malæ feminæ.

qui Curios ſimulant, & Baccanalia vivunt; de Pſeudopoliticis.

Bacchus, (Lyæus, Iacchus, Liber, &c.) pro vino.

Bajæ, pro locis amœnis & voluptariis.

Baleares funditores, pro peritis; quorum liberis non dabatur panis, niſi quem jaculandô meruiſſent.

Bátava aut Bœotica auris, pro craſſa; Bœoticum ingenium.

Bavius & Mævius, & Chærilus, pro inceptis & inſulſis Poëtaſtris.

Belídum, ſeu Danaidum dolium, ſcilicet pertuſum. Luſa opera.

Bellerophontis literæ, vulgò literæ Uriæ, perferenti pernicioſæ.

Bellona, pro bello, vel Enyo.

Blanduſia, fons vitreus, pro re clara.

Bœo-

Bœotum in patria crassóque sub aëre nati ; stupidi.
Busiris, pro crudeli.
Bucéphalus, pro generoso equo. Celebratur Cyllarus Castoris & Pollucis : Xanthus Achillis : Pegasus alatus Bellerophontis. Rhœbus Mezentii : Equi Solis & Martis.

C.

Cadméa seges, pro vitis armatis, repentè comparatis : Bellum.
Cadmus è Phœnicia sedecim Alphabeti literas in Græciam transtulit ; quibus Palamedes addidit θ ξ φ χ & Simonides ζ η ψ ω.
Caducifer, pro Mercurio, aut pacificatore.
ubi tu Cajus, ego Caja ; formula sponsorum recentium olim se alloquentium, significandô dominum, seu patremfamilias, & dominam : De conjugibus concordibus.
Camerínam movere ; sibi ipsi malum accersere, aut fœtorem excitare.
Canidia, pro venefica.
Cannensis clades, pro cruenta.
Canum nomina Hylax, Lælaps, Lycisca, Melampus, Pámphagus, Pterelas, &c. Lissa nomen catellæ.
Capáneus, pro blasphemo & in Superos impio.
Capareus, pro scopulo naufragiis infami
Cassandra, pro veridica, sed cui non creditur.
Castor & Pollux, fratres amantissimi, alter equitum, alter pugilum Præses.
Cato, pro viro gravi & severo. Tertius è cœlo Cato : Etiamsi Cato dicat.
Caúcasus, pro loco inhospitali : in pectore, pro duritie.
Cecropiâ madidus Latiáque Minervâ ; Græcè Latinéque doctus. Cer-

Cerberus triceps, canis infernalis; in cacodæmonem vel aliud monſtrum aut vitium.
Ceres, pro pane.
Chalcenterus, quaſi ærea habens inteſtina.
Cognomen Didymi Grammatici, ob incredibilem numerum librorum
Chaldæi, pro mendacibus Aſtrologis.
Chaô antiquiora.
Charites, pro amabilitate aut animo grato.
Charybdis patrimonii, pro decoctore; alias pro quavis re periculoſa.
Chimæra, pro terribili monſtro, quam interfecit Bellerophon vomentem ignem, pectore leonem, ventre capram, caudâ draconem.
Chiron, inſtructor Achillis, Medicus, Citharœdus.
Chorœbô ſtultior.
Chryſippéum ingenium, pro ſubtili.
Cimmeriæ tenebræ, denſiſſimæ; de obſcura ſcriptione.
Circe, pro venefica, aut voluptate.
Clodius accuſet Mœchos, Catilina Cethegos?
Clytemneſtra, pro adultera.
Codrus, pro paupere.
Colophonem vel coronidem addere, eſt, ſupremam manum apponere.
non eſt cujuslibet adire Corinthum; quando quis rem aggreditur, viribus majorem.
Cretíza cum Cretenſi Vulpinare cum vulpe. Syncretiſmus fallax & mendaciis nixa concordia.
Crœſus & Craſſus, pro divitibus.
Cumanus aſinus. Honor indigno apud ignotos; nam aſinus, fugitivus apud Cumanos, ſe geſſit pro leone.
Cupído, puer Veneris, Deus amoris & amor ipſe; fingitur cœcus, inſtructus tamen arcu & pharetrâ, &c.
Cu-

Curétes & Corybantes, Sacerdotes Cybeles, insanientium more corpus agitantes, séque cultellis conscindentes.

Cybele pro terra.

Cyclops, pro homine crasso, aut fabro ferrario, & pro unoculo.

Cymba Charontis, pro morte. Alterum pedem in cymbâ Charontis habet.

Cynicus, pro homine oris canini, & morum.

Cynosúra, pro præsidio in periculis.

Cyprus, Cythéra, Paphus, loca amoris impuri; unde Cypria, Paphia tela, &c.

D.

Dædali vel Dædala opera, artificiosè fabricata.

Daphne puella in laurum mutata; symbolum castitatis.

Dares Entellum provocat; discipulus Magistrum; puer virum.

Davus sum, non Oedipus. Non satis doctus, ad respondendum quæstioni.

res Deliô natatore opus habet; obscura.

Delphicum Oraculum, pro ipsissima veritate. Tanquam ex tripode, idem. Delphicus gladius, de re ad plures usus apta; nam eô gladiô & mactabantur victimæ, & nocentes afficiebantur suppliciô. Delphica Præcepta, certissima.

Democles, pro infelici felicitate.

Deucaliónis lapidibus facti homines; gen⁹ durum.

Diánæ studia, venatio.

Didymáon, pro insigni armorum artifice.

Diógenis dolium: vita Stoica vel Cynica, &c.

Diomédis, pro Tyranno; equas humanô sanguine aluit.

Dionysius Corinthi, ex Rege Ludimagister; ex summo imus.

Díph-

Diphtherâ antiquiora loqueris ; nugas obsoletas ; diphthera pellis capræ Amalthéæ, quæ Jovem lactavit, in qua Jupiter arcana sua scripsit Ex diphthera, ex Oraculo. Inspiciet Jupiter diphtheram suam, quamvis serò. Pœna manet scelestum.

Diræ, execrationum & imprecationum ultrices Deæ ; apud Inferos Eumenides.

Dis, pro Plutone ; Rex inferorum.

Dodónæ quercus, fatidica. Dodonæum æs, homo impensè loquax.

E.

Elpénór, pro ebrio, vertigine acto.

Elysium, poëtica beatorum sedes.

Encéladi bustum, semper fumans ; iracundi pectus.

Endymion, dormîtator ; item Epiménides : Unde somnus Epiménidis.

Epictéti lucerna, pro viri docti æstimatione & memoria. Ejusdem sunt duo verba : ἀνέχου καὶ ἀπέχου, sustine & abstine.

Epicúrus, pro voluptario & lascivo

Epimetheûs, pro incauto, stolido & curioso, qui, apertâ Pandóræ pyxidæ, omne genus malorum in orbem invexit. *Adag.* Malô acceptô stultus sapit. Non fidendum feminis.

Eridis pomum seu discordia ; unde lis inter Deos orta Paride judice, &c. materia rixæ.

Erínnyes vel Erinnes, Furiæ, mentem in scelus rapientes.

Euclio, pro avaro.

Euripus, mare reciprocis undis æstuans, pro inconstanti.

Eurótas, fluvius Lacedæmonum, pro exercitio indurandæ juventutis.

F. Fa-

F.

Fabius Cunctator, pro Imperatore belli circumspecto.

Faunus, pro homine silvestri.

Fenellæ pomum aureum, gemmis refertum tanquam jaculis, ad tactum erumpentibus. Voluptas, donum exitiale.

Flora, seu Chloris, florum Dea, pro floribus. Floralia, pro lascivia.

G.

Galli Phrygii, molles, dicti à flumine Gallo in Phrygia.

Ganymédes, pro ephebo Regi charo.

ad Garamantas & Indos exulatum.

Gargáni querceta aquilonibus laborant; alta infestantur.

Gárgara, orum, pro loco messibus fœcundo.

Geloni, barbari.

Gemoniæ scalæ, locus suppliciorum olim Romæ.

Geta, pro barbaro.

Gigantes cœlum oppugnant; rebellio punita.

Gordius nodus, pro insolubili.

Górgonis vel Gorgonéum caput, pro horrido aut fascinante.

Gyara, æ, vel Gyari, locus deportationis & exilii.

Gygis annulus, pro fortunato.

H.

Harpócrates Deus, vel Dea Angeróna, pro silentio.

Harpiæ, avari, rapaces homines.

Hécalâ pauperior, dixit *Plautus*.

Hécate, pro vetula deformi & saga. Hécates cœna, præparca.

Hector, pro Heroë. Hector ad illum, idest, intestina, pro manducóne.

Hécuba, rixosa; unde in canem transmutata.

Hegio, pro moroso sene.

Hélena, pro pulchra, sed non pudica, adultera.

Hélicon, pro loco Musarum.

Heraclítus flens: Demócritus ridens.

Hércules, pro viro fortissimo. Herculei labores pro maximis. Ne Hércules contra duos: cedendum multis. Dextrô Hercule, fortunatè. Hérculis Gallici catena, pro eloquentia Hercúleus nodus, pro indissolubili argumento. Hérculi clavam extorquet; inanis conatus. Hérculis toga; munus nocivum.

Hesíodus, dormiendô Poëta factus.

Hippócrates, pro insigni Medico.

Hippólytus, pro casto ac verecundo adolescente: Item Hyacinthus.

quandóque bonus dormitat Homerus. Cui non obrépit error?

Hípponax, maledicus Poëta. Hipponactéum carmen.

Hirpínus, generosus equus. *Martiali.*

Hydra multorum capitum; vulgus est. Hydram contundere, secare; magnum superare & perdomare malum.

Hylas, puer formosus, sed malè periens.

Hymenæus, (Hymen) pro nuptiis seu Thalassio,

Hypatia, pro muliere docta.

I.

Janus bifrons, vir prudens, antecedentia & futura examinans.

Ícarus, temerarius juvenis.

Ilias malorum, ingens cumulus.

Ina-

Inachus, Rex Argivorum. Prisco natus ab Inacho: antiquæ nobilitatis.
Jopas crinitus, Cantor, amantior humoris.
Iphigenía, innocens victima, cultro subducta. Providentia Divina. Auxilium in tempore.
Isthmum perfodere, magnus conatus, sed irritus.
credat Judæus apella, quod incredibile.
Jupiter, pro Rege: Juno, pro Regina & superba domina.
Ixíonis rota, perpetui catenatíque labores.

L.

Labyrinthus, pro re intricata & inexplicabili.
Lacónes, pro pueris duritèr educatis Laconicè scribere, breviter. Laconicè vivere, frugaliter. Lacænæ virgines, pudicæ, frugales, laboriosæ.
Ladas, velocissimus cursor.
Lámia, spectra mulierum, pueros maximè infestantium.
Laómedon, pro perfido, mercedem promissam negante.
Lapithárum & Centaurorum convivium, cruentum.
Lares & Penátes, Dii domestici, pro domo. A Lare incipe.
Laverna, Dea laverniónum seu furum.
Leander, famosus amator.
Lerna malôrum, congeries. Palus, in qua stabulata hydra.
Lesbium plectrum. Lesbóus barbitus. Sapphicum carmen.
Lethe, fluvius Inferorum, oblivionem inducens. Lethas hausit aquas, mortuus est, vel memoriam perdidit.
Libéthrides Musæ, ab antro vel fonte sic dictæ.
Libitína, pro funeribus.

Lípara, pro fabrili officina.
Lucianus, Deorum hominúmque derisor blasphemus.
Lucína, pro partûs præsidio.
Lucretia, casta & pudica matrona.
Luculli prandia, lautissima.
Luperci, lascivi homines.
Lycáon, pro perfido hospite & crudeli.
Lycambes, pro homine maledictis infestato, & ad extrema redacto. Archílochus, Jambicus Poëta, eundem confecit. Archilochia dicta, amarulenta.
Lycéum, Academia, Schola illustrior.
Lynceûs, pro oculatissimo homine. Lynceô perspicacior.
Lycurgus, pro sapiente Legislatore: sicut Draco, pro nimis severo & sævo.
Lysippus, nobilis sculptor.

M.

Macháon & Pæon, nobiles Medici.
Mæander, sinuosus fluvius, pro re fluxuosâ & consiliorum ambagibus.
Mæonius Poëta seu Mæónides, Homerus. Sic Venusínus, Horatius.
Maléa, famosum naufragiis promontorium, pro loco periculoso.
Manliana imperia, severa & despotica.
Mantuánus seu Andínus, Virgilius. Bilbitánus, Martialis. Pelignus vel Sulmonensis, Ovidius. Dircæus, Píndarus.
Marpesia cautes, pro homine constanti in adversis.
Mars, pro bello. Marte suô, propriis viribus. Apertô Marte, sine dolo.
Mársyas Apollinem scilicet provocat; ineptus Cantor optimum.

Mecœ-

Mecœnas, pro fautore liberalium artium.
Medéa, crudelis mater, venefica, perfida in patrem, & interfectrix fratris ac natorum.
Medusæum caput, virulentum; crines feminarum fallaces.
Megæra, pro intolerabili femina.
Mentor, insignis in cælandis vasis artifex.
Mercurius, pro fure, nuntio, eloquente, mercatore, duce viarum. Mercurii talaria induere, fugam intendere. Mercuriô dextrô.
Messápus, filius Neptuni, invulnerabilis. *Cic.* invulneratus.
Metius Suffetius, proditor patriæ, perfidus, equis raptatus.
Mezentius, pro crudeli tyranno.
Midas, pro avaro, stulto Judice. Midæ auriculæ, Midæ divitiæ.
Milóne robustior aut voracior.
sus Minervam, crassâ, invitâ, pingui Minervâ.
Mnemósyne, mater novem Musarum, quia memoria peperit artes.
Mœris, rusticus incantator. *Virgil.*
Momus, omnium reprehensor.
Mopsus, agrestis & incompositus homo. Mopso Nisa datur, res præclara indigno.
Musæ, Aganíppides, Camœnæ, Castálides, Heliconíades, Piérides, pro carmine, literis, Musarum apertæ januæ. Musas à limine salutare.
Myrtilus, pro auriga.

N.

Námesis, Dea Vindictæ. Aliter Adastria vel Adrastéa, & Rhamnusia, ultrix scelerum: quò tardiùs, hoc graviùs.
Neptúnus seu Nereûs, pro mari.

Nero, pro crudeli.
Nestorea eloquentia : Nestorea senectus.
Nili caput seu fontes quærere , quod valde ignotũ.
Niobês mala, plurima ; fœcunda, sed infelix mater.
Nisus vel Euryalus, amici optimi. Sicut etiam Theseûs & Piríthous. Pylades & Orestes. Achilles & Pátroclus. Ænéas & Achátes. Damon & Pythias, Pythagoréi.

O.

Olympus mons, pro cœlo. Olympicum pulverem colligere, strenuum certamen.
Opimianum vinum, longè optimum, ob vetustatem.
Orbilius, pro Præceptore plagoso
Orestes, pro furioso; & quem conscientia torquet.
Oríon, pro venatore.
Orpheûs, pro Cantore nobilissimo, qui cantu Eurydicem uxorem ab Inferis reduxit.

P.

Pactólus, aurifex. Pactóli divitiæ, maximæ.
Pacuvius, pro antiquæ Latinitatis autore.
Io Pæan! acclamatio fausta.
Palæmon seu Portunus, Deus maris, ad portum ducens.
Palamédes falsô ab Ulysse proditione accusatus & damnatus, pro iniquo judicio.
Pales Dea, pro rure.
Palinúrus, pro infelici navarcho.
Palladium , antiquissimum simulacrum Pálladis in urbe Troja, pro re fatali ; unde vel salus vel exitium pendet.
Pallas Dea artium & ingenii ; pro oleo : Hinc Palladius liquor. Nata ex Jovis cerebro, nempe studium sapientiæ artiúmque plurimarum ; inventrix olivæ, tibiæ, Musicæ, lanificii, texturæ.

Pan,

Pan, inventor fistulæ, Deus agnorum & pecorum. Pánicum terriculamentum, inane.
Panætius, pro Philosophia morali.
Pancháia, pro copia odorum.
Pandóra, pro lectissima femina. Pandóra pyxis, pro re multorum malorum causa.
Parcæ, Deæ fatales vitæ & mortis.
Paris, mollis & fractus juvenis, ex forma judicans, adulter, dolosus, interfector Achillis.
Parnassus, locus Musarum.
Parrhásius; pictor insignis.
Pausónis equus, ita pictus, ut, prout vertebatur tabula, vel volutari in pulvere vel currere videretur: Rerum ansæ variæ.
Pégaso velocior.
Pélei & Thétidis nuptiæ, scilicet splendidæ.
adjunctus Pélion Ossæ, mons monti, difficultas difficultati.
Pélopis talenta, opes maximæ. Mali patris Tántali, malus filius.
Penélope, uxor Ulyssis, pro conjuge fidissima. Penélopes telam retexere, inanis opera, vel in ludibrium aliorum.
Pentheûs, pro homine misero discerpto.
Pericles, orator, in cujus labris Suadela sessitavit.
Peripatétici, sectatores Aristotelis, Philosophi ab ambulando dicti.
Pérsicus apparatus, splendidus.
Phædra, pro noverca scelerata & impudica.
Pháëthon, pro juvene temerario, parentum indulgentiâ abuso, patriæ pernicie. Paëthontíades seu Helíades, imago luctûs charorum.
Phálaris, pro crudeli Tyranno. Phaláridis bos, imperium, pro immani supplicio.
Pharos turris, pro re nos in periculis illuminante.

Pharſálici campi, ubi multum ſanguinis fuſum in bello civili Romanorum inter Cæſarem & Pompejum.

Phidias, nobilis ſtatuarius Phidíaca manus.

Philémon & Baucis, pauperes quidem, ſed concordes & hoſpitales conjuges.

Philippi, campi Philippici, madefacti cæde Philippi Romanorum.

Philoctétis tela domino ſuo perniciofa fuerunt.

Philóxenus, pro guloſo, gruis ſibi collum optaverat, ut diutiùs ſentiret dulcedinem cibi potúſque.

Phlégethon, pro Tartaro; Acheron, Cocytus, Styx.

Phlegra, gigantum ſepulcrum, cœlum adorientium.

Phœbe, pro Luna.

Phœbus, Sol, Muſarum Præſes, & Vatum, & Oraculorum. Unde: Non te Phœbi cortína ſefellit.

Phryges molles Phryges ſerò ſapiunt.

Phryne, pro inpudica & proſtituta muliercula.

Pimpla & Pindus, ſedes Muſarum.

Pinarii & Potitii, Hérculis Sacerdotes. Tropicè miniſtri penûs, aut abſumptores.

præcepta Platonica, ſapientiæ plena. Obſcurior res numerîs Platonicîs,

Pléjades, pro pluvia.

Pluto, pro cacodæmone.

Plutus, pro divitiis.

Poécile, porticus clara Athenis, ubi fortium virorum facta depicta à Polygnóto, ibíq; Stoici philoſophabantur ſtandô.

Polyclétus, inſignis ſtatuarius.

Polycratis annulus, felicitas.

Polymneſtor, avarus, crudelis & perfidus Tyrannus, à quo Polydórus, Príami filius, per ſummum nefas interemptus.

Polyphémus, pro voratore & ebrii typo; nam excœ-

excœcatus est in ebrietate; Polyphémus cœcus ducens gregem, Dux ratione destitutus.

Polyxena ad tumulum Achillis, in victimam mactata.

Portia, Catonis amantissima, usque in mortem uxor.

Praxíteles; nobilis statuarius.

Prisciánus, pro Grammatico.

Procrustes, latro.

Prometheûs, pro ingenioso artifice, & audace; qui ignem è cælo abstulit; pro homine, quem vultur seu conscientia mala rodit.

Prosèrpina seu Perséphone, uxor Plutónis. Nulla sæva caput Prosérpina fugit. Omnes eódem cogimur, ad cymbam Charontis; more veterum Poëtarum.

Próteô mutabilior.

Priamus, pro sene infelici.

Prytanéum, ubi emeriti alebantur Athénis.

Psylli innoxiè tractant, sugúntque venenum.

Púnica fides, Græca fides, nulla fides.

Pygmæus, pro pumilione.

Pygmalion, pro avaro & crudeli.

Pyramus & Thysbe, turpis amoris exempla tragica.

Pyröis, unus ex equis Solis.

Pythágoras seu Panthóides, primus se non Sophum, sed Philosophum, amatorem sapientiæ, dixit; discipulis quinquennale silentium indixit; unde Pythagoréô taciturnior. Doctrinæ ejus nefas fuit contradicere; satis erat: αὐτὸς ἔφα, ipse dixit. Litera Pythagoræ Y bivium designat hominis dubitantis.

Q.

Quirínus, pro Romulo.
Quirites, pro Romanis.

R.

Rhadamanthéum Judicium, severum.
Riphæum gelu, pro magno.
Rhódope, pro monte nivali.
Románus sedendo vincit, ex historia Fabii Cunctatoris, tranquillè efficax.
Roscius, pro actore Comico insigni.

S.

Sabæi odores.
Sabína, pro gravi & frugali castáque matrona.
Saliáres dapes, pro lautissimis.
Salmoneûs Rex, temerariè sonitus imitatus Olympi.
Sámis vasa, pro testaceis.
Sordanapálus pro homine libidinoso & effeminato, ac deliciis innutrito.
Sardónius risus, amarulentus & fictus.
Satúrnia tempora, pro aureis: Saturno olim servi, libertate donati, compedes dedicabant: pueri circa annos pubertatis comas suas & speculum Appollini vel Æsculapio.
Sátyri, petulci & procáces.
ultra Sauromatas & glaciálem Oceánum.
Scæva, miles apud Cæsarem, notæ fortitudinis & fidelitatis.
Schínis vel Scinis, latro.
Sciron, latro.
Scylla, pro loco periculoso.
Scytha, pro homine fero.
Semirámidis muri, pro Babylóne. Ejusdem horti pensiles.

Septem

Septem orbis miracula seu splendidissima ædificia & opera. Pyrámides Ægypti : Turris Pharia seu Pharos : Muri Babylónis : Templum Diánæ Ephesínæ : Sepulcrum Mausóli ; Colossus Solis apud Rhodios, unde dicti Colossenses, & simulacrum Jovis Olympici. Quibus addunt Cyri Regiam : Aram Jovis in Insula Delo : Labyrinthum Dædali : Thebas Ægyptias : Salomónis Templum & Regiam : Montem Atho à Xerxe navigabilem factum : Isthmum perfossum : Alpes ab Anníbale acetô ruptas : Lucrínum lacum : Auream Nerónis domum : Trajáni lapideum pontem in Danubio : Lucullinam villam, ubi superbæ ædificationes, Apollo & Minerva, &c.

Sibyllæ folium, pro veritate summa. Sibyllâ vivacior.

Silénus, potator improbus & stolidus.

Sirénes, seductrices feminæ, blanda & nocens voluptas ; Sirénum scopuli.

Sísyphi saxum, catenatus, continuus, indefessus, inutilis labor.

Smindyrídes, pro homine effeminato.

Sócrates, pro viro sapiente, frugali, patiente. Socrasicæ chartæ, libri Philosophici.

Solon, pro sapiente Legislatore.

Sophocleô cothurnô carmina, Tragico & alto.

Spartam nactus es, hanc orna.

Spártacus, pro gladiatore seditioso & projecto.

Sphinx, pro involuta quæstione.

Spurína, pro adolescente liberalis formæ & casto.

Sténtore clamosior.

Stóicus, pro tetrico & cerebroso Philosopho, aut homine.

Styx, pro Tartaro. Jupiter per Stygem jurare solebat.

Subur-

Suburra, Romæ locus, ubi fæx habitabat.
Sybaríta, pro homine molli & delicato: Sybarítica mensa.
Syrtes, loca periculosa navigantibus, &c. In Syrtibus hæsit, qui in aliqua re progredi nequit.

T.

Tagus aurifer, pro divitiis.
Taláſſio vel Talaſſius, pro nuptiis.
Tántali domus, pro funesta familia. Tantali horti, quibus frui non conceditur. Item, Tantali sitis, supplicium, crudelis in filium, impius in Deos, &c. Tántali talenta, pro magnis opibus.
Tarquinius Superbus, pro homine crudeli, potente, superbo.
Taurus mons, pro loco inhospitali.
Télephi vel Teléphium vulnus aut ulcus, insanabile.
Tempe, pro loco amœnissimo.
Tenédia bipennis vel secúris, pro executione judicii nimis rigidi & abrupti. Tenédius patronus, eadem ratione.
Terentius & Plautus, pro Poetis Comicis, quales ipsi fuerunt optimi.
Tethys, pro mari.
Thais, pro meretrice. Thaida Thais olet.
Theágenis statua lividum oppressit; livor.
Thebarum centum portæ, urbs magna.
Themis, pro Justitiæ Præside & ipsa Justitia.
Theon, pro homine maledico.
pictoris Theonis vir armatus, non sine tibicine classicum canente, spectandus. Ex *Æliano Cauſſ.* in Symb. Pronunciatio Oratoris.
Thersites, pro deformi.
non absque Théseo, non sine adminiculo.

Thés-

Théssala venena. Thessálica mulier, pro venefica.
Thraso, pro jactabundo.
Thrax, pro homine truce.
Thule insula, pro exilio vel loco ultimo olim. *Virg. 1 Georg.* tibi serviat ultima Thule.
Thyestes, pro incesto. Thyestéa execratio.
Thymele, pro mima.
Timon, pro osore hominum.
Tiphys, pro insigni gubernatore navis.
Tirésias cœcus. Tiresiâ cœcior.
Titánia pubes, in Deos insurgens.
Tithóni senecta, pro decrepita. Tithónus ad cunas relatus, senex repuerascens.
Tityi vultur, vermis conscientiæ.
Tityrus vel Córydon, &c. pro pastore aut rustico.
fuimus Troës, periimus. Trojáno ex equo, Herorum de sanguine. Trojanus porcus, pro homine deliciis effarto.
Trophónii antrum, de homine vehementer tristi & tetrico, aut loco horrido.

V.

Vatinianum odium, pro summo.
proximus ardet Ucálegon, pro periculo proximo.
Venus, pro turpi amore.
Vertumnô inconstantior.
Vesévus vel Vesúvius, mons ignivomus, iracundus.
Vesta, pro igne.
Ulysses, pro viro astuto, diserto, multæ experientiæ, & voluptatis contemptore.
Vulcanus, pro igne, fabro ferrario. Arma Vulcania.

X.

Xantippe, pro jurgiosa & molesta uxore.
Xenophontis in labris videntur Gratiæ sedisse.

Z. Za-

Z.

Zaleucus, pro severo Legislatore & Legis vindice. Zaleuci Lex.

non audis Zéphyros spirare secundos? felicitas. In eundem sensum flat Favonius.

Zeuxis, pro insigni pictore.

Zóilus, pro obtrectatore maledico. Homéri flagellum fuit.

Zôpyrus, pro fidelissimo Regis ministro.

Desiderius. Incredibile est, quàm istô me acroämate delectâris & erudieris. Cui ut in persimili argumento aliquid addas, possúmne rogare? *Mercurialis.* Quid rogas? *Desiderius.* Amœnioris quippiam doctrinæ ex Historicis, in pauciora perinde verba contractæ. *Mercurialis.* Quid petis, accepisti; nam facta fictis miscuimus. Nec aliter, nisi in prægustum. Neque enim desunt impensæ & paratus plura hujus generis fercula inferendi. *Desiderius.* In lingua natat saliva, appone. *Mercurialis.* Ede, more veteri, quos missus velis. *Desiderius.* Dixi, è narrationibus selectioribus Attica edulia. *Mercurialis.* Nescis, quid esurias. Quæro abs te: degustâsti aliquando Livium? *Desiderius.* Non primoribus duntaxat labris. *Mercurialis.* Valerium delibâsti Maximum? *Desiderius.* Haud modicè. *Mercurialis.* Curtius ut sapuit? *Desiderius.* Penè devoravi. *Mercurialis.* Quid de Cæsare? *Desiderius.* Rapuit me bellum civile inter ipsum & Pompejum gestum; dum hic non vult ferre parem; ille non sustinet esse minor. *Mercurialis.* Quid de L. Julio Floro? *Desiderius.* Hic mihi Rem Romanam libandam offert, & magis salívam movet, quàm famem sedat. *Mercurialis.* Pirá laboras, an orexi, quam hi dapiferi non

non exſatient. Quos ut percurram obiter; primus eorum tibi inſert Romulum & Remum altricis lupæ ubera lambentes; ſurgentis Romæ mœnia fraternô ſanguine aſperſa: Capitolinam arcem ab effoſo in fundamentis capite equino, aurea poſt ſtramen culmina oſtentantem; quietum & religioſum Numæ Pompilii regnum: Tulliam ſupra parentis corpus carpentô vectam: tergeminorum Horatiorum pugnam: ſuperbos Tarquinii faſces: Brutum libertatis vindicem: Romam à Porſena obſeſſam: injectam foculo Scævolæ dextram: Coclitem in ponte exercitum ſuſtinentem: Clœliam, Tiberim tranantem: Coriolanum, iras, in patriam ingratam conceptas, maternis lacrimis condonantem: trecentorum Fabiorum internecionem: Romam à Gallis captam: Capitolium à Manlio defenſum, excubitoribus anſeribus: T. Manlium, ex duello torquatum; nobiles Deciorum animas, pro civibus devotas: Camillum ultima patriæ fata avertentem: M. Curtium, pro publica ſalute, in hiatum medio urbis foro ſe præcipitantem: Regulos, Scauros, Æmilios Paulos, animæ prodigos: Fabritios & Curios à ſtiva ad Reipubl. clavum vocatos: Marcellos ſuper æthera notos: Metellos pios: Marcellos Syracuſis à ſe victis illacrimantes. Scipiones belli fulmina, Africæ & Aſiæ domitores: Brutos & Manlios ſeveritate in filios ſtupendos: Annibalis novennis ad aras jusjurandum, de perpetua in Romanos hoſtilitate, cujus fidem fecit Saguntum diruendô, per Alpes in Italiam irrumpendô, Quirites ad lacum Thraſymênum & Cannas Apuliæ vicum dirâ clade cædendô; quem denique luxuria Campana fregit, Scipio repulit, & in vindictam Numantiam ac Carthaginem delevit. Quid multis? Romam gentémque togatam in miſſu ambu-

ambulatorio ſpectandam exhibet. Quem contraxit continuavitque Florus, qui tibi apponit luxuriam Aſiaticis triumphis in urbem invectam: Jugurtham parricidiis & ſcelere Numidiæ regno potientem: Mithridatem domitum: Rem populi Romani Attali & Ptolemæi Regum divitiis auctam: Cæſarem in Gallia dominandi initia ponentem: Gracchos & Saturninos ob Leges agrarias ſeditioſos: Marios ex conditione ſervili ambitioſos: Sullas in crudelitate felices: Cinnas in ſeditione ambidextros: Sertorios ex cicurata cerva oracula & bella ſpargentes: Catilinas conjurantes in Remp: Cicerones pro patria ſtantes & cadentes: Antonios Cleopatræ amoribus abreptos, & multis cladibus in voluntariam necem deſperatos: Pompejum in Pharſalia profligatum, & inhonorô, ſine nomine, truncô jacentem: Cæſarem in curia multis vulneribus confoſſum: Brutum & Caſſium, in campis Philippicis, pœnas parricidii pendentes: denique Octavianum Cæſarem perdomitô orbe & jugô Romanis: ſibi verò coronâ impoſitâ; compoſitâ ubique pace, Jani templum claudentem. De Curtio & Valerio Maximo ſuperſedeo commemorare; quos cùm devorâris, quid mihi niſi oſſa relinquis? *Deſiderius.* Necdum deſiderium meum explevisti. *Mercurialis.* Hæc fames non hominis, ſed lupi eſt. *Deſiderius.* Imò verò hominis, ſciendi cupiditate laborantis. *Mercurialis:* Audi me *Deſideri*; quidquid in hoc hiſtoricæ eruditionis pabulo tam efflictim diſcupis & inhias, id copioſè & recenter obſipatum eſt à viro omni literatura politiſſimo. *Deſiderius.* Quis ille? *Mercurialis.* *Joannes Biſſelius*, S. J. qui Ruinas Illuſtres rerum & hominum, usque ad occaſum Reipublicæ Romanæ, quatuor decadibus non minùs enucleatè quàm facundè conſcripſit, pluréſque para-

paratus habet, in publicum cum tempore prodituras. Eum tu adi, volve manibus & tere; crede mihi per Musas & Apollinem juranti, implebit desideria tua. *Desiderius.* Suspendisti cupidinem meam, non repressisti. Interea hoc abs te vellem. *Mercurialis.* Quis tandem finis rogationum? *Desiderius.* Non procul abest. Nunc historiæ sacræ præcipua capita Emblematibus, quibus unicè me delectari nôsti, maximè servientia, mihi depromi cupiam, cùm & ætas & reverentia à sacratioribus illis literis me adhuc abstineat. *Mercurialis.* Ita nobis eveniet, quod pueris ad aquas ludentibus; ii, cum lapillum in stagnum jecerint, paullatim magis magísque majores orbes faciunt. Sic tu, scrupô unô injectô varios circulos consequi facis interrogationum & responsionum. *Desiderius.* Nisi nunc auditor ero, frustrà requiram postea, cùm divellemur. *Mercurialis.* Vel si lapis sim emolliar. Arrige aures; Antiquiora Sacri Voluminis, & ad scopum nostrum propiùs accedentia *facta* & *acta*, tuo pro captu, his amœnioris doctrinæ bellariis immiscebo.

Caput XCIX.

Emblematicum ex historia sacra Corollarium.

Quod in parietibus est *vermiculatum*, in pavimentis *tessellatum*, in lignis *segmentatum*, in vasis aureis & argenteis *cælatum*, Emblema appellatur, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν, ab inserendo. Metaphoricè accipitur pro *Symbolo* seu *Nota*, arcanius aliquod mysterium significante. Ne putes autem, nos in ipso Corollarii hujus limine impingere,

quod *Emblematicum* vocamus, cùm, ſecundùm *Symbolographos*, *Symbolum* ſit occultæ rei ſignum, quam ſignificat figuratè; (Symbola Pythagorica ſunt involutæ ſententiæ, & quaſi ænigmata rem reconditam indicantia) ſic *ciconia* eſt ſignum pietatis in parentes: *papaver* fertilitatis aut ſomnolentiæ. *Embléma* juxta illos eſt Symbolum ex imagine figurata, à natura rerum *intelligentium*, ad mores & vitam hominum traductum, cum appoſito *lemmate*, ſeu brevi dicto, v. g. Monetarius formans nummum plagis: *Dant pretium plagæ*, ſcil. adverſæ res; unde ſi urticæ adſcribas; *Compreſſa non urit*; innuens rebelles premendos, dicent illi, Symbolum eſſe, non Emblema; quia non profectum à re intelligente. Rurſum ſi figura deſit, ſeu conceptus Metaphoricus; tum hiſtoricum illud, nec *Symbolum* erit, nec *Emblema*, e. g. Cainus occidens Abelem, cum lemmate: *Invidia*. *Hieroglyphicum* eſt imago ad aliquid abſtruſius ſignificandum, ex inſtituto determinata, ut *apis picta* deſignat Regĩ obſequentem, quia ſolæ apes Regem habent, eíque parent. Hæc, inquam, cùm non ignoremus, placuit tamen hiſtoricas ex Divinis Paginis imagines proponere, tanquam Emblemata, illuſtriorem aliquem ſenſum ſive *propriam* ſive *figuratam* exprimentia; neque enim moroſiùs his literatorum ſpinis inhærendum cenſemus; ſed flores potiùs liberalioris doctrinæ colligendos, & in hoc Corollarium inferendos, ut ſpecimen demus juventuti, quid elegantis eruditionis induſtria apicula ex Biblico Hymetto legere, & ſuô bombô (colloquiô dicô) cum ſodalibus communicare poſſit. Accipe, quæ, pervolandô illa viridaria, collegi: non diu poſt penitiùs in Sacra Tempe illaturus pedem, mecúmque ducturus alios.

Luci-

Lucifer, Angelorum princeps, cum asseclis cœlô ruens. Ex alto casus gravior.

Duo luminaria mundi, Sol & Luna. Christus & Maria. Genesis 1.

Adam à Deo ex luto effictus. Omnes ex eodem luto. Ut vasa in manu figuli. Omnes eódem cogimur. *Horat.* E terra in terram.

Eva è costa Adami formata, non è capite, non pedibus, nempe nec domina, nec ancilla.

Quatuor flumina Paradisi, Symbolum cœlestium Gratiarum, omnia rigantium.

Arbor vitæ, Symb. immortalitatis.

Arbor scientiæ boni & mali. Nocuit didicisse.

Serpens Evam seducens. In lingua venenum.

Pomum vetitum, ab Eva decerptum. Ab hoc malo omne malum.

Protoplastorum tunicæ pelliceæ. Erubescens luxus.

Cherubin ante ostium Paradisi cum flammeo gladio. Discite justitiam moniti. Non datur reditus.

Sacrificium Abélis cœlitus inflammatum. Arserat ipse priùs, nempe pietate in Deum.

Abel à fratre Caino occisus. Egrediamur foràs: Seductio innocentiæ.

Caínus agente conscientiâ vagus, tremens, profugus. Nemo seipsum effugit.

Enochia, urbium prima, à Caino condita; pro latrone latibulum. Murus aheneus, nil conscire sibi.

Caínus, in silva pro fera habitus, à Lamecho abnepote per imprudentiam occiditur. Sequitur sua pœna nocentem.

Jubal invenit instrumenta Musica: Tubalcain arma. Simul belli pacísque studia.

Noëma mulier lanificium commenta est. Tela non telum feminis.

Henochus, ſeu Enochus, vivus hinc raptus, & in Paradiſum translatus. Vivus deſiit in vivis agere. Religioſus mundo mortuus.

Gigantes, Caíni ſoboles, monſtra corporum & ſcelerum, cauſa venturi diluvii. Mali corvi, malum ovum. Aut fulmine, aut flumine.

Noë, juſſu Numinis, navem, quæ SS. literis vocatur Arca, fabricavit centum annis. Fruſtrà minæ. Lentè, ſed graviter.

Cataclyſmus aquarum totum terrarum orbem inundavit. Flamma (libidinis) domatur aquis.

Noë cum ſeptem duntaxat capitibus exitium commune evadit. Ex millibus unus. Nulla ſalus extrà. (ſcilicet Eccleſiam.)

Corvus, explorator ex arca emiſſus, non revertitur. Delectant obſcœna. Corvus in cadavere.

Columba emiſſa viridem olivæ ramum reportat. Spes redit afflictis.

Iris, triumphalis placati Numinis arcus. Nil triſte minatur hic arcus.

Noë vineam condit, & liquore novô primus vincitur. Ex innoxio hauſtu quantus fons malorum! Experto credite poſteri. Chamus irriſor patris: Progeniem tulit vitioſiorem.

Turris Babylonica erigitur. In Superûm fabricatur machina muros. Temeraria conſilia contra Religionem.

Ædificantium vanitas disjecta confuſione linguarum. Tanti eſt discordia vocum.

Diviſio gentium per orbem. Errandô inveniunt (ſcilicet ſedes.)

Ninus, poſitâ Belo parenti ſtatuâ, idololatriam inducit. Hinc illæ tenebræ, nempe Gentilium.

Abrahamus reducit Lothum fratrem & familiam ex

capti-

captivitate. Da mihi animas, cœtera tolle tibi. Zelus animarum.

Abrahamus tres Angelos, ſpecie virorum, excipit hoſpites. Salem & menſam ne prætereas. Da, ut accipias. Error absque errore, in ſuſcipiendo peregrino.

Conflagrante cœleſtibus flammis Sodomâ, Loth cum uxore & filiabus per Angelos educitur. Vitandus fumus, in ignem ne incidas.

Uxor Lothi in ſtatuam ſalis, ob oculos retrò verſos, convertitur. Unius obuli jactus quanti ſtetit? Sic ſolent feminæ: Sapiunt, cùm pereunt.

Agar ancilla, cum Iſmaële filio, ex domo Abrahami pellitur. Non bene conveniunt (Iſaac & Iſmaël) bona & mala indoles. Faceſſe luſor, deeſt colluſor. Timebat Sacra ſub Iſaaco, ne ludum Iſmaëlis luderet. Profugam, in deſerto, conſolatur Angelus: In deſerto, non deſerta.

Iſaacus immolandus cervicem ſubjicit paterno gladio. Voluiſſe ſat eſt. *Virg.*

Rebeccæ ad fontem in peregrinum Eliézerem humanitas eſt nuptiarum cum Iſaaco conciliatio. Ex undis amor elicit ignes.

Eſau, frater Jacobi, rufus & piloſus, lentis pulmentô jus primogeniti vendit fratri. Quò vilius, hoc pretioſius. Nocet empta dolore voluptas.

Jacobus, matri multùm amabilis, veſtem & perſonam fratris indutus, benedictionem à patre impetrat. Perſonam malam egit optimè.

Jacobus, in Meſopotamia peregrinus & feſſus lapidi indormit, & in ſomno myſticam contemplatur ſcalam. Scala arcanorum ſchola fuit. Sic itur ad aſtra.

Longa Jacobi servitus pro Rachele in uxorem ducenda. Amanti nihil difficile.

Jacobus cum Angelo luctatur & prævalet, nervô femoris emarcescente, & nomine Jacobi in Israëlem mutatô. Amissô nervô fortior.

Dina, Jacobi filia, ut videret & videretur, in urbem Sichem egressa, pudorem perdidit. Urítque videndô femina, & uritur.

Josephus à fratribus, ob somnium ipsius, invidiâ conceptâ, venditur mercatoribus Israëlitis. Dum obsunt, prosunt. Periit, ne periret. Livor excœcavit venditores, ne viderent mercis pretium

Josephi polymita toga, hœdinô sanguine conspersa, seniori parenti Isaaco in signum devorati à fera filii exhibetur. Invidia fera est domestica. Tunica fit pallium mendacii.

Josephus, lenocinantem dominam, Potipharis heri sui uxorem, effugiens, pallium in ejus manu relinquit. Castitas fugiendô vincit.

Josephus, in carcere constitutus, pincernæ & pistoris somnia explicat. Fecerunt somnia Vatem.

Josephus Pharaoni, Ægypti Regi, somnium explicat de septem bobus pinguibus & septem macris: annis fertilibus & sterilibus, ideóque Princeps seu Prorex Ægypti constitutus. Fortunæ rota cœli volvitur axe. Jam quærite fratres, quid ipsi prosint somnia.

Benjaminum fratrem minimus & charissimus à Josepho in suspicionem scyphi furtô sublati vocatur. Philtrum vacui prædulce scyphi.

Josephus fratribus agnoscendum se præbet, territósque consolatur & osculatur. Erubuerunt, salva res est.

Jobus

Jobus, vir gentilis, simplex, rectus, locuples, à Satana, permissâ à Deo facultate, variis malis exercitus, dirissimè affligitur in corpore. Integrior ex vulnere & ulcere. Fimetum ô quale theatrum virtutis! Maledica uxoris lingua pro plausu fuit. Patientia Jobi spectaculum etiam Superis dedit.

Moses infans, in Nilum projectus, in fiscella viminea énatat. Quem Deus vehit, scirpea navigat rati.

Deus Mosi in rubo ardente, nec combusto, apparet. Inter vires aspera virtus.

Dura Hebræorum in Ægypto servitus, in luto & lateribus, increpante flagellô. Dabit Deus his quoque finem. Non mitius est jugum mundi, non dignior cura.

Virga prodigiosa Mosis; pro virtute efficiendi mira.

Virga Mosis, in serpentem versa, devorat virgas seu serpentes Incantatorum. Ficta miracula veris nihil officiant.

Decem plagæ Ægypti, à Deo immissæ, 1 mutatio Nili in sanguinem. 2 ranæ omnia infestantes. 3 culices & cyniphes. 4 muscæ. 5 pestis. 6 ulcera. 7 grando. 8 locustæ. 9 tenebræ, quæ etiam in Adagium abierunt. Ægyptiæ tenebræ. Hîc illud usurpes; Phryx (Pharao) plagis non emendatur. 10 cædes primogenitorum.

Agnus Paschalis cum panibus azymis & lactucis agrestibus comedendus ab Hebræis stantibus, præcinctis, & baculos manu tenentibus idque festinanter. Memento, te peregrinum.

Angelus percussor domos Israëlitarum, sanguine agni signatas, innoxius transit. Christi sanguis nostra salus.

Columnæ nubis & ignis Israëlitas ex Ægypto discedentes præcedunt. Duce Deô. Spolia Ægyptia. Res profana in sacram.

Hebræi transeunt siccô pede mare rubrum, Ægyptii merguntur. Lemma de unda: Non omnibus servio. Denique durities liquescit.

Fons Mara dat amaras aquas, quæ injectô à Mose lignô dulcescunt. Quod natura negat, cœlestis gratia donat.

Ex Ægypto prodigiosè educti Hebræi respiciunt eò, unde abierunt, optant ollas, plenas carnium Canópi: Audiuntur: Pluit coturnicibus: Saturantur ad nauseam & vomitum. Escæ intra dentes hærent. Fit Venter tumulus, fit Libitína gula; mors est in olla. A gulonibus etiam locus infamatur, & nomen *Sepulchra Concupiscentiæ* accipit. Non respiciendum ad ollas & cepas Ægyptias Religioso.

Post coturnices Manna de cœlo decidit. Malis saporem panis oleagini præfert: Omne delectamentum bonis, & pro voto, quod quisque appetit, sapit. Pretiosus utique cibus, qui in tot secula servandus aureæ Fœderis Arcæ includitur: ubi virga quoque Aaronis, quæ arida floruit & amygdalas protulit: ubi Mosis quoque tabulæ Decalogo inscriptæ asservatæ. Quot, quæso, hîc Symbola, *Desideri*; si vis, adde explicationem, ut, te loquente, auscultem ego. *Desiderius.* Quid ego graculus lusciniam interpellem; elinguem reddit me attentio, adeò placet mihi hæc corolla, quam ex historicis Divinorum Voluminum flosculis nectis. Certè in Sacris Literis plus est unguenti, quàm in profanis olei. *Mercurialis.* Illæ sunt dominæ, hæ ancillæ, & in dominarum obsequia adhibendæ. De Manna mihi occurrunt lemmata. Primò victoriæ; adscriben-

bendô picturæ: Vincenti. Deinde mirifici cibi. v. g. Nil melius, nil mirius; vel: per modum recipientis. Vel: juxta palatum. De Virga Aaronis, quæ, prodigiosè florens, suffragata est viro ad summum sacerdotium: Quot nuclei; tot cœli calculi. Non fallit hoc suffragium. De rebus in Arca repositis. Tabulæ significant Legem; Virga metum pœnæ: Manna præmium in ea observanda. *Desiderius.* Quàm multiplex doctrina? *Mercurialis.* Et hæc quidem in cortice. Quid, si penitiùs ad medullam juxta sensum Scripturæ S. quadruplicem, de quo egimus cap. 78. v. g. Mysticè Manna typus SS. Euchristiæ est: adde lemma: esuries in satietate: satietas in esurie, &c.

Hostes Amalecitas profligat Moses, preces cœlô fundens elevatis manibus. Unus pro omnibus. Suspiria difflant hostilem aciem.

Promulgatur Decalogus in monte Sina, inter tonitrua, fulgura & terribiles sonitus, nemine ausô ad montem propriùs accedere; præter Mosen. Tange montes (& fumigabunt, Ps. 143.) Metus est reverentia Legum.

Hebræi erigunt vitulum aureum, & circa eum edentes & bibentes choreas ducunt. Lascivia vitulantium juvenum. Cuiq; sua lubido Deum fingit.

Vitulus comminuitur in pulverem, & spargitur in torrentem. Abolitio scelerum per contritionem pectoris.

Radiosa & cornuta Mosis facies. Terret & illustrat (disciplina.)

Maria, soror Mosis, murmurandô lepram contrahit, quam sanat frater precandô. In lingua malum & remedium.

Ex terra Palæstina, lacte & melle manante, ingens botrus in vecte, à duobus bajulis asportatur, in

signum ubertatis ad Hebræos alliciendos in eam regionem. Ex ungue leonem, ex uva vineam. Promulsis paradisi. Dulce periculum.

Nemo ex omni Israëlitarum numero, præter Josue & Caleb, in terram promissionis admittitur, propter abjectionem animi, pugnam detrectantis; unde quadraginta annis errandum iis fuit per deserta. Multi vocati, pauci electi. Timidus nullum trophæum statuit. Audentem non tàm Fortuna quàm Deus adjuvat. Majora periculis prœmia, &c.

Core, Dathan, Abíron, Mosi rebelles, deglutiuntur à terra, descendúntque vivi in infernum, socios eorum conburente igne; prava societas conflavit incendium.

Petra, â Mose virgâ percussa, ad secundum ictum emittit aquas largissimas. Duro de pectore fletus. Displicent repetita. (Contra Proverbium: Repetita placebunt) Deus enim offensus diffidentiâ Mosis & Aaronis; nam primæ percussioni non tàm aqua defuit, quàm fiducia in Deo. Mystice, Christus erat petra.

Serpens æneus, à Mose in pertica suspensus, sanat vulneratos à serpentibus ignitis, afflatu & morsibus præsentem ferentibus mortem. Hîc juvat aspectus: Profuit enim aspexisse simulacrum serpentis.

Asina, cui insedit Balaam, Magus & Ariolus famosissimus, abs hero suo percussa, quòd nollet pergere, obstante Angelô, loquitur ob indignitatem verberum. Stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Rumpit injuria linguam.

Raab, mulier Jerichuntis civis, exploratores, à Josue missos, salvos de nocte è fenestra per murum

rum urbis funiculô coccineô demittit, & in urbis excidio sibi suísque vitam conservat. Nunquid vita de filo vel funiculo pendet? Gratia parit gratiam.

Quid ad hæc *Desideri?* Cur adeò silens? *Desiderius* Quia nullum mihi dulcius & auditu dignius acroama accidere posset. *Mercurialis.* Abrumpamus filum; flectendô implevimus orbem corollæ, *Desiderius.* Necdum integrè; prosequere nexum. *Mercurialis.* Prosequar, sed fila filis nectam properantiùs, ut floreum circulum absolvam. Juxta seriem Scripturæ S. memorandus nobis Hebræorum Sacerdotum cum Arca Fœderis per Jordanem transitus, consistentibus utrinque instar montis aquis. Fecit iter pietas.

Sequitur Jerichuntis urbis eversio, mœnibus ex tubarum sonu currentibus. Solô flatu. Tu applica ad alia.

Inde Solis ad imperium Josue in medio cœli per diem integrum immoti statio. Disce parére. Sic imperat, qui Deo paret.

Sisara insidiosè lactatus & sopítus à Jaële femina, adactô secundùm tempora clavô. Blandum exitium.

Vellus Gedeonis in sicco madet: In madido siccum est. Vir fortis, fortunæ obnítens.

Gedeonis milites trecenti seliguntur, quia stantes aquam manu ad os admotâ lambebant. Nos numerô pauci, sed bellô vivida virtus. *Virg.*

Testarum collisarum (hydriarum) fragore terrentur à Josue Madianítæ, & seipsos concidunt. Famâ stant bella.

Moabitis Ruth spicílega. Parva petit, ut magna ferat.

Jephthe

Jephthe unigenitæ filiæ & pater & popa est. Victoria pœnitenda. Fallit non rarò pietas.

Samson ex ore interfecti leonis mel legit. Ænigma ipsius : De forti dulcedo. Dulce laboris præmium.

Samson maxillâ asini occidit mille Philisthæos. Furor arma ministrat. Non telum, sed manus.

E molari mandibulæ asininæ dente sitienti Samsoni fons aquæ scatúrit. Ex asino Pégasus.

Samson, in urbe Gaza inclusus, portas urbis cum postibus suis & seris asportat. Captus non capitur. Num capti potuere capi? *Virg.*

Samson, amore Dalilæ captus, capitur ab hostibus & excœcatur. Notum, quid femina possit. Noli me tangere.

Samson, oculis orbatus & ludibrio à Philistæis habitus, subductis manu utráque columnis, unâ se & spectatores ruinâ involvit. Ipsa in morte timendus. Vindictæ verbum : Malè mihi, modò malè aliis.

Samuel, puer, à teneris Deo in tabernaculo servit. Major est recentis gratia floris.

Indulgentia erga liberos Heli Sacerdos, de sella cadens, frangit occiput suum, quia non fregit cervicem filiorum. Fortiùs utere loris.

Dagon, idolum Philisthinorum, ad præsentiam Arcæ corruit. Non in unâ sede morantur. Alterutri cedendum.

Saul, quærens asinas, in Regem ungitur. Ab asinis ad equos.

David, puer pastoritius, leonem & ursum interficit. Ab his rudimentis.

David fundâ & lapide Goliáthum, immanem gigantem, sternit. Non mole, sed virtute. Tuô te gladiô jugulabo.

David, canens citharâ, ſpiritum malum à Saule depellit. Nervus ineſt nervis. Fide probat fidem domino.

Saul inter Prophetas. De homine rudi, repentè docto.

David inſaniam ſimulat. Sapiens ſtultitia.

Arctum fœdus & amicitia inter Jonatham & Davidem. Alter in altero. Sagittæ Jonathæ (amoris in amicum.)

David Sauli, capitali hoſti, clàm oram chlamydis abſcindit; haſtam quoque & ſcyphum ſubducit in ſignum omiſſæ ultionis. Fortior eſt, qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit Mœnia.

Nabal pro homine duro, agreſti, vecorde.

Abigail, Nabális uxor, hoc prudentior, quò maritus ſtultior, iratum Davidem verbis & muneribus placat. Eúcharis lingua, &c.

Joab, Davidis Regis Princeps militiæ, cùm Amaſam, ſupremum belli Ducem à parte Abſalonis, obvium haberet, humaniſſimè ſalutans, oſculum tulit fronti, pugionem lateri infixit. Fraudulentus amicus. Vide, cui fidas.

David amictus ephod lineô (eſt genus veſtis ſacræ, humeros tegens & pectus ambiens) canit & ſaltat ante Arcam, irridente Michóle conjuge. Sapientia mundi ſtultitia eſt apud Deum; & viciſſim.

Fortes Davidis, pro ſelectis & ſtrenuis militibus, quorum quidem ſcribuntur ſoli totum exercitum debellâſſe, quidam 800, quidam 300, unâ clade occidiſſe: alii gigantes, alii leones, interfeciſſe. Qualis dux, talis miles. Ex Scriptura dicitur ad tres Primos Fortium non perveniſſe, qui in fortibus factis, poſteriorem obtinet locum.

David allatam per medios hoſtes ex ciſterna Beth-

lea

léa aquam inguſtatam libavit Domino. Non quantum, ſed ex quanto.
David cum Bethſabee; Uriæ uxore, quam è ſolario viderat lavantem, adulterium committit. Ut vidit, ut periit.
Litteræ uriæ: bajulo malum aſſerentes.
Nathane Prophetâ Davidem arguente, hic peccatum pœnitens agnovit. Tu es ille vir. Peccavi.
Abſalon bello perſequitur patrem Davidem. Ambitio. Pœna peccati. Achitophel, conſiliarius Abſalonis, laqueô ſe ſuſpendit ob ſpretum conſilium. Malum conſilium conſultori peſſimum. Vafrities Pſeudopolitica.
Abſalonis cæſaries, pro eleganti.
Abſalon crinibus è quercu pendens tribus haſtis confoditur, & projectus in foveam acervô lapidum obruitur. Suô ſe laqueô induit. Incidit in foveam quam fecit. A tergo vindicta.
Tres plagæ, belli, peſtis, famis ob numeratum ſuperbè populum Davidi oblatæ. Difficilis optio.
Sapiens judicium Salomonis in dijudicando duarum matrum lite ſuper vivo & occiſo infante. *Dividatur*. Æquitas judicii.
Salomon præ divitiis, & regnis ſapientiam à Deo optat & accipit. Omnia ſimul cum ea.
Salomonis templum inter miracula mundi. Fabrica ſine malleo.
Salomon è ſapientiſſimo ſtultiſſimus. Mulierum amor.
Regina Saba, ſapientiæ indagatrix. Augent præſentia famam. Sapientia ſtupens.
Salomonis filius Roboam neglectis Seniorum conſiliis, Juvenum ſecutus; decem regni partes perdit. Tanti refert, quem conſulas.

Elias

Elias pascitur à corvis, Stipem ab avaro.

Orante Eliâ, lécythus olei viduæ Sareptanæ non deficit. Fundus sine fundo: Adagium, non est oleum in lécytho, i. e. non est exorabilis; nam Græcis ἔλαιον, oleum, ἔλεος, misericordiam significat. Affluxus è cœlo.

Naboth, jussu Jezabélis, ob negatam vineæ possessionem, lapidatur. Vis, non jus.

Elias ignem vindictæ è cœlo devocat. Tibi militat æther. Vim vi. Spiritus Æliæ fervens.

Elias, ictu pallii Jordanis aquas dividens, siccô pede transit. Transit intactus; vir fortis inter fluctus humanorum casuum.

Elias curru igneô in ætherem rapitur. Terra vale!

Elisæus ab Elia pallium & cum eo spiritum duplicem (duplô majorem) accipit. Dulces exuviæ.

Elisæus filium Sunamitidis à morte suscitat, ad staturam ejus se componens. Omnibus omnia, præsertim præceptores scholarum, ut è veterno excitentur discipuli.

Naaman, Syrus Princeps, purgatur & emundatur leprâ, post septenam in Jordane tinctionem. Non ter, sed septies repetita. Ad doctrinam & mores. Non aqua, sed obsequium.

Elisæus, projectô in aquam lignô, ferrum natare facit. Vince naturam.

Jezabel, stibiô picta & fucata. Hæccine est illa Jezabel? Interrogatio amara ex Scriptura S.

Cadaver hominis in sepulchrum Elisæi projectum, ex contactu ossium Prophetæ redit in vitam. Tanti est, conjungi bonis.

Jonas Vates, ortâ tempestate, ductis sortibus projicitur in mare, & cessat tempestas. Ipse à ceto tanquam in vivo sepulchro triduum circumfertur

tur in pelago, & tandem in littus evomitur à pisce. Ejiciar ego, ut tempestas desinat; de viro magis patriæ, quàm sui amante.

Jonæ concione & interminatione resipiscunt Ninivitæ. Fulmina terrent. Time tonitrua, ut evites fulmina.

Jonas, sub hedera umbram & quietem captans, Sole urente hederam & vermiculô rodente, gaudia sua tristis perdit. Momentum, quod delectat.

Precibus Isaiæ in Ezechiæ Regis gratiam Sol, in horologio solari, decem gradibus retrahit umbram. Clariùs ex umbra. Rebus in afflictis elucet Dei benignitas.

Rex Senacheribus, obsidens Hierosolymam, immissô cœlitus Angelô, centum octoginta millium militibus unâ nocte deletis, conciditur. Si Deus pro nobis; quis contra nos? Felix, cui militat æther.

Angelus Raphaël Tobiæ Junioris dux itineris. Errare nescit. (de duce fideli ac perito.) Melior Achates.

Cor, fel, & jecur piscis, á Tobiâ capti, in medicamenta asservantur. Ex hoste salus vel medicina.

Tobias parenti cœco, felle piscis pro collyrio usus, visum restituit. Dulce lumen, remediô amarô. Morigerus filius par ntis oculus.

Manasses per omnia scelera raptus, quia Isaiam cognatum suum serrâ medium secari jussit, in carcere inter catenas pœnitentiam agit. In tenebris lucem.

Danielis adolescentis judicium sapientissimum, & castæ Susannæ liberatio. Bona causa triumphat. Ubique insidiæ, etiam clausô ostiô. Non annis, sed ingeniô.

Nabu-

Nabuchodonoſoris ſtatua capite aureô, pectore argenteô, ventre æreô, tibiis ferreis luto mixtis; portendens quatuor Monarchias, à lapide de monte abſciſſo conteritur. Chriſtus myſtice lapis eſt. Deteriora ſequuntur.

Daniel cum ſociis mittitur in fornacem ardentem, incolumisque ſervatur. Experimentum virtutis. In ignibus aurum.

Nabuchodonoſor, Regum faſtuoſiſſimus, pro Deo ſe circumſpiciens ad beſtias damnatur, & bovem in gramine agit. Hæc tollit cornua faſtus.

Balthaſar, Rex Babylonis temulentus, inter epulas aperit oculos; & manum videt triſtia fata ſcribentem. Extrema gaudii luctus; hîc media gaudii luctus. Improviſa feriunt.

Daniel inter Leones illæſus. Fruſtrà ringuntur.

Juditha, caſta vidua, cilicinô cingulô ſuccincta, tanquam militari baltheô, Holofernem truculentum & temulentum obtruncat. Armata caſtitas. Hoc habent Mars, Bacchus, Venus.

Aman, Aſsvéri Regis Satrapa, intolerabile faſtu inflatus, Mardochæo, quem perditum ibat, cogitur equitanti à pedibus eſſe & præconem agere. Officia aulica nolentis, volentis. Crudele tormentum. Sic fortuna ludit.

Aman in cruce Mardochæo parata ſuffigitur. Malum in auctorem. Sic vos non vobis. Nunquid habet omnes ſub pedibus? Voluit ſuſpici.

Judæi, reædificantes Solymæa mœnia, alterâ manu gladium, alterâ tenebant trullam cæmentariam. In utrúmque parati.

Heliodorus, regius miniſter, templum Hieroſolymitanum ſpoliaturus, à cœleſtibus geniis flagellatur. Icti ſapite ſacrilegi.

Judas Macchabæus, Hebræorum Archistratégus, Hostium terror, Religionis vindex. Lemma: Pro populo & Deo.

Septem fratres Macchabæi unà cum matre pro Lege Dei crudelia patuntur supplicia. Non Regi, sed Legi.

Antiochus Epiphanes, seu illustris, à vermibus consumitur. Hoc genus aulici non intelligùnt titulos, & tamen ex Rege vivunt.

Hæc habui, quæ deproperarem in hac flosculorum lectione, doctrinæ amœnioris & virtutis caussa. Dixi jam antè: in superficie ambulavimus, intactis altioribus sensis. Tibi hæc congessi: tu hinc Symbola, Adagia, Antonomasias selige, & Caínos pro parricidis usurpa: Abéles pro innocentibus: Salomónes pro sapientibus: Nabáles pro stultis: Absalónes pro formosis: Jobos pro patientibus: Macchabæos pro fortibus: Davídes & Jónathas pro amicis optimis: Goliáthos pro proceris: Assvéri convivium pro regali: Jezabeles pro sceleratis feminis: Susannas, Judithas, Rachéles pro venustis & castis, &c. Symbola si lubebit hinc confingere, signa pro rebus erunt ponenda, quam litteraturæ partem plures te docebunt. Nunc colligamus vasa. *Desiderius.* Hujus me artis desiderium tenet quàm maximè. *Mercurialis.* Vide, quam, tuæ caussâ doctrinæ, nihil non velim. Caput huic rei serviet proximum & ultimum.

Caput

CAPUT C.

Syntagma Symbolorum miscellaneum.

POteramus hoc capite supersedere, quemadmodum duobus prioribus, nisi magis cupiditati tuæ, quàm judicio meo velificandum putarem, ideóque seriùs intrandum portum. Symbolica tua requiris, & inter cimelia æstimas; maluissem ego rariores quosdam gentium ritus in hanc mantissam rejicere, indéque varias loquendi formulas excerpere. Sed quia dudum profectionem nostram extraximus longiùs, novíque res esset non capitis, sed operis, ea huc adducere, quæ *Brissonii, Rosini, Dempsteri, Alexandri ab Alexandro, Tiraquelli, Ludovici de la Cerda, Pontani, Raderi,* aliíque suis in commentariis, comprimis *Lipsii,* doctissimè annotarunt, ideò faciliùs tuæ petitioni obsecundandum duxi, & hoc Syntagma adjungendum, potiùs tuum quàm meum, præsertim cùm Symbolicæ icones, notæ, inscriptiones, lemmata adeò sint in pretio, ut & densi extent codices, qui de iis tractant (in quibus eminent Hieroglyphica doctissimi *Pierii,*) & publicis ac privatis in alloquiis, congressibus, in insignibus, armis, anulis, sigillis, amicitiæ tesseris, vasis cælatis, hortis, fontibus, porticibus, columnis, arcubus honorariis proponantur tanquam emphatici occultæ veritatis indices, & animi multa paucis indicantis interpretes. Quarum imaginum cùm in proclivi esset aliquot centurias colligere, nolumus tamen vel nostrô vel aliorum otiô abuti, cùm nec ratio Itineris nostri Latini hoc permittat; libríque sint ad manum, unde picturæ hæ loquentes excerpi possint: & minimè operosum sit, ex Metaphoris, Allegoriis & Similitudinibus Symbola

effingere. Sed ne videamur ista vel nescivisse, vel non eô, quô par est, pretiô æstimâsse, præter ea, quæ de Symbolis & Emblematis paullô superiùs perstrinxi, hæc insuper tuæ aviditati indulgeo. In Symbolicam imaginem & sensum accomodari potest; quidquid in rerum & nominum similitudine, dissimilitudine, comparatione ingeniosè exspectationem fallit, vel rei aliquid tribuendô negandóve, quod ab illa alienum ac remotum videtur. v. g. noctua vesperi, cum lemmate: Sol absens dat mihi visum. Ita damnati apud Inferos primùm intelligent malum suum. Vel quod cum natura & affectionibus ejus pugnat, eíque oppositum est: ut Phœnix in flammis, perit, ne pereat; quô Martyres Christi indicantur Vel res una cum altera dissimili tanquam simili confertur, propter quandam inter ipsas proportionem. Ut, fasciculus clavium, cum epigraphe: Non omnia possumus omnes, pro diversitate scilicet ingeniorum. Vel in rebus & nominibus allusionem facimus. Sic, cygnus aquis innatans, tangor, non tingor ab unda, designans Sacerdotem in cura animarum & variorum hominum versantem. Navis exoneratur, jactatis in mare navibus, cum addito: pereant ne perimant. Religiosa paupertas.

Atque hîc caput istud claudemus, & rivos. Satis biberunt prata; & me lassitudo in quietem & domesticos ad lares urget. *Desiderius.* Quando ventum est ad extrema, hanc etiam vel laciniam vel fimbriam adde, & prout tibi in linguam veniunt amœniora quædam Symbola, quasi aliud agens annecte. *Mercurialis.* *Primas* alii preces in prærogativis numerant; ego ultimas si non audiam, metuo, ne occinas: in fine ne corrumpe. Hæc igitur cape, sed projectè: plura jam antè sparsim. Miraberis ali-

aliquando te istæc adeò miratum fuisse, & reconditæ doctrinæ (excipio Ægyptia Symbola, quæ parùm nobis usui) adnumerâsse. Quid enim magnoperè fatiget ingenium, si v. g. organi harmonicè pulsati ictus applices homini rebus adversis exercito, cum lemmate: *multo fit plausus ab ictu.* An non idem in malleum lotorium liceat transferre, substituendô: *candor ab ictu.* Vel: *verbere purgat.* Quid si referas idem in hominem impatientem, dicásque: *multo fit clamor ab ictu.* Vides, quanta facilitas est hoc genus imagines comminiscendi, & variatis lemmatibus variandi. *Desiderius.* Has fictiones præ omnibus Parnassi deliciis æstimo. *Mercurialis.* Agedum, quoniam hæc te voluptas totum cepit, docebo te artem hujusmodi icones ad invidiam Apellis aut Praxítelis pingendi vel scalpendi. Perlege locos communes similium, v. g. *Dadræi* aut *Lycósthenis*, sive ea sint à rebus naturalibus, sive arte factis, sive variis ab hominum negotiis petita: aut, si malis, rerum proprietates, effectus, causas, adjuncta examina, & inde aliquam tibi imaginem finge. v. g. Pinge arundinem, quam ut loquentem & certum aliquid significantem facias, adscribe sensum imperfectum unà cum imagine absolvendum. Ut: *Qualibet aurâ*, scilicet movetur. Quæ verba inconstantem hominem denotabunt. Ubi cavendum, ne res Symbolicæ sint vel nimiùm usu protritæ, vel nimis ab usu remotæ. Per exempla te ducam. Aspicis in horologio solari umbram describentem numeros. Concipe hinc Symbolum: Quid observas in umbra? *Desiderius.* Lineam nigram paullatim se circum numeros moventem. *Mercurialis.* Adjunge verba: *nulla dies sine linea*, imò hora nulla. Habebis typum laboris quotidiani. Vides rosam

clausam; quid significat? *Desiderius.* Hæreo. *Mercurialis.* Adde: *exspectat Solem.* Intelliges aulicum aut quemvis clientem, favorem Regis aut Patroni sperantem. Intueris calcem affusâ aquâ exardescentem. Quid incidit menti? *Desiderius.* Delibero, quid respondeam. *Mercurialis.* Subscribe: *Accenditur, ut extinguatur.* Quid designatur? *Desiderius.* Homo bibax. *Mercurialis.* Rectè. Apparet tibi virga vel regula fabrilis in undis curva. Quid inde? *Desiderius.* Ne crede oculis, falli possunt. *Mercurialis.* Ohe, nimis hoc simpliciter. Adscribe: *Sibi conscia recti;* habebis bonæ conscientiæ picturam. Gladius in vagina quid indicat? *Desiderius.* Pacem. *Mercurialis.* Scribe: *Promptiùs extrahitur, quàm immittitur,* exprimes idem quod *Terentius,* omnia priùs experiri, quàm armis, sapientem decet. En anulum, sed sine gemma. Qui cogitas? *Desiderius.* Aliquid deesse. Bene. Subjunge: *Optimum deest.* notabis hominem doctum, sed virtutis expertem. Vitreum in oculis globum habes, sed fractum. Quæ cogitatio? *Desiderius.* Fragilem esse hominem. *Mercurialis.* Elegantiùs si ad Fortunam accommodes cum dicto: *Cùm maximè splendet, frangitur.* Objicitur tibi speculum, ut Symbolum inde amicitiæ eliceres, quid subscriberes? *Desiderius.* Ignoro. *Mercurialis.* *Omnibus omnia.* *Desiderius.* Pulchrè. *Mercurialis.* Quomodo per illud Aulicum vel Politicum exprimeres? *Desiderius.* Abs te audiam. *Mercurialis.* Adscribe: Omnem induo vultum. Per fontem delabentem, ut ascendat, quid signes? *Desiderius.* Demissionem animi; nam descensus juvat ascensum. Idem explicare posses per spicas plenas ad terram inclinatas; superbiam vero per vacuas aristas se in altum attolentes. Quomodo per arborem aliquam

aliquam mihi describeres Thrasonem inanem? *Desiderius.* Per plátanum, cum adscripto: Umbra tantùm. *Mercurialis.* Bellè. Hæc in paradigma sufficiant.

De rebus animatis multò superiùs & ab initio ferè disseruimus, quibus non putem aliquid addendum. *Desiderius.* Nihil magis ad aurem meam. *Mercurialis.* Faciam igitur te iconographum, conjectorem, pictorem, interpretem multorum animalium. Quid sibi vult crocodilus hominem plorandô devorans? *Desiderius.* Heredes avidi, mortem defuncti lugentes. *Mercurialis.* Conjectorem te probâsti: Jam mihi ex minima avicula iconem vindictæ adumbra. *Desiderius.* In cognitionem venit apicula, quæ, amissô aculeô, quo inimicum persequitur, extinguitur. *Mercurialis.* Ad Solem clarè. Consuetudinem pravam per quem piscem indicares? *Desiderius.* Da moram. *Mercurialis.* Do. *Desiderius.* Quid si? *Mercurialis.* Quid? *Desiderius.* Quid si remora, parvus pisciculus ingentem detinens navim; sic res minuta, mala assueta, totum vitæ & virtutis cursum retardat. *Mercurialis.* Proficis. Non est, quòd ingenium ampliùs pericliter tuum; mihi maximè arrident Symbola ex historiis accersita. Sic boves Annibalis, faces cornibus præferentes, doctè designant terrorem & errorem, dolum, an virtutem timendam esse. Regum arcana silentiô tegenda, quàm festivè Alexander Magnus Hephestionem docuit, dum ejus oculos ad Regis literas sensim admoventis ori, anulum sigillarem appressit. Quàm hoc fortunæ & ingenii plenum, si quis Phalerei vomicam hostili telô ruptam convertat in utilitatem quamcunque ex rebus adversis reportatam. Sic Scilúri, Scytharum Regis,

ſagittæ faſciculô colligatæ, nec niſi disſolutione frangendæ, quàm eruditè vim concordiæ indicant. Sic Alexander Magnus, oblatam Paridis lyram repudians, quàm ſapienter oſtendit virum fortem & mollitiei contemptorem. Sic Milo, in Philoſophorum contubernio in locum columnæ ruinam minitantis ſcuccedens, & reliquos omnes & ſeipſum conſervans, quàm bene rei labentis publicæ ſuſtentationem denotat. Sic haſta Conſtantini Magni, in crucem erecta, quàm inſigniter telum, terrore plenum, in benignitatis aſylum transfert. Et ut ex fabulis quoque aliquid innuam; quàm catè Ulyſſes ad cantum Sirenum auribus obturatis malóque navis alligatus pingitur, ad exprimendam Caſtitatem Religioſam votô firmatam, cum lemmate: *Cántu ſurdus, canitisque ligatus.* Hercules infans in cunis ſerpentes elidens: *Virtus non poſtulat annos.* Superſedeo plura in rem præſentem adducere, ne videar velle Soli facem inferre. Si ſapienti pauca; nimis multa dixi tibi. *Deſiderius.* Quo plura loqueris, hoc pauciora dixiſſe videris. Unum habeo inſuper, quod petam. *Mercurialis.* Pete. *Deſiderius.* Quoniam ſupra facta mentio de Symbolis Pythagoricis, breviter ut aliquid de iis memores, rogo. *Mercurialis.* Volentem rogas, & memorem mones; nolo enim hac te eruditionis particula fraudare. Ex plurimis pauca accipe, & ex his de illis æſtima.

Surgens è lectulo, ſtragula complicato, id eſt, manè ſurgens ſenſus omnes in Deum depone.

Per dextram templum ingreditor, per ſiniſtram exito. Videlicet templum ingrediens memento, te ad Deum accedere; egrediens, ad mortales redire.

Dextera cuivis injicienda non eſt. Non quivis ad amicitiam adhibendus.

Angu-

Angustum anulum ne feras. Non anxiè nimiùm vivas.

Ignem igni ne addito. Iratum noli stimulare.

Cor ne edito. Abstine curis supervacuis.

Adversùs Solem ne loquere. Noli repugnare manifestæ veritati.

In astra nunquam intende digitum. Viros illustres ne insectare maligne.

In arundineto ne confabuleris. Ne crede, néve familiaris esto levibus hominibus.

Ingrediens egrediensque valvas osculare. Initia finémque actionum perpende.

Faciem in fluvio ne specta, sed lava. Inanem vultûs tui speciem ne ames.

Sinistrâ manu cibum ne capito. Vive ex iis, quæ jure tibi competunt.

In solitudine sine baculo ne ambula. Unum saltem amicum colas, quô, tanquam baculô, nitaris.

Cibum in vas sordidum ne immittito. Cum improbis tua secreta non facilè communices.

Salem appone. Prudentiam ad actiones adhibe.

In calceum dextrum præmitte pedem, in lavacrum sinistrum, id est: Ad publicas actiones promptus accede; ad privatas commoditates tardus.

Desiderius. Minervæ noctua es, qui hæc etiam in tenebris vides. *Mercurialis.* Hoc lumen affusum est ab aliis. Forsitan Ægyptiorum Hieroglyphica, de quibus multa, requires. Quod si facis, Cimmerias postulas tenebras, & Ænigmata vix Delphico Deo explicanda. Quid enim? Accipiter illis Deum significat. Scarabæus unigenitum filium: Nycticorax mortem: Pelicanus amentem: Cornices duæ conjugium: Nigra columba viduam: Non vacat plura adferre. Quid, quæso, vilius, quàm

quòd per murem indicent judicium, quia ex diversis panibus purissimum atque optimum arrodit; amandemus hoc Hieroglyphicum ad pistores, qui dicuntur inde farinæ discrimen capere. Quod verò musca impudentiæ signum sit, id non est necesse in Ægyptiis Symbolis discere; cum enim abacta identidem redeat, quis ex vulgo hoc Ænigma non solvat? *Desiderius.* Ægyptiacas tenebras mihi illustrâsti. Musca sim, si quid abs te reposcam ulterius. *Mercurialis.* Et ego Nilus esse volo, unde haurire tibi usque & usque licet. *Desiderius,* Vel si Tántalus sim, restinxisti sitim. *Mercurialis.* Imponamus finem huic Capiti & toti Apparatui nostro Literario. Artem te Symbolicam, quam vocant *Iconomasticam,* pleniùs docebit *Jacobus Masenius* noster in Speculo imaginum, & *Nicolaus Caussinus* in suo Polyhistore Symbylico.

CAPUT CI.

Anacephalæósis,

&

Coronis libri ac perlustratæ Eruditionis.

DEsiderius. Quæ tibi præ meritis refertur gratia tantis? Quo duce & auspice ingens peraravimus æquor:

Taurum Neptuno, taurum tibi magnus Apollo.

Vel ut rectiùs loquar: ivimus nec puppe per undas, nec pede per terras: & patuit sine pennis pervius æther. Aut Mercurii certè induimus talaria, quæ sublimes nos æquora supra & supra terram rapido portârunt flamine, liquidásque per auras,

per-

pérque globum, qui tegit omnia, cœli. Quid enim non lustravimus & spectavimus? vifimus initio quatuor principiorum genera, unde oriuntur reliqua, quippe ex Simplicibus mixta; deinde majores minorésque flammas, sive per cœlum vagantes, sive fixas & immotas; quíque in terra suscitantur ignes, fumum & favillas emittentes: ætherios quoque tractus & spirabilem naturam jam frigentem, jam calentem, jam alias mutationes subeuntem, cum Æolia familia, ventis: Varias quoque impressiones & meteóra sive ignea, ut fulmina & tonitrua: sive aëria & aquea, ut sunt nebulæ, rores, pruinæ, pluviæ, nives, grandines, & Neptunum cum humidis regni sui subditis, eis tridente jura dantem: & Tellurem suo cum fœtu & sobole; quæque sub terra latent molliora succorum & duriora metallorum ac lapidum. Hinc progressi, perambulavimus stirpes vel irrepentes humô: Vel fragiliùs inde surgentes: Vel robustiùs supra eam se efferentes. Inde factô ad animalia transitu, oculis subjecimus multigenas bestias, sive palpatione, sive reptatione, sive volatu, sive natatu, sive gressu sibi victum quærentes, aut pastu enutritos domesticô: seu feras, seu mansuetas. Præ omnibus hominem ita contemplati sumus, ut non extra & intra cutem modò ipsum, sed ossa quoque & viscera pernoscéremus; facultates animi scrutati sumus, ejúsque non minùs quàm corporis vires, ægritudines, affectiones, defectiones perspeximus, diversáque aberrantis naturæ vitia consideravimus. Mox animum quasi recreaturi, per hortensia & rustica studia circumduximus: Agricolarum & quorumvis colonorum labores rurales, agrarios, vineaticos, olitorios, arborarios. Ex-

Exinde nos artes exceperunt mechanicæ; primóque illæ, quibus Ceres conficitur; tum, quibus piscatu, aucupatu, laniatu curâ pecuariâ caro paratur, & quæcunque vesca & coctilia artificio coquinario condiuntur. Multiplices dehinc generis potus degustavimus: rem vestiariam & architectonicam inspeximus, diversásque utensilium fabricas & officinas, figlinam, vitrariam, metallicam, linteariam, lignariam, coriariam. Post quæ visimus, quæ ad iter terrâ maríque faciendum requirantur; quæ pondera machinis tollantur, rotentur, & quamcunque in partem moveantur. Exinde explorata nobis blandimenta sensuum & artes illos oblectandi. Ab his ad animorum culturam transgressi, scribendi, discendi, docendi rationem intelleximus. Percursis scholis Humanioribus tam Grammaticis, quàm Poëticis & Rhetoricis, in Academias nos contulimus, variáque Sapientum studia perpendimus. Sigillatim quæ sit ratio disserendi, & disciplina veri falsíque disputatrix ac judex: quid in natura scrutetur & speculetur Physiologia: quid physiognómus seu physiognómon profiteatur. Quò assurgat metaphysica subtilitas, rationes suas longiùs à sensuum objectis abducens, & animas partim à corpore separatas, partim spiritus, nullâ concretione corporeâ unquam implicatos; & mentem illam æternam, Primúmque rerum omnium Motorem, omniáque ab illo dependentia & *Esse* suum trahentia, mirabili sagacitate, quantum rationi concessum est, permeans & pervadens. Subinde ad Mathematicas disciplinas pedem promovimus, & attentè auscultavimus, quomodo Arithmetica numerorum rationes ineat; quâ suavitate sonos attemperet Musica: quâ proportione mensurationes magnitudinum, figurarum,
par-

partitionum Geometria componat & inter se conferat; quô libramentô Statica res ad trutinam & statéram ponderet; aut rem nummariam ad monetarias Leges exigat, & novæ veterísque pecuniæ valorem indicet. Optica nos docuit miram in visu variationem & hallucinationem. Geographia globum terrestrem ostendit, & expressas in eo terrarum mariúmque situs, ambitus, plagas, habitatores. Astronomia ad exhibitionem Sphæræ cœlestis monstravit stellarum motus, vias, discessiones, & observabiles posituras. Nec defuit Fastorum Computatio, quæ tempora in seriem & certas periodos digessit ac disposuit.

Post hæc Chronologia, non tempora tantum, sed quæ in temporibus acta gestáque ab orbis ortu usque ad nostros, quos vivimus, annos compendiô enarravit. Nec Historia nesciri voluit, & quis modus, quódque discrimen in rebus enarrandis sit, exposuit. Inter has artes eminuit comitas & affabilitas Philosophiæ Moralis seu Ethicæ, quæ mirâ nobis claritate explanavit officia Prudentiæ, Temperantiæ, Fortitudinis, Justitiæ, Civilitatis morum. Accessimus porrò Chirurgos, Pharmacopœos, Medicos, & quæ ad salutem corporis conservandam morbósque pellendos pertinent, non negligenter didicimus. Jurisconsultos postea & Juris tribunalia visitavimus, & nostri veterísque ævi Judiciorum formas observavimus. Ad Reginæ quoque Theologiæ limina admissionem habuimus, & quid ex illius speculatione vel credendum, aut piè sentiendum, vel ex praxi agendum sit, aut omittendum, reverenter excepimus.

Ex Lyceo Academico digressi, privatas ædes intravimus, & officia patrum matrúmque familias,

con-

conjugum, parentum, liberorum, propinquorum, dominorum, famulorum expendimus. Hinc in publicum & forum procedentes, perſpeximus, quid Societas Civilis exigat, quæ habitantium & habitationum ornamenta & commoda: quæ Legum juſſa: Magiſtratuum ſcita: Parentium obſequia. Inde, quoniam multùm ad Politiam attinet rerum venalium cura, pedem tabernis mercatorum intulimus, & quid proſint, quid obſint Reipublicæ, in oculos & cogitationem vocavimus. Et quia non Legibus tantùm conſtringendus eſt animus, ſed unà cum corpore relaxandus quoque; vidimus modos multifarios relaxationum & ludorum. Inter quos cùm convivia magnum obtineant locum, ſpectavimus varios Convivantium ritus. Cùm jus naturæ perſolvendum ſit omnibus, quæ juſta defunctis debeamus, cognitioni & curæ habendum duximus. Dehinc ad majora converſi, quò Regum ſe potentia & majeſtas extendat, haud otioſi inquiſivimus: quæque ſint aulica munia ac ſervitia, longô ordine aſpeximus; à ſceptris verò & coronis cum vel ambitio vel invidia abeſſe non poſſit, turbas ſeditionum & bellorum tumultus in conſpectu habuimus, & quidquid ad cruentum Martis opus ſpectat. Hinc nobis Religio, ſine qua nulla ſalus nec bello nec paci, aras ſuas monſtravit, & quid Deus ſit, quæque Deo debeantur obſequia, declaravit. Ritè olim Numen coluerunt Hebræi, poſtea ſuperſtitioſè & ſacrilegè, cùm Servatorem gentis humanæ, cœlo miſſum, etiamnum hodie pertinaciſſimè repudient. Poſt Judaiſmum ad Idolomaniam ora greſſúsque convertimus, & quàm latè tenebras & inſaniam propagaverit, dolentes recoluimus. Ab his malorum portentis
ad

ad pestilentiorem Hydram oculos refleximus, ac execranda Mahometis dogmata non sine terrore percepimus. Exinde respiravimus, ubi nos Christiana Religio, seu Fides Orthodoxa, per sacratissima & castissima sua Mysteria, amantissimè prehensos manû circumduxit, miráque dulcedine delinivit. Sed, heu me! in quas pestes mox incidimus, illæsi tamen, (qui Superûm favor & tuus est ductus) quas vel nominare, nedum sectari, nobis honori est. Monstra, horrida monstra! Hæreses.

Atque sic iter absolveramus nostrum; cùm tu, gratiam aucturus gratiâ, ad numerum explendum centenarium, tria addidisti Capita, tanquam tres Charites, quibus me tibi ita devinxisti & obstrinxisti, ut rubendô & tacendô malim loqui; quàm fandô, nihil dicere. Qualis exivi! qualis redeo domum!

Quas tibi persolvam grates! quæ digna reponam
Munera! vos Superi, meritis date præmia tantis.

Mercurialis. Quis entheus te calor agitat, *Desideri?* Quas tu mihi grates memoras, in te refundo libens, & illud *Terentii* repono:

Si tibi quid feci, aut facio, quod placet, (Simo) &
Id gratum fuit adversum te, habeo gratiam.

Præstitutam emensi sumus viam, meô non minùs solatiô, quàm tuô gaudiô & commodô, si, quod præ te fers pretium, itineri nostro à doctrina accesserit. Et quia pro candore meo nihil tibi dissimulo; nolim, existimes Corinthum te appulisse, si, mecum hunc Rerum & Verborum Apparatum perlustrandô, totum videris tibi Eruditionis orbem pervasisse: Crede mihi, si verum loqui volumus, magis in exordio quàm in terminis sumus. Quod si aliquatenus prodiimus, vestigia tamen impressimus,

mus,quæ in summo hærent. Graviore opus est pede, & fortiùs fixô, si, quæ de artibus & scientiis perambulavimus, altiùs penetrare velimus. Id modò nobis propositum fuit, ut quod in officiis *Tullius* filium suum monuit, orationem efficeremus pleniorem. Tu utere & fruere, quod tecum tuisque æqualibus sine invidia communico, & sine fictione didici; eóque tuam refer doctrinam omnem, ubi novum sidus mices inter illos, qui, quòd fuerint cum virtute docti, *fulgebunt in perpetuas æternitates.* Vale, & vive memor mei. *Desiderius.*

Spiritus hic vacuas priùs est sennandus in auras,
Quàm subeant animo meritorum oblivia nostro.

Ad majorem DEI gloriam,
& Eruditionis incrementum.



Index primus Capitum.

Index II. rerum potiorum.

 Anti-

B.

Bellum

 Col-

Emblé-

N.

Philo-

Rhetor,

SYLLABUS ONOMASTICUS,

seu

Index Latino-Germanicus potissimorum vocabulorum vim & significationem exhibens.

Vocabulorum Elenchum adjicio; qui vicem Nomenclatoris esse queat; sive spectes Latinarum vocum, sive Græcarum communiùs receptarum numerum; & multiplicem significatum & sensum. Notiones Vernaculæ eas subjeci, quas putabam delicatioris Germaniæ auribus servituras; haud ignarus, in aliis atq; aliis Teutonum regionibus & artificum officinis mirum quantum, & vi significandi & dialecto eas variare. Poteram haud dubiè longè plures rerum singularium appellationes persequi, nisi memor, indicem me conficere, maluissem digitum potiùs intendere Lectori; quâ injectâ prehensum manu per abstrusas insuetarum auctionum latebras circumducere: Præterquam quòd infinitum & frivolum esset, minutias omnes excutere, & quidquid uspiam latet Nomenclationum, è Grammaticorum dumetis excitare. Scio, quàm spatiosus pateat campus familiares, Mechanicis præsertim artibus, vocula venanti, quas suis cum significatis licebit, credo, nobis, qui Liberaliora tractamus, impunè prætereire, ne videamur Latinam velle linguam, ut doctorum quispiam asserit, tabernarum sordibus collutulare. Accedit, quod, si rerum quarumvis indigitationes sint adferendæ, necessitas imponatur, omnem, quàm latè se extendit, Græciam, nominum indagatione pervestigandi, auresque Latinas peregrinis & inusitatis vocibus obtundendi. Satis sit, hoc nostrô labore additamentum aliquod Litterariæ supellectili adjectum esse; quam qui augere collaboraverit, gratias ei multas debebimus, quòd operam operæ jungere &, in commune Latinitatis Bonum, studium voluerit & industriam consociare. Curas fortasse secundas & nos suscipiemus, quibus & prata nostra pertiliantur, & agri spicilegiô repetantur. Id nunc monemus, ut, si quod vocabulum in Alphabeti serie quærenti non occurrat, vestigium illius tanquam Partis sub Toto, aut Speciei sub Genere indagandum putet.

Index

Index III. Latin. & Germanicus.

A.

ABactor, abigeus, Viehdieb.
abacus, abaculus, Credentztisch / die Blatten / und Blätte ober und unter der Seulen.
abacus calculatorius, Rechentisch / Rechentafel oder Tuch / lusorius, Bretspiel / Schachbret.
ab aure, geheimer Secretarius oder Rath / ab epistolis, à Secretis, Secretari / ab intestato, ohne Testament / à commeatu, Proviantmeister / à commentariis, Geschichtschreiber / à cubiculis, Cammerherr oder Diener / à libellis, Cantzler / à memoria, Einsager / à pedibus, Laggey / à poculis, Mundschenck / à rationibus, Rentmeister / Rechenrath / Rechenmeister.
abavus, Großvatters Vatter / abavia, des Großvatters Mutter / abavunculus, des Groß-Vatters oder Groß-Mutter Bruder / abmatertera, der Groß-Mutter Schwester.
abdomen, Schmeerbauch.
abies, Tannenbaum / Fichtenbaum.
abiga, ajuga, Feld-Cypreß.
abjugare, abjungere, ab- oder ausspannen.
ablaqueare, umgraben.
abnepos, der Dritt-Enckel.
abnodare, die Knorren von Bäumen hauen.
abolla, Juppen / gefüttertes Kleid / Kriegs-Kleid.
abortivum, abortio, abortus, Mißgeburt.
abrotonum, Stabwurtz / abrotonum femina, Cypreß-Kraut / abscessus, apostema, atis, inwendig Geschwär / Apostem.
absinthium, Wermut / Ponticum, bester Wermut / absinthites, Wermut-Wein / absinthium seriphium vel marinum, Wurmsamen.
absis, idis, die Krümme des Schwibbogens / der Bogen am Rad / oder Felge.
abyssus, Abgrund.
acanthis, idis, Zeißlein / Distelfinck / Stiglitz / Hänfling.
acanthus, Bärenklau / herba.
acarus, Milben im Wachs / oder Meelwurm.
acatalecticus versus, dem keine Sylbe abgehet.
acatium, Jagtschifflein / item das grosse Segel im Schiff.
accensus, Weibel / Diener der Obrigkeit / castrensis, Feldweibel.
acceptilatio *Ulp.* Quitantz / Quittung / Bezahlungs-Schein von dem Glaubiger gegeben.
accessio, Zubuß / Zugab / Zumaß.
accessus, inaccessus locus, wegsam oder unwegsam.
accipiter, ris, Habicht / avis, fringillarius seu nisus, Sperber / stellaris, Blaufuß / accipitrina, Habichtkraut.
accipiter manuarii receptus, ein Falck in der Hand getragen.
accipitrarius, Falckner.
acclinis, herzuneigend.
acclivis locus, stotzig.
accubitum, *Lamprid.* Lotterbett.
acephalus, ohne Kopff.
acer, Ahornbaum / Maßholderbaum / acernus, adj. das darvon ist.
acerra, arcula thuris, Weyhrauchschifflein.
acetabula pl. Krebs- oder Scorpion-Scheer.
acetabula, præstigiatorum seu agyrtarum calculi, quibus adstantium oculos perstringunt; der Taschen-Spieler Hocken-Bockes-Becherlein.
acetabulum seu oxybaphium, Essigschüsselein / die Büchs oder Höle der Hüfft / in welcher die obern Schenckel sich umkehren / Græcis cotyla, acetabulum scapulæ, Büchse oder hohe Knorr der Achsel.
acetaria, pl. Kräuter / so man aus Essig isst.
acetum, Essig / aliquem aceto perfundere, tapffer waschen / acetarium, Salat / acetarium intybaceum, *Plin.* Endivi-Salat.
achates, Agtstein.
acheronticus senex, *Plaut.* alter Greiß.

adli-

æthra, æ, Schein des Himmels/ reine Lufft.
ætites, Adlerſtein
ævum, immerwährende Zeit.
affanix, *Apul.* Affterred/ eitele Red / Narrenpoſſen
affectum brachium, affecta valetudo, etwas übel auf.
Africus, Libs, Libonotus, Sudweſtwind/ à Solſtitio hyberno flat.
agállochum ſive aloë, Aloeholtz.
agape, Freundmal.
agáricum, Tannenbaum Schwamm.
agáſo, Eſeltreiber.
agema, atis. *Liv.* Geſchwader Kriegsvolck.
ager compaſcuus, gemeiner Weid-Acker / ſcriptuarius, Lehen-Acker / decumanus, Zehend-Acker / vectigalis, Steuerbar-Zinsbar-Acker/ novalis, novale, erſtmal gebrochen/ requietus, vervactum, Brach-Acker / reſtibilis, den man alle Jahr anſäet/ ruderatus, voll Stein/ effœtus, der nicht mehr trächtig / ſeptus, colónicus, Widenhof.
ager proſcinditur, wird gebrachet / offringitur, aufgebrochen / wiedergebrachet / liratur, in Furchen getheilt / tertiatur, zum drittenmal geackert/ occatur, geeget/ repaſtinatur, zum andernmal umgegraben / runcatur, exherbatur, geſäubert vom übrigen Gras / ſarritur, gejätet und umgehacket/ agellus, Aeckerlein.
agger, eris, Bollwerck / Paſtey / Feld / Schantz / aufgeworffene Erde / Waſſer-Wehr/ Damm/ agger portæ præſtructus, Ravelin / vel moles. aggeres tormentarii, Italis batterie, Bettung für das Geſchütz / aggeris propugnaculum, Wall-hügel / Katz / caſtra aggere cingere, vallatâ foſſâ munire aggerem foſſam ducere, Laufgraben machen / foſſa caſtrenſis, Laufgraben / caſtrenſe vallum aperire, den Laufgraben eröffnen.
ágina, Waagkloben oder Loch / da die Waag inhängt / und ſich umkehrt / aginator, Auswäger.
agitator jumentarius, Mähner / agitator canis, Hetz-Hund.
agmen, ein zug noch/ reiſendes Kriegsheer/ agminans, adj.
agnati, Gefreunde von Vettern oder ſonſt Manns-Perſonen / cognati, von der Mutter.
agnus cordus, ſpatgebornes Lamm / ſubrumus, Säng-Lämmlein / agninorum pedunculorum frixum, gebachne Schafs Füſſe.
agon. Kampff/ agonia, ſtarcke Angſt.
agonothera, Obmann/ Vorgeſetzter über der Fechter Belohnung.
agricultura, agricolatio, agricultio, Acker oder Feldbau.
agrimonia, Bruch-Wurtz.
agrippa, der mit den Füſſen zu erſt geboren.
agroſtis, Gras.
agyrta, Landſtreicher/fahrender Schuler.
ahenobarbus. Rotbart.
ahénum, Keſſel / ahenotympanum, Heer-paucke.
alabaſtrites, æ, Alabaſterſtein / alabaſtrum, Alabaſtergeſchirr / alabaſter. *Cic.*
alabrum, Spule. *Calep.*
alæ, die Piels-Feder / die Zwerch-Eiſen der Partiſan / die Flügel der Kriegs-Ordnung / Zweiglein / daraus die Schößlein entſpringen / Knebelbart / die Bächlein / die neben der Naſen hinausgehen/ die Achſel / Flügel / alares equites, Flügel der Reuter / alariæ copiæ, die Flügel der Schlachtordnung/ alarii, Reuterey / ala cortinæ, Streichplatz/ pars propugnaculi.
alaria ſeu lutea terra, gelber Bolus.
álapa, Maultaſch / Backenſtreich mit flacher Hand.
alaſtor, oris, höllischer Böſewicht / Plagteufel.
alauda, Lerch.
albarium, Weiſſe/ albarium opus, Mauer-Weiſſung
albogalerus, ſpitziger heidniſcher Hut
albúgo, albumen oculi, das Weiſſe im Aug
álbula. Renck/ piſcis.
álbula, vel leuciſcus lacuſtris, Gangfiſch.
album Regiſter oder Namenbuch. Matricul.
alburnum, das Weiſſe am Baum nächſt bey der Rinden/ Hartz/ Gummi.
alburnus, vel leuciſcus fluviatilis, Weißfiſch
alce vel alces, Elendthier.
alcéa, Sigmarskraut / Syriaca, Syriſcher Pappelbaum/ alcea arboraſcens

alcédo

aquæ

aquæductus, aquagium, Wasserleitung/ Wassergraben/Gang/Dohn.
aquæ profluvio & decursu carent, haben nirgends keinen Auslauff oder Ablauff.
aquâ & igni interdictus, Vogelfrey.
aqualiculus, der Unterbauch / Schmeerbauch/Säutrog.
aqualis, Wassertrog.
aquari, Wasserschöpffen/aquari, adaquare, adaquari jumenta, das Vieh träncken/ aquator, Wasserträger
aquarium, aquariolum, Spulstein / Wasserstein/Viehträncke.
aquarius, Wassermann/ aquarii sulci, Wasserfurchen / aquatilis, aquaticus, was im Wasser sich aufhält / aqueus color, Wasserfarb / aquaria septa, Wasser-Wehr.
aquarus, adj. mit Wasser vermischt.
aquila leporaria, fulva, valeria, melanætus, Hasengeyer/Stock-Adler.
aquilégia, Agley/ herba, flos.
aquilegium, Wasserführung.
aquilex, egis, Brunnenmeister.
aquilifer, Fendrich bey den alten Römern.
aquilinus nasus, in der Mitt erhebt.
áquilo, Nord-Ostwind.
aquiminarium, Weihbrunn-Kessel/ Kühl-Kessel.
aquinarius, Wasserträger.
aquosus, Wasserreich.
aranea, Spinnengeweb.
araneus, Spinne.
aratiuncula, kleiner Ackerbau.
aratrum auritum, mit zweyen Handhaben.
árbiter, Scheidmann/willkürlicher Richter.
arborem in pulpam cædere, in die Länge segen oder hauen/ in orbem cædere, in die Runde.
arborescit, wird zu einem Baum.
arbores in quincuncem dirigere, in gleiche Ordnung stellen oder setzen / Seitenweis/ árbores delibrare, die Rinden abziehen/ scheelen / frondare, beschneiden / interlucare, collucare, ausschneiden / inserere, impfen/inserere in alburnum, in die runde impfen/in fissuram,in die Spalte/ inoculare, eindugeln/ emplastrare, einzweigen / inserere in surculum, in die Sproß impfen.
arbor infelix, unfruchtbarer Baum / conifera vel resinifera, Hartzbaum / picaria, Bechbaum/terminalis vel finalis, Marckbaum/ arborator, Baumsetzer/Baumwarter oder Butzer.
arbuscula topiaria, Bäumlein / das man flechten kan.
arbusta, Ort besetzt mit Bäumen / an welchen die Reben gezihlet / hinc vites arbustivæ.
arbustivus locus, arborétum, arbustum, Baumgarte.
árbutus, Hagäpffel-Baum/árbutum, Hagapffel.
arca, Kaste/ aquária, Wasser-Kast oder Wehr/ ærata, mit Eisen beschlagen/ camerata, Reistruhe/ loculata, mit vielen Fächlein / pollinaria, Beutel-Kast / robustea, *Cic.* robus, *Lucret.* Stock für die Ubelthäter / arcæ aquarum, Wasserstuben.
arcarius, dem der Geldkasten vertraut/ arcularius faber, Kästleinmacher.
arcéra, *Gell.* bedeckter Wagen / Senffte/ Gutsche.
archaismus, eine alte Weis zu reden und zu schreiben.
archétypon, Vorbild/Exemplar/ Original/ Contrafet.
archiater, archiatrus, Hof- oder Haubt-Artzt.
archigrammateus, Stadtschreiber/ Cantzler.
archimagirus, Kuchenmeister/ Mund-Koch/ Meister-Koch.
archimandrita, Prælat/Abt.
archipiráta, Oberster der Meer-Räuber.
archippócomus, Oberster Stallmeister.
archistratégus, Oberster Feldherr.
architectus, architecton, onis, Baumeister/ architectonice, architectura, die Baukunst.
archithalassus, Oberster im Schiffzug oder Flotte/ammiral, Gall.
architriclinus, oberster Speis-Meister/Taffelhof-Meister.
archivum, Brief- oder Schrifften-Behaltnis/Cantzley/Registratur.
arctophylax, das Gestirn / so man den Wagenmann nennet/ arctos, das Gestirn mit

arquata

assulæ

autumni-

autumnitas, der Herbst-Früchten Zeitigung.
avunculus, der Mutter Bruder / magnus, der Groß-Mutter Bruder / major, der Mutter ihr Groß-Mutter Bruder / maximus, der Ur-Anfrau Bruder.
auxilia, Kriegshülff von Bundsgenossen / kräfftige / bewährte Artzneyen.
axilla, Achsel.
axioma. atis, ein ungezweiffelter Spruch.
axis, Achs oder Kamm am Wagen / Wellbaum / Spindel / axiculus, der Nagel / daran die Wellen umlaufft.
axungia, Wagenschmier / Karrensalb.
ázymus panis, ungehefelt / ungesäuert Brod.

B.

Bacca, báccula, Beer / Beerlein.
baccalaureus, der in der Philosophi den ersten Ehrengrad erlangt.
bacchar vel baccharis, Zimmet-Kraut.
bacchátim, more bacchantium; *Apul.* Bachantisch.
bacillum, g. neut. *Cic.* Stäblein / bacillus.
báculus versorius, Wendstecken der Schuster.
badius, bajus, Castanienbraun.
bæticus color, schwärtzlicht.
bájulus, Bürd- oder Brieftrager / bajulus operarius, Handlanger.
balæna, Wallfisch.
bálanus, vulgò suppositorium, Zäpflein zum Stulgang.
balatro, homo nihili, ein liederlicher Mensch / unnützer Schwätzer und Plauderer.
balátus, Schafgeblerr.
balaustium, wilde Granat-Aepffel-Blüh.
balbus, Stammler / Statzler.
balius equus, ein Blaß.
ballistarii vel balistarii, Schützen / Büchsenmeister / Constabel / ballista, Stuck / ballistarius commeatus, Artollerey.
balsamita, Frauenkraut / Kraußmüntz.
baltheus, Kriegsgürtel oder Feldbinden / bombycinus, sericus.
baluca, Goldsand.
baphice, ars tinctoria, Färber-Handwerck.
baptisterium, Tauffstein.
barbarismus, ein ungeartes Wort.
barathrum, Abgrund.
barbitium, langer Bart / barbátula cobitis, Grundel / barbátulus, der wenig Bart hat.
bárbiton & bárbitos, eine grosse Leyer oder Geige / Theorbe.
bardocuculus, grober Schiff-Rock / Schiffs Kapp.
bardus, Dölpel / Düppelhirn.
barophonus, Bassist.
barrus, Elephant / bárritus, sein Geschrey.
basilica, schön herrlich Gebäu.
basilinda, ludus, nostrati vulgò das Mieten / item Königsspiel / cum unius ad aurum reliqui agunt.
basiliscus, vergiffte Schlang / Art des groben Geschützes.
basis, Untersatz / Seulenfuß / Fußgesims / Anleg des Walls / Grund-Linie.
basium, Kuß.
batilium vel batillus, Feuerschauffel / batillus cubicularius, Pfann zum Bett wärmen.
battologia, übriges Geschwätz.
batúere, schlagen / fechten.
baubari, bellen.
baucalium, Trinckgeschirr mit einem engen Hals.
bdella, Pfrillen / schlechte Fischlein.
bellaria, pl. Confect / Zuckerwerck.
bellicum, Lermen / bellatores honorarii, Italis venturieri.
bellis, idis, Mosleben / Monatblümlein / Monscheinlein / *Officin.* consolida minor, herba.
beneficiarius, Provisoner / Stipendiat / Unterhaltener / beneficiarium prædium, Lehengut. Beneficiarius, qui beneficium accepit. Beneficiarius Clericus, der ein Pfründ oder Pfarr hat.
bérberis, Paisselbeer / vid. oxyacantha.
bes vel bessis, 8 Untzen / 8. Zoll / bes floreni, Achtel eines Gulden oder Schillings.
bestiarius, der mit den Thieren streitet.
beta, Piessen / Köhl / Mangolt-Kraut / beta nigra seu sanguinea, Rannen / beta silvestris, *Plin.* limonium, Holtz-Mangolt / Wintergrün / herba.
betonica, aut veronica, Betonien / Ehren-Preis / herba. flos, aliò nomine serratula, ob folia crenata.

betula

machus, der einen schwachen Magen hat/ cacochymia, Magenweh.
cachinnus, laut Gelächter.
cacophaton, übellautende Zusammensetzung der Sylben.
cácula, calo, Troßbub.
cadmia fossilis, Calmey/ fornacaria, Ofenbruch/ metallica, Kobalt/ lapis ærosus, ex quo fit æs & argentum.
caduceum vel caduceus, Friedstab/ Heroldstab/ cadúcifer, caduceator, Herold/ Friedbot.
caducum, Kramerdeck oder Blahen/ Zieche/ Uberbett oder Bolster.
cadus, Weinfaß/ cadi salsamentarii, gesaltzene Fisch- oder Fleischtonnen/ cadus vel orca butyri, Schmaltzkübel.
cæcias, æ, Nordwestwind.
cæcilia, genus serpentis, Blindschleich/ cæcutire, blintzeln nicht recht sehen.
cælebs, ibis, unverheyratet.
cælatum argentum crustæ; emblemata argenti cælati, erhebte getriebene Arbeit.
cælatura, gestochene Arbeit/ cælaturæ pictores, Illuminirer/ Bildermahler.
cæmentum, zerbrochene/ zerschlagene Mauerstein/ Bruchstein oder auch Mertel/ cæmentarius, Maurer.
cæpe, vel cæpa, aut cepa, Zwibel oder Zwifel/ cæpina, Zwibelgart oder Bett/ cæpula, kleine Zwifelein/ caules cæpularum sectiles vel concisi, Schnitlein.
cæsaries, langes Mannshaar.
cæsius, blau wie die Katzenaugen/ cæsius, cæsilia, der oder die Katzenaugen hat.
cæsio, ein Hieb/ ictus cæsim factus; punctim, mit dem Stich.
cæso, der aus Mutterleib geschnitten ist.
caistrum Plin. Grab-Eisetein/ idem, ein Instrument/ das Elfenbein auszuholen und zu boren.
cæstus, Streit-Kolb/ Streit-Riem/ mit bleyen Knöpffen.
cálami crena, fissura, die Kräusen der Feder.
calamistrum, Haarkraus-Nadel/ Haarpfriem.
calamita, Laub-Frosch.
calamus, Schreib-Feder/ Pfeiffe/ Pfeil/ Halm/ Angelrut/ Maßstab von 6. Ellen oder Ellenbogen/ aucupatorius, Vogel-Kloben/ fistuláris, tibiális, Pfeiff/ odoratus, aromáticus, Calmus/ idem, cálamus seu arundo Indica, Indianisch oder Meer-Rohr.
calántica, langer Weiber-Schleyer/ Weiler.
cálathus, geflochtener Korb/ calatiscus, Körblein.
calcaneum, calcaneus, die Fersen des Fusses.
calcar, Sporn/ auch an Vögeln/ calcarius artifex, Sporer.
calcatorium, Pallad. Kalchhütten/ Mertel-Pfann.
calcearium, Ulp. Schuh-Behältniß.
calceus fenestratus, Schuh mit Augen/ lunatus, Römischer Rahtsherren Schuh/ repandus, rostrátus, Schnabel-Schuh/ lignó suppactus vel corió densátó, Stöcklein-Schuh/ hochabgesetzt/ calcearius, Schuhmacher/ calceolarius, idem, calceus amentátus, mit Riemen geschnürt/ crepida subere suffulta, suberæ soleæ, mit Pantoffelholtz unterleget/ calceus obstragulis vinctus, mit Riemen gebunden.
calcinatio, Verkalchung/ vox Chym.
calculus, Kißlingstein/ Rechenpfennig/ Brettspielstein/ calculator, Rechenmeister/ è calculis sibi mutuò impositis subducere quadrinos & binos, relictis imparibus, rößlen/ calculus lusorius æreus, Spielstein auf der langen Tafel.
calda, warm Wasser/ caldarium, Schwitzbad/ Warmbad/ cella caldaria, Badstub/ lebes vel cácabus caldarius, Höllhafen.
calendæ, der erste Tag eines jeden Monats.
caléndula, Rittersporn/ flos diversarum specierum.
cálidris, Specht/ avis.
caliendrum, Haubtzier/ oder falsche Haar der Weiber.
calix conchæ, Muschel/ cálices, calliculi, cyathi vitrei, Trinckgläser/ Gläslein.
callus, Härte/ Baucken an Händ oder Füssen/ callus ligni seu torus, runder Knorz des Holtzes.
calónes, pl. Holtzschuh/ calopodium, idem, calo, Troßbub/ Bärnhäuter.
calo coquinarius, Kuchenbub.
caltha, Kornrosen oder Ringelblum.
calva, calvaria, cranium, Hirnschal.

fer / rubea, unser-Frauen Kühlein oder Käfer.
cantharus congialis, congiarius, dreymässige Kanne.
canthus, Radschiene.
canthérius per th in omni significatione.
canthus, Radschiene.
capacitas circuli, Begriff des Zirckels.
capédo, inis, grosses weites Geschirr / Stützen / capeduncula, ein Geschirrlein.
capella seu vanellus, Kywitz oder Geywitz / avis.
caphúra, genus gummi Indici, *Officin.* Kampher.
capillamentum fictitium, sútile, falsche Haar / capillorum defluvium, Haarausfallen / capillare, Haarhauben / ornamentum capillare, Weiber-Auffsatz.
capis, idis, genus poculi, Opffer-Kännelein.
capisterium, Wann / oder Sieb-Renter.
capistrum, Halffter / Maulkorb / capistratus, das ein Maulkorb anhat.
capitis diminutio, Amts-Entsetzung / capite diminutus.
capitellum, klein Knöpflein / obrister Theil der Säule / Sterg der Buchbinder.
capitium, Hauptdecke / Kappe.
cápito, großkopfig / hartnäckig / item, piscis, ein Aeltel / céphalus, squalus, *Prompt.*
capitulum, Köpfflein-Seulen / oberste Zierd / Absatz im Buch / Anfang eines Sentenzes / capitulatim, *Plin.* von Capitel zu Capitel.
capo vel capus, Kapaun / gallus spado.
capparis, Kappern.
capreoli, Riegel oder Spreitzen im Dachstul / capreolus, Rehbock / caprea, Reh / Rehgeiß.
capreolus, Kreis des Ohrs / Rebzinck oder Gäbelein am Weinreben / aliàs clavicula seu viticula, item, spitziger Karst. Gattung der Pfifferling / vulgò, Rehling.
caprile, Geißstall / caprarius, Geißhirt / capra, Geiß / caper, geschnittener Geißbock / mas castratus in genere caprino.
caprimulgus, Geißmelcker / item nomen avis, caprificus, wilder Feigenbaum / capricornus, Steinbock / signum cœleste.
capronæ, Haar an der Stirn hervorhangend / Roßkamm.
capsa, capsella, cápsula, Kästlein / Schächtelein / capsa ductilis, Schubladen / capsella fictilis, Sparkrug / capsula aromatica, Gewürtzbüchse / capsa pedata, *Sartorum*, Werckvaß.
capsarius, Kasten- oder Kleider-Verwalter / Küster / item, der den Knaben die Bücher in die Schul trägt.
capsus rhedæ, des Gutschers Sitz.
captiosus, betrieglich / captiuncula, Gelistiges Fangstücklein / captio.
cápula, Satze / Gelte / Schapffe.
capulum vel capulus, Handhab / Hefft / Todenbar / capularis senex, der auf dem Grab umgeht.
caput, Haupt / Ursprung eines Dings / Hauptsach / abgetheilte Stück eines Buchs / capitatio, Kopffsteuer / *Budæo*, captiosus, halsstarrig.
caput cœnæ, Haupt-Richt.
carbátinæ, Schuh von roher Ochsenhaut.
carbo, Kol / vergifftes Geschwär / carbúnculus, Kole / Carbunkelstein / carbo saxeus, Stein-Kole.
carbonaria, Kolhütten / carbonaria fornax, Kol-Ofen / carbonarius, Kolbrenner.
carbunculatio, der Brand an Reben oder Früchten / carbunculatus vites, *Plin.* carbunculosus ager, brandig.
carchedonius, vulgò granatus, Granatstein.
carchesium, Kräusen mit einer langen Handhab / Trinckgeschirr / die oberste Löcher am Mastbaum / dadurch die Seile gezogen werden / Segell-Loch.
cardomomum, fruticis genus amomo simile.
carcinoma, atis, der Krebs / morbus.
carcer, Gefängniß / carceres, repagula, die Schrancken.
cardialgia, Hertzweh / der Sat / cardiacus, ders hat.
cardinata ligna *Vitruv.* zusammgefügte Zimmerholtz.
cardo, inis, Thür-Angel / Grund- oder Haupt-Articel.
carduus, Distel / carduélis, Distelvögel / Stiglitz /

Stiglitz/ carduus sativus vel altilis, Artischock / carduus hortensis, Bisem-Blümlein.

carex, icis, Schwertelgras/ carectum, wo es wächst.

cárica, dürre Feigen.

caries, Wurmstich/cariósus.

carmen, Reimen/ Segen/ Zauberey/ Thessalium , Colchicum , vulnerarium, Wundsegen/ Fescenninum, unkeusches Lied / amœbæum, Gegenreimen / Bucolicum, Hirten-Gesang / Lyricum, Leyer- oder Lauten-Gesang.

carminare lanam, linum, kämmen / kartetschen/ hächeln/ carminarius, Wollen-Kartetscher.

carnarius, Metzger / Fleischhacker / carnarium , Fleischgewölb / Fleischhacken/ Fleischram.

carnifex, Scharffrichter/Wasenmeister.

caro aprugna, schwartz Wildbret / cervina, rot Wildbret / bubula, Rindfleisch / vitulina, Kalbfleisch/ ovilla, Schaffleisch/ vervecina, Hammelfleisch/suilla, Schweinenfleisch / ferina, Wildbret/ conditanea, salita, muriática, gesaltzen / fumô durata vel indurata, geraucht/ geselcht/ jurulenta, im Brühlein / assa, gebraten / lixa vel elixa, gesotten/ frixa vel fricta, geröst im Schmaltz / tosta, geröst auf dem Rost / morticina, faul/vom umgefallenen Vieh/ pútida, rancida, stinckend / subráncida, angeloffen / in minutiam jurulentam triata, gestossen/ concisa, gehackt/ carúncula, Bißlein Fleisch.

carpentum, hangender Wagen / carpentarius, Wagner. Opera carpentarii sunt, corpus curule, Wagengerüst / compáges, Wagengestell/ axes, die Aext/ temo, die Deichsel / temonis transversaria brachia , Rieb- oder Reitschämel / temo currui subtensus, seu axis stratus, Langwitte / ejus pars postica seu cauda, der Startz / pars prior & posterior currûs, der vörder und hinter Witter / tigna oneraria, Tragbömer oder Tragbäum / fulcra alaria, Kipffe / eorum statúmen, Küpffgestell / anterides, Leichsel / rheda pensilis, hangender Wagen / libramenta lorea, Schwangriem / compágo lignea, der Kobel oder Kasten / concamerata & corió obducta, der Gutschenhimmel / umbellatum éssedum, Kobelwagen / alæ, die Flügel / apertiones, Gutschefenster/ und Ausschnitt oder Aussehen / sediculæ, die Sitz darinn / statícula, die Schläg / capius, der Sitz des Gutschers/jugamenta antica & postica, das vörder und hinter Boggestell/vestigium, orbita, die Leis/ absides, die Felgen / canthi, die eiserne Schienen / rotarii clavi, Schien-Nägel / modiolus, die Nab/ radii, die Speichen/ embolium, Radnagel/tubulus modialis, Hole der Nab / subjugia lora, Jochriem/ auræ, Radring/jugum, die Wag/cuneus jugi, Wagnagel oder Lohner / dentále, Pflugholtz / buris vel bura, Pflugtrümme / ralla vel rallum, Pflugschorer / vide plura cap. 45.

carpesium, uva cybina, *officinis* cubébæ, Cubeben.

carptor, Fürschneider.

carpus *Plin.* brachiale, der erste Theil an der Hand/Handwurtzel.

carrus, carrum, carruca, Karren / carrucarius, Kärner / equus carrucarius, Karn-Roß.

cartilágo, inis, Krospel.

caryatides pl. Stützen unter die Balcken/wie die Weibsbilder geschnitzet.

caryophyllata , Cardobenedicten- Kraut / caryophyllum, Negeleinblum/ item, wässe Gewürtznägelein.

caryota vel caryotis, vel cariotis, Dattelnuß.

casa, schlechte Hütten/ casæ armatæ, verbum castrense, Mordgruben.

caseale, Ort / da man Käse macht / casearia forma, Käsemodel / casearius, Käsmacher/caseus oculatus, pumicosus, fistulosus, spongiosus, viel gelöchert / recens, musteus, frisch oder jung / descobinatus, gerieben / casei scobina, das Geriebene/ casei quadra, Stuck Käs/ orbis, Käslaib/ caseolus, Käslein.

caseus ollaris, Hafenkäs.

casiola, *Isidoro*, Meßgewand.

casia seu cassia, Zimmet-Holtz oder Zimmet-Rind.

cassis, idis, Helm/cassis, is, Jägergarn.

cassita, haubete Lerch.

castanea, æ, Castanien/ glans Sardiana, castanetum, da viel Castanienbäume.

castellum,

Quoniam variè luditur pictis pagellis, juvat aliqua horum lusuum genera huc ponere:

eit, qui prævalet vel colorum concordiâ, Germanis, die Farb oder Nummer / vel æqualitate numerorum, aut figurarum chartis impressarum, das Gleich/vel gradatâ plurium paginarum serie, die Tertz/ die Quart/ die Quint/ꝛc. vel foliis hosti ereptis, unde manipulus victor, die Läst. Qui ex his vel omnibus vel aliquibus prior tulerit centum & unum puncta, seu numeros, victoriam habet & lucrum.

Trumpffen à triumpho dicitur, illius scilicet coloris, quem supinata chartula exhibet, quam indicem, seu dominatricem aut gubernatricem appelles; nam ipsa ejusque tribules dominantur, vincunt, triumphant reliquas omnes, dum citiùs numerum unum supra trigesimum conficiunt. Quando lusum tribus peragunt foliis, & in singulos foliorum jactus provocant; licetque minus bene chartulis instructo declinare fortunam, vocant Labèt, Gallicè.

Trisäqueln. Peregrina vox est. Luditur quatuor chartulis, duabus tectis, duabus inversis seu retectis; vincit, qui feliciùs componit vel plures unius coloris pagellas, Germ. der Fluß. Vel æqualis figuræ numerive chartas, das Gleich.

Premunt sese mutuo lusores, dum nummulis, ad sortem primo depositam, identidem adjectis, se lacessunt, terrent, terrentúrque.

Ein und vier Zehen lusus est, quando retentis in chartarum manipulo etiam minutis numeris, Germ. die junge Karten; quales sunt binio, ternio, quaternio, certatur, qui prior dictum colligat numerum. Victorem quoq; faciunt tres paginæ numero similes, das Gleich/ aut tali trium numerorum minutiâ, ut septenarium non excedant, das Mingig.

Ränschen vocatur, quando supina seu inversa distribuuntur folia, vincit, cujus paginæ plures unius coloris numeros præ se ferunt.

Den letzten Stich appellant, quando certatur, quis è quinque pagellarum jactibus ultimò feriat adversarium, & mactet.

chartularum lusoriarum artifex, Kartenmacher / vel chartularius, pictor chartularius, Briefmahler.

chasma, atis, grosser Spalt oder Kluffe.

chelæ, pl. die Krebs-oder Scorpion-Scheer/ brachia forcipata.

cheleuma, atis, Schusterdrat / cheleumaticus fascis, Streichhader.

chelidon, onis, die Höle des Roßhufs.

chelidonia & chelidonium, Scheelkraut/ Schwalbenstein.

chelonitis, tidis, vel chelonites, Krötenstein/ Schildkroten-Dach.

chelonium, Zuggestell / darinn die Wellen umgetrieben wird (sucula.)

chelys, yos, Geigen/ gravis, Baßgeigen/ acúta, Discantgeigen / media, Tenoroder Alt-Geigen.

chenoboscium vel chenotrophium, Gänsestall.

chiliarchus, Hauptmann oder Oberster über tausend Mann.

chilo, onis, der grosse Lefftzen hat.

chimæra, Fabelthier.

chiragra, das Zipperlein in Händen.

chirographum, Handschrifft / Verschreibung/ chirographarius debitor, verschriebener Schuldner.

chiromantia, Wahr-oder Weissagung aus den Händen/chiromantis, solcher Wahrsager.

chironomus, Gauckler mit den Händen/ Taschenspieler/ chironomia, solche Gauckeleren.

chirothéca, Handschuh / chirothecarius, Handschuhmacher/Seckler.

chirurgus, Wund-Artzt/ Barbirer/ chirurgia, die Kunst.

chlamys, ydis, Reitrock/chlamydula, *Plaut.* klein Röcklein.

chloris, idis, Grünfinck/vireo, onis.

chœnix, icis, Geschirr oder Maß / so hält zween sextarios oder eine Batavische Maß Wein / in arida mensura, so viel Getraid als einem Menschen genug für einen Tag.

cholera, Uberlauff der Gall.

chorda, Saite / vide hypate, chordapsus, morbus iliacus, Bauchgrimmen.

choréum, Tantzhaus / choreuma, atis, Tantzlied/ choréa, Tantz/ choreutes, æ, Tantzer.

choró-

cometa,

cone-

cytinus,

digitus,

künstlich-eingelegte Arbeit / item, eine Sinnbildung.
embolium, Radnagel/damits nicht abgeht/ quibusdam axedo.
embryo, unzeitige Leibsfrucht.
eminentia, Fürschub am Gebäu / Uberhöhung.
emissarium, Ablaß des Wassers.
emissarius, Ausspäher / emissarii milites, verlorner Hauff.
emortualis dies, Tag des tödlichen Abgangs oder Hintritts.
emphyteusis, Lehengut/ Erblehen/ emphyteuta, es, Lehentrager/ Lehenmann/ emphiteuticus ager, prædium, jus emphiteuticum, Lehenrecht / Erbrecht / Leibgeding.
empiricus, Artzt ohne Kunst / nur von der Experienz.
emplastrare, emplastratio, Einzweigung / Impffung/Einbindung eines Zweigs.
emplastrum, Pflaster über einen Schaden.
emporium, Gewerbstatt / emporetica charta, Krämer- oder Wickel-Papyr.
empturire, gern kauffen wollen.
empusæ, Gespenst mit einem Fuß / empusæ ludus, auf einem Fuß stelzen oder hupffen.
empyrium, Feuergleissender Himmel / Ort der Auserwählten.
emunctorium, Liechtbutzen/ emunctio candelæ, das Butzen.
emuscare arborem, von dem Mos säubern.
encœnia, pl. Kirchweih.
encarpa, pl. Blumenwerck / Früchtengehäng.
encaustice, Glasmalerey/ encaustes, Glasmaler / encausticum opus, geschmeltzte Arbeit.
enchiridium, on, Handbüchlein.
endromis, idis, Winter- oder Schiff-Rock/ endromides, Laggey-Schuh.
enema, atis, Clystirmateri.
energumenus, adj. vom bösen Geist besessen.
enormis, adj. nicht nach dem Winckelmaß gericht.
ensis rasorius, Faltzmesser der Schuster.
enterocele, a, Leibsbruch mit Ausgehung der Därmer.
enthusiasmus, Poetischer Wurm / oder Geschwindigkeit im Reimen.
eparchia, Landvogtey.
ephebus, Jüngling über 14. Jahr / ephebia, solches Wasser / ephebium, ihr Ubungs-Ort.
ephemeris, idis, täglich Handbüchlein/Tagzettel/oder Tagbüchlein.
ephemeron, Thier nur einen Tag lebend.
ephialtes, nocturna suppressio, Druk / Schrätzel.
ephippium, sella equestris, Sattel/ ephippii dorsum, fulcrum dorsuarium, Sattelruck / nodus, vorderer Sattelbuch / Sattelknopff/ jugus, Sattelbogen/ ephippiarius, Sattler.
epibatæ, Schiff-Soldaten.
epicedium, Klag-Gesang/Toden-Lied.
epichorea, Rauhrantz.
epicyclus, Anzirckel.
epidemia, gemeine Sucht.
epidromus, um, Segel für den hintern Theil des Schiffs.
epiglottis, idis, Halszäpflein / Athemzünglein / Decklein über die Lufftröhre / epiglossus.
epigraphe, epigramma, Titel / Uberschrifft.
ἐπιείκεια, eine Auslegung des Gebots oder Befehls.
epilepsia, hinfallende Kranckheit.
epinicion, Sieggesang.
episcopus, designatus, in Jure Canonico coadjutor, episcopium, Bischoffshof.
epistomium, Faßhan / Pippen / Spund/ epistomiorum apertura, Pippen aufreiben / epistomio aperire dolium, anzäpffen.
epistylium, Architrab / oder Seul-Capitell.
epithalamium, Braut- oder Hochzeit-Lied.
epithema, atis, Uberschlag der Artzney.
epitogium, Uberrock.
epitonia, pl. Nägel an der Geigen / Lauten.
epizygis, das Loch des Armbrusts / oder die Nuß / in welcher der Pfeil wird eingelegt.
epocha, V. æra.
epodium seu epodion, Versicul in den Psalmen.

exuviæ pl. Menschenhaut/ abgezogene Klei-
der.

F.

Faba, Bonen/ fabalia pl. Bonenstroh/ fabaginus, fabalis, was von Bonen/ fabacia. æ, Bonenkuchen/ faba fressa, geröste Bonen/ fabæ tunica, valvulus, operculamentum, folliculus, siliqua, concha, die Hülsen/ fabæ oculus, die Mitte der Schelffen/ scapus seu stipula fabalis, Bonenstengel/ hilum, das schwartze Bonenflecklein/ fabella, fabulum, kleine Bonen/ fabarius locus, da viel Bonen wachsen/ fabetum.

faber, ein Werckmann/der mit hartter Arbeit umgeht/und den Hammer braucht.

fabrica, Werckstatt/ Bauwerck/ Holtz-oder Eisenwerck.

fabricator minutarius, vel minutorum opusculorum, Geschmeidmacher.

fabularis historia, mit Fabeln gespickt.

fæx vel fex, fecis, Trüsen/ Hesen.

fagopyrum, Heidelkorn.

fagus, Buchbaum/ Hagbuch/ glans fagia vel fagina, Büchlein.

falcidia lex, Gesatz von Erbfällen.

falco, Falck/ quibusdam nisus, falcarius, Falckner.

faliscus venter, ausgefüllte Wampen/Blutwurst/Säumagen.

falx sive secula, krumm Messer/ falx stramentitia, stramentaria, Strohmesser/ sutoria, Kneip der Schuster/ messoria, Sichel/ vineatica, vinitoria, Rebmesser/ arboraria, putatoria, Baumhäcklein/ silvatica, Schneidmesser/ ruscaria, *Catoni*, fœnaria, fœnisecа, Sensen/ falcula, Rebmesserlein/ Schnitzerlein/ falcatus currus, durchschneidender Streitwagen

fanaticus, Unsinniger/ Besessener.

farcimen, Wurst/ fartor, Wurstmacher/ Dechmesser

fractura, gebrochener Stein/ Scherben/ kalch, die Mauer einfüllet/einstopffet.

farinarius propola, Melber/ far, allerley Korn/ Dinckelkorn/ far adoreum, rein/ sauber Korn/ farinarius, farreus, farreaceus, was aus Korn gemacht wird/ oder dartzu gehört/ farreum, Bauerntüchlein/ farinarium cribrum, Meelsieb/ farina, Meel/ farrago, gemischtes Futter dem Vieh/ farrago aviaria, Vogelgefreß/ farinarium, Meeltraher/ Meelgewölb.

fartilia, pl. Zäpflein die Cappaunen zu schoppen.

fartura, Füllung/ Mastung/ fartum seu fartura balistæ tormentaria, Ladung der Büchs/ Patron/ fartura in cibis, ein Gefülltes.

fascia, Band/ Binden/ fasciæ crinales, Bändlein an der Haub oder Zöpff/ fasciola pectoralis, Kinder-Schöppertein/ Halsgoller/ fasciæ crurales, Hosenbänder/ fasciæ cœlestes, Himmelsgürtel/ fasciæ, Fätschen der Kinder/ Windel/ fascia sericа, grosse seidene Binden/ Feldzeichen/ fascis, fasciculus, Bund/ Büschel/ fasciatim, Büschelweis.

fascinum, Zauberey/Beschreyung.

faseius, faseolus, phaseolus, Türckische Bonen/Fasolen.

fasti, Calender/ dies fasti, Gerichtstäg.

fatorum prædictio, Planetenlesung.

fauces, pl. Schlund/ fluvii, montis, die Enge.

favi, Immenhäuslein/ sechseckichte Estrichziegel.

favilla, erloschene Aschen/ Funck unter der Aschen.

favonius, Westwind.

fecialis, Frieds-oder Kriegsbot/ Herold.

fel, Gall.

felonia, (lex) Untreu des Vasallen.

felis zibbethica, Zibbetkatz/ genetta seu panthera minor, Genettkatz.

femur, oris, femen, Hüfft/ Oberschenckel/ exterius, interius, feminalia, femoralia, Schlaffhosen/ femur vervecinium, Lammschlegel.

fenestra, Fenster/ fenestratus calceus, fenestrata domus, fenestralis horrulus, Fensterscherb oder Gärtlein/ vitreæ alæ, Fensterflügel/ valvulæ reductiles, Gätterlein/ obices, Fürreiberlein/ cuneoli inter rotulas interjecti, die Zwickel zwischen den Scheiben/ fenestrales scapi, Fensterstock/ commissura fenestralium scoporum, Creutzstock/ fenestella jaculatoriæ, Schießloch/ fenestrales regulæ, sub-

formica.

rum, mit Schlegel und Hauen eingetriebener Brand.
fundator, *Quint.* metaphoricè, ein Stiffter und Stiffter des Geschlechts.
funditor, Schlingenwerffer.
fundulus, Grundel / funduli recens nati, Sengelein / fundulorum fœtura.
fundus, Boden / ein Theil Felds / Acker / Wiesen / de fundo bibere, von der Neig trincken / reliquiæ fundi, Neiglein.
funeralia, Leichbegängniß / funeraria actio, Leichproceß / Leichbegleitung
funéta pl. *Plin.* Bögen in den Weingärten
fungus, Pfifferling / Schwamm an Baum / Brand am Baum / Butz an Liecht / fungus igniarius, Zunderschwamm / fungus, Stulwartze.
funis aurigarius, Leitstrick / ductarius, Zug-Seil.
funiculus miniatus, die Rötelschnur der Zimmerleut.
furca, furcilla, furcula, Gabel / Galgen / Fleischram / Gäbelein / bicornis, mit zweyen Zincken / Gewandstangen / Stützen / furca fimaria, Mistgabel / fornacaria, Ofengabel
furfur, Kleyen / furfurósus, wie Kleyen oder von Kleyen.
furfures, Haubtschuppen.
furnaceus panis, Pasteten / artotiptius.
furnus, Bachofen / furnus campanus, distillir-Ofen / furnarius, Ofenheitzer.
furunculus, Dieblein / klein spitzig Blätterlein.
furvus, adj. schwartz / tunckel.
fuscina, Gabel / fuscinula, Gäbelein.
fusor, Giesser / Schmeltzer / fusor æramentarius, Rotschmid / tormentarius, Stuckgiesser / formarum seu typorum, Schrifftgiesser / ars fusoria, Gießkunst / fusúra, der Guß.
fusterna, der obere Theil des Tannenbaums.
fustuarium, Brügelsupp / Knüttelstraff.
fusus, Spindel / Spille.
futile opus, Flitterwerck / futile vas, das gleich umfällt / oder aus dem schwer zu trincken / futilis homo, ein Schwätzer.

G.

Gábata, æ, tieffe oder hole Schüssel.
gæsum vel gesum, Spieß gleich einer Partisan oder Hellepart.
gagates, schwartze Agtstein,
galactopata, Milchmaul / Milchsauffer / galactites, schneeweiß Edelgestein.
galba, Holtzwürmlein / Wurm im Eichbaum.
galbula, galgulus, Emmerling / avis.
galea, Bickelhaub / navis, oberster Crantz oder Korb auf dem Segelbaum.
galéna, Bleyertz / Bleyweiß oder gleissende Bindung des Bleyes.
galerita, haubete Lerch.
galérus, breiter Hut / galericulum vel galericulus, falsch Haar / galericulum pellitum è mure pontico. vel mustela scythica. Schöne Haub / Böhmische Haub / galerius fibrinus, von Beverhaar / galeri limbus, ora, ala, margo, der Stulp.
galla, Gallapffel / Eichapffel
gallicinium, Zeit der Nacht / wann die Hanne kräen
gallina Adriana, Leg-Henn / pullastra, junge Henn / veterana, alte / glociens, Gluckhenn / incubans, matrix, Bruthenn / effœta, nicht mehr legend / medica, decumana, Welsche Henn / pumila, klein / Numidica, Africana, Meleágris, idis, guttata, Indianische / glocit, glocitat, gracillat, gaget.
gallinago, inis, Ried-Schnepff.
gallopavus, Indianischer Han.
gallulascere, pubescere, die Stimm mutiren / den Discant verlieren.
gallus gallinaceus, Han / gallinaceorum jubæ, Halsfedern der Goggelhanen / gallinarium, Hennenkobel / gallinarius, Henneman.
ganea, ganeum, Schlemmerhaus / unehrlich Haus / ganeo, Schlemmer.
ganglium vel gangilium, Uberbein.
gangræna, faul Fleisch im Menschen / Krebs.
gannitus, gannire, der Fuchsen Schreyen / oder Geulen.
gargarizare, *Plin.* gurgeln / gargarismus.
garrit pica, die Alster schwätzet.
garum, Fischbrüh.
gastimarchia, Gefressigkeit.
gavea, Wasservogel / Kuwitz oder Geiwitz.
gaulus, klein / rund Schiff / cuidam ingentes gauli sunt Italicè galeoni.

mus / globuli trusatiles, all Truckspiel / klein Zigelspiel / globi lusorii, coni, metulæ, trunculi, Kegelspiel / metularum novenarius, die neun Kegel / globulus caudatus, Schleiff oder Schlinge mit einem Knöpflein
globulos in filum colligere, anfassen.
globus, Kugel / Geschwader Reuter.
glomus, i, eris, Kneuel Garn / glomus giratilis tignariorum, Schnurhaspel.
glos, gloris, Manns Schwester / Gefchwey
glossema, atis, glossa, tunckele Wort oder Auslegung derselben.
glossographus, Erklärung der tunckelen Wörter.
glottæ, *Vitruv.* Zierrathen an den Trilippen / wie die umgekehrte Töpf / vide Triglyphi.
glottis, idis, Wachtel-König / avis.
glubo, ere, Rinde abscheelen / schinden / glubitor, Abdecker.
gluma, Kornhülse.
gluten, glutinum, Leim / glutinum farreum, farinaceum, *Prompt.* Pappen.
gluto, onis, Fraß.
glycyrrhiza, Süßholtz / radix dulcis.
gnatho, onis, Schmarotzer.
gnoma vel gnome, denckwürdiger Spruch.
gnomon, onis, Richtscheid / Winckelmaß / Uhrzeiger / Stiel in der Sonnen-Uhr.
gobius vel gobius, Gropp / Tholm / gobius fluviatilis, Greßling / *Prompt.*
gomphæna, Papagey-Kraut.
gonagra, Zipperlein an Knien.
gossipium, Baumwolle.
gossus, *Fest.* der voller Runtzeln ist.
grabatarius *Vet. Lex.* Bettmacher / *Prompt.*
grabatus, Lotterbett.
graculus, Hätz / Dole / avis.
gradus formicinus, klein / testudineus, langsam / grallatorius, weitschrittig / gradus viatorii, Stiegel.
græcari, pergræcari, congræcari, zusammensauffen / græca fide mercari, vulgò, auf mit-bezahlen / sed Plauto in Attic. Comœd. auf baar bezahlen.
grallæ, Krucken / Steltzen / grallator, der auf Steltzen geht.
gramæ vel gramiæ, Augenbutz.
grammatophylacium, Cantzley / Schreibstuben.
granarium, Kornkast / granarius, Kastner.
grando, Hagel / Pfinne / grandinosus, adj. pfinnig / grando nivola cadit, es riselt / sus grandinosus, pfinnige Sau.
grangæna, faul Fleisch.
granum tinctorium, infectorium, Scharlach-Beer.
graphium, Griffel / Schreib-Pfriem / graphiarium, Federröhr / Federzeug / graphis, idis, das Reissen des Mahlers / Entwurff eines Gemahls / cultellus graphiarius, Schreib- oder Federmesserlein / graphice, Reißkunst der Mahler / graphicus nugator, ein rechter Bossenreisser.
gratitat anser, gacket.
gravedinosus, adj. der ein schweres Haubt hat / cathattisch / gravedo, destillatio, Schnuppe.
griphus, ein Rätzel oder tunckele Frag.
grossus, unzeitige Feigen / grossulus.
gruma, æ, Feldmaß / die krumme Weg in die Schnur zu richten.
grumus, Erdscholl.
grunnitus, grunnire, Saugruntzen.
grus, Kranich.
gryllus, Grill / grygallus, Grygelhan.
gryphus vel gryphs, Greiff / animal.
grypus, der eine krumme Nasen hat.
guaiacum lignum, Frantzosenholtz.
gubernaculum, Steuerruder / gubernator, Statthalter / der am Steuerruder sitzt oder stehe.
gula, Schlund / gula follis, fornacis, camini, Spitz des Blasbalgs / gulo, onis, Fresser.
gummi juniperinum, Bernis oder Furnis / gummitio, Fürnissen.
gurges, Wässer-Wirbel / Schlemmer.
gurgulio, Zäpflein im Hals.
gurgustium, Bauernhäuslein / Hüttlein.
gustatorium, ein Ort zu dem Verkosten / Crebentztisch.
gustatus, gustus, das Verkosten / Vormahl bey den Alten.
gutta, Tropff / Spreckel.
guttur, Kehl / gutturosus, großkehlet.
gutturnium, Gießfaß.
guttus, guttulus, Geschirrlein mit einem engen Hals / gläsern Opffer-Kännlein / Oelkrug.
gymnastes, Meister über die Leibs- oder Schul-Ubung / gymnasium, Schul oder Ubungs-

Ubungs-Ort/ gymnasiarchus vel gymnasiarcha, Vorsteher darüber.
gynæceum, gynæconitis, idis, Frauenzimmer-Ort/ da sie wohnen.
gypsum, gypsus, Gyps / gypsatus, adj. gegypst. è polline marmorato, 10 Stuckater Arbeiter.
gyrgathus, Narrenhäuslein.
gyrus vel girus, Ring/ Kreis/ Umwendung/ gyrare, im Ring umtreiben.

H.

habena, Zügel/ am Zaum/ habenula, Binden für einen Schaden.
hædile, Geißstall.
hæmatites, Blutstein.
hæmoptoicus, Blut ausspeyend / hæmorrhois, idis, Blutfluß.
hæredium vel heredium, Erbgut/ herediolum, Erbgütlein / hereditas ab intestato, Erbschafft ohne Testament / heres fiduciarius, vulgò fideicommissarius, der ein fidecommiss hat.
halec vel halex, Hering / conditanea, muriacia, in der Tonne / passa, fumô durata, Pickelhering.
haliæetus, Meer-Adler.
halicácabum, halicácabus, Judenkirschen.
hallum vel hallus *Fest.* die grosse Zeen/ oder der Daum.
halo, onis, Kreiß um den Mond.
halophanta vel holophanta, ein Bossenreisser/ Lügner.
haltéres pl. Stangen der Seiltäntzer/ Tragbley/ bleyerne Springkugel.
hama, Feuers oder Brandhacken.
hamus, Kettenring/ Angel/ hamióta, Fischer mit dem Angel / halieutica pl. Bücher von Fischerey / hamus opertus, angeködertes Angel.
hapsus, Locken Flachs oder Wolle.
hara, Säustall.
hariolus, hariola, Warsager / Warsagerin/ haruspica, hariolari, warsagen.
harmonia, Zusammenstimmung.
harpagium, Gießkrug zu dem Spritzen / Spritzkrug.
hárpago, onis, Schiffhacke/ Feuerhacke/ hárpage *Pollux.* Herdhacke.
harpastum, kleiner Spielballe.
harpe, Säbel.
harpédone, Spinnrad oder Haspel.
haruspex, quibusdam aruspex, Warsager aus Beschauung des Eingeweids / haruspicina, solche Warsagerey.
hasta pura, Spieß ohne Eisen / præpilata, mit spitzigen Eisen / amentata, mit einem Riemen/ velitaris, gering Spießlein/ cuidam, Partisan/ hastile, der Schafft oder die Stange des Spiesses / Fechterstänglein/ hastilibus decertare, in Stänglein fechten/ hastilia vibrare, crispare, torquere, schwingen/ mit der Piqven spielen.
haustrum, Wassergelte / Eimer / Wassers oder Schöpffrad.
heautontimorúmenos, der sich selbst bekümmert / nomen Comœdiæ Terentianæ.
hecta vel hetra, Brodblätterlein.
hectica febris, Lugensucht.
hedera, Epheu/ Wintergrün.
helcium non helcyum, Roßkummet/ helciaria navis, Hochenau/ helciarii, Hochenauer.
hercylma, atis, Silberschaum oder Schlack.
helénium, Alantwurtz/ helenites, Alantwein.
helépolis, altes Kriegs-Instrument / Thor und Mauern einzubrechen.
heliacus ortus, wann der Stern aus der Sonn herfürkommt / occasus heliacus, wann er von der Sonnen verdunckelt wird / hélice, der grosse Bär / sidus cœleste.
heliocaminus, Sonnendampff-Loch.
heliotropium, Sonnenblume / Sonnenwend/ herba, flos.
helix, icis, klein Epheu / Laubwerck/ Wirbel/ Schnirckel in den Säulen.
helleborum vel hellébor us, Nießwurtz.
hellespontus, das enge Meer in Thracia.
helluo, Schlemmer.
helvus color, helvolus, falb/ bleichrot/ Ziegel- oder Neckerfarb.
hélxine, Mauerkraut/ Tag und Nacht/ St. Peterskraut/ Glockenblum.
hemerocallis, heydnische Gilgen/ Türckischer Bund/ flos.
hemerodromus, schneller Lauffer.
hemicrania, Haubtweh an einer Seiten.
hemicyclus, Bogensitz/ hemicyclus versatilis, Winde für die Speis.

I.

L.

lactuca

locu-

lustrica,

Häm-

manubiæ

dessen

dessen Berührung die Sonne Mittag machet.
meritorius adj. was um den Lohn dient.
merops opis, apiaster, Grünspecht/ Immen-Wolff/ Vögelein/ so die Immen frisst.
merula, Amsel/ torquata, Ring Amsel/ silvatica, Wald-Amsel/ aquatica, Wasser-Amsel/ saxatilis, Nußbrecher.
merx, Wahr/ mercatus, ûs, Marckt/ mercatores annonarii seu castrenses, Marcketenter.
mesaraicæ venæ, Getröß-Adern.
mese, die Tertz in den Saiten/ Mittel-Saite.
mesenterium, dicke und feiste Haut mitten unter dem Ingeweid/ vulgò, der Kragen oder Krös.
mesochorus, Capellmeister.
mespilum, Mespel/ mespilus, Mespelbaum.
meta, gespitzt wie ein Kegel/ Zuckerhut/ spitzig Säul/ der untere Mühlstein. Ziel/ meta fœni, Heuschock oder Schober.
metacarpium, Ball in der Hand.
metallarii vel metallici, Berg-Knappen.
metamorphosis, wunderliche Gestalt-Veränderung.
metatarsus, Theil des Fusses/ wo die Zehen anfangen.
metator, Lägerschlager/ metari.
metempsychosis, der Seelen Verwandlung.
meteora pl. was in der Höhe zu beschauen/ Lufft-Erscheinungen/ als da sind: Capra saltans, zwitzrend Feuer/ trabs, pyramis, brennender Striem/ ignis lambens, die streiffende Flamm/ ignis fatuus, &c. das Irr-Lichtlein/ &c.
methodus, kurtzer Bericht/ ordentliche Weis zu schreiben und zu lehren.
metopa, æ, die n ittlere Fassung zwischen den Holtzgesimsen oder Leistlein/ und den Kälber-Zähn. Vide Triglyphi.
metoposcopus, Warsager aus dem Gesicht.
metropolis, Bischoffliche Residentz-Stadt/ Hauptstadt.
metrum, Maß/ Vers/ Reim.
mica, Broiam/ mica salis, Saltzkörnlein/ micæ lapidum, Steinschiefer/ mica, Katzensilber/ Talck.
micare digitis, an Fingern spielen oder rathen.
microscopium, Muckengläslein.
microtrogus, *Plaut.* der schmale Suppen isst.
micturiens, der den Harn lassen will.
midas, Bohnen-Wurm.
miles ære dirutus; exauctoratus, expunctus stipendiis, ausgemustert/ veteranus, versuchter Soldat/ emeritus, ausgedienter/ evocatus, aufgebottener/ gregarius, gemeiner Knecht/ voluntarius, volo, ónis, freywilliger/ tumultuarius, subitarius, in Eil zusammgebrachter oder gezogener/ causarius, um rechter und redlicher Ursachen halber beurlaubt/ classarius, zu Schiff dienend/ stationarius, Schildwacht/ levis armaturæ, expeditus, ferentarius, rorarius, veles, itis, ring gerüst/ militum supplementum, Ersetzung des Kriegsvolcks/ Recruten.
militares claviculi, Spangen und Kopffnägelein im Schild und Harnisch.
Militaria quædam vocabula huc congesta, præter ea quæ suis locis repetienda.
Summus imperator belli, Feldherr/ Kriegsherr/ Generalissimus.
Stratégus, Archistratégus, Dux exercitûs, berühmter/ vornehmer Kriegs-Held.
Generalis, supremus, summus belli Legatus, Vicarius Imperatoris bellici, General-Leutenant.
Supremus magister militum, supremus Prolegatus belli, Campiductor, General-Feldmarschall.
Supremus Præfectus rei tormentariæ, officio tormentario cum summa potestate præfectus, General-Feldzeugmeister.
Supremus magister equitum, General zu Pferd der Reuterey/ von der Cavallerie.
Supremus magister vel ductor peditum, aut peditatûs, General zu Fuß/ von der Infanteria/ des Fußvolcks.
Supremus vigiliarum vel excubiarum præfectus, General-Wachtmeister/ quibusdam General Major.
Supremus castrorum præfectus, metator, General-Quartiermeister.
Propræfectus, Promagister, Vicarius alicujus ducis, eines Generals Leutenant.
Optio supremi ducis belli, Adjutor, Instru-

sphærospatica seu hamata, der Kugelzieher/ virga peniculata, der Wischer.

Ballista oneratur fartô, svrcitur, wird geladen/ paratur jactui, aptatur, tenditur, wird gespannet/ malæ seu maxillæ applicatur, admovetur, man schlägt an/ maxillaris applicatio, das Anschlagen/ exploditur, disploditur, exoneratur, wird abgeschossen.

Propugnaculum, vallum, munimentum, munitio, Wall/ Bollwerck/ Pastey/ Schantz/ Vestung/ Bevestigung/ propugnaculum seu opus cornutum, Hornwerck/ coronatum, Kronwerck/ stellatum, Sternwerck/ dimidiata luna, halber Mond/ forcipulæ, forcipes, Zangwerck/ spitzeckichte Arm eines Walls/ velamen, Blendung/ corbulæ, latibula jaculatorum, Schußlöcher und Körbel/ lorica transversa, Zwerchwall/ lorica castrorum, Brustwehr/ linea principalis propugnaculi, die Hauptlini/ facies propugnaculi, die Gsichtlini/ linea defensionis, die Streichlini/ Gall. ligne du flane, zu flanckiren/ ala cortinæ, der Streichplatz/ angulus propugnaculi, das bestrichene Eck/ ala sive humerus propugnaculi, die Streich/ Schulter oder Flügel.

Planta sive pes valli, Anleg des Walls/ altitudo valli, die Höhe/ acclivitas valli exterior, die äusserliche Docir oder Boschung des Walls/ latitudo valli verticalis, die oberste Breite des Walls/ altitudo loricæ exterior, die äusserliche Höhe oder Brustwehr/ interior, die innerliche/ latitudo loricæ verticalis, die obriste Breite der Brustwehr/ gradus ad loricam seu scabellum aut scamnum, Banck der Brustwehr/ ambulacrum valli, Wallgang/ scabellum, & lorica horizontalis, die Banck und Brustwehr des untern Wallgangs, margo valli interioris, die Berm oder Zech am Wall/ acclivitas sive murus fossæ exterior, die niderhängende Abdachung des Grabens gegen dem Feld/ oder der Mauer Abhangung/ *Ital.* Scarpa, acclivitas sive murus fossæ interior, die gegen der Vestung hängende Abdachung des Grabens/ Italis Contrascarpa, via cooperta, operta, der bedeckte Weg/ basis loricæ viæ coopertæ, Anleg der Brustwehr des bedeckten Wegs/ ejus altitudo, die Höhe/ scabellum & lorica viæ opertæ, Banck und Brustwehr des bedeckten Wegs/ lorica post circitorum viam, Brustwehr der Rundueet.

Tumuli seu aggeres propugnaculis impositi, die Katzen/ cavaliere.

Murus inter duo propugnacula interjectus, cortina, cortin.

Munimentum portæ præstructum, castellum defixum *Architec. Milit.* Revelin seu Revelino.

Cœcæ cryptæ propugnaculis prætensæ, blinde Gräben/ Mord-Gruben/ casematte.

Suggesta, suggestus, aggeres tormentarii, sedes locandis machinis structæ, Bühel/ die Stück zu plantiren/ Stück-Schantzen/ batteria.

Vimineæ loricæ, corbes loricales, cratitiæ gerræ, corbes terrâ oppleti, Schantzkörb.

Vineæ, obsidionales accessus, viæ, fossiles viæ, Lauffgräben/ Schirmdach/ fossæ intestinæ, innerliche Lauffgräben.

Terrea munitio, munitiuncula campestris, subitaria, Feld-Schantz/ obsidionalia opera, aufgeworffene Schantz des Feinds/ interiora opera, innerliche Schantzen/ munitiones trabeatæ, castella lignea, Blockhäuser.

Appropinquationes operum, promotiones, Näherung der Lauffgräben und Feld-Schantzen/ approches, circumvallatio, Einschliessung mit Schantzen und Volck.

Excursus procursus obsessorum, Lauffgräben aus der Stadt/ contr'approches.

Impressio, assultus, aggressio, incursus, irruptio, Sturm/ Sturmlauff/ Eroberung mit Gewalt/ eruptio, Ausfall/ impressio generalis decretoria, General-Sturm.

Ruina murorum, Mauerbruch/ breccia vel breche.

Recessus, reductus, receptus interni, Abschnitt/ heimliche Gräben/ innerliche Verschantzung/ retirate, reducti, retrenchement.

Valli sudes, stipites cuspidati vallo præfixi, palorum munimen, spitzige Pfäl um

N.

neophy-

neophitus, angehender Christ.
neotericus, non est proba vox, νεωτερος, junior.
nepenthes apud *Homerum*, ein Kraut wider die Traurigkeit.
nephritis, idis, Nierenweh/ Grieß/ nephriticus, der es leidet.
nepos, neptis, Enckel/ Verschwender/ Prasser.
nerion, Oleander oder Rosenbaum.
nervulus, ein klein Spann-Aederlein.
nervus, Flachs- oder Spann-Adern/ Senn-Ader/ Saiten/ Senne am Bogen/ Fuß- und Halseisen/ Stock/ nervus opticus, Augen-Ader.
nessotrophium, Entenstall.
nete, die Quinten Saiten.
neurobata, Seiltäntzer.
niceterium, Sieglohn.
nicotiana seu tabacus, Nieswurtz/Taback/ nicotianæ aridæ fumus per arundinem haustus aut devoratus, *Plin.* Taback getruncken oder geschnupfft.
nictare, blintzeln/ wincken/ nictus oculi, Augenwinck/ Augenblick/ nictunt canes, wann sie nach der Gespuhr ausgehen.
nidor, Geruch des Gerösten oder Gebratens.
nidus, Vogel-Nest/ unterschiedliche Lädlein und Gestell/ nidulus, Nestlein.
nili, grosse Wasserführungen oder Dolen/ Wasser von vielen Orten zusammen fliessend.
nisus, Sperber/ avis.
nitedula, Licht- oder Nacht-Muck.
nitella, Instrument/ etwas glatt oder weiß zu machen.
nitrum, Salpeter/ Salniter/ nitraria fodina, Salpetergrube/ nitrarius Salsniter.
nodus, Knopff/ nodi articulorum, Knorren an Gleichen/ oder Gleich/ nodus arboris, Knorr oder Ast des Baums/ abnodare, die Knorren abhauen/ item, eine verborgene Frag/ nodi annulorum, Zanckeisen/ nodus Gordius, unauflößlicher Knopff/ nodulus dim. nodi farinacei, Knödlein.
nola, Schelle/ Glöcklein.
nomarcha, Gesetzmeister.
nomenclator, Wörterzehler oder Ausleger/ nomenclatio, Namenerzehlung.
nomen, ein Nenn-Wort/ nomen primitivum, ursprüngliches Wort/ derivativum, abgeleitet.
nomina impedita, unrichtige Schulden/ nomen confessum, erkandte Schuld.
nonæ, der 5 oder 7 Tag des Monats.
norma, Winckelmaß.
nosocomium, Krancken-Spital/ nosocomus, Krancken-Warter.
notæ musicæ, die Gesang-Zeichen/ caudatæ, mit einem Strichlein/ aduncæ, Fusellen/ die kürtzeste.
nothus, Bastard/ Banckert.
notus, Süd- oder Mittag-Wind.
novacula, Scheermesser.
novale, neu aufgebrochener Acker/ Neubruch/ novalis ager.
novendium, neun Tag Zeit.
noxæ, Straff der Ubelthäter/ noxia, die Schuld.
nox intempesta seu concubia, Mitternacht/ sublustris, heiter/ illúnis, finster.
nucamentum, Kätzlein oder Zäserlein an Bäumen und Früchten.
nuclei tunica, das Häutlein des Nußkerns.
nucleus ferri, Stahl.
nugivendus, nugigerulus, Fabelhans/ Mährleintrager.
numellæ, Hals- und Fuß-Bänder/ oder Eisen für die Ubelthäter/ Pranger/ Schand-Säul/ numella, Windstrick/ Koppel der Hund/ hültzern Kummet vor allerley Thier.
numeri Arabici, die Ziffer.
Numidica gallina, Indianische Henn.
nummularius, Wechsler/ nummaria tessera, Wechsel-Brief.
nundinæ, Wochen- oder Jahrmarckt.
nurus, des Sohns Weib.
nutricia pl. Lohn der Säugammen.
nux juglans, basilica, regia, Heracleotica, welsche Nuß/ avellana, Prænestina, Pontica, Haselnuß/ Græca seu Thasia, Mandelnuß/ pinea, Zirbelnuß/ Sardiana, Castanien/ odorata, myristica, Muscatnuß/ vitiosa, wurmstichig/ cassa, faul/

P.

pallaca,

palla, a, Kebsweib.

pallium, Mantel/ palliolum, palliare, *Apul.* bemänteln/ palliatus, *Cic.* bemäntelt.

palma, flache Hand/ Palmbaum oder Zweig/ palmata toga, ein Rock mit Palmenblättern und andern Figuren gestickt/ palmarium facinus, Ritterthat/ palmipes, flachfüssig/ depalmare, *Gell.* Maultaschen geben.

palmes, itis, Rebgeschoß/ Weingerte/ orbus, blinde Geschoß ohne Reben/ focaneus, Nebenschößlein/ fructuarius seu racemarius, fruchtbar/ pampinarius seu colis, ohne Trauben/ subsidiarius, geschnittene Gerte.

palmula, Ruder-Blatten oder Laffen/ die Breite des Ruders.

palmus, vier zwerch Finger/ zwerche Hand/ Hand breit/ palmipedalis, ein Schuh samt einer zwerchen Hand breit oder lang/ palma pedis, drey Zoll.

palpare, greiffen/ streicheln/ palpum, das Streicheln/ Fuchsschwänz/ palpum obtrudere, schmeicheln.

pálpebra, Augendeckel/ palpebrarum crepido, wo die Augbraen-Haar wachsen.

palpitare, Hertz-zittern/ zappeln. Palpitatio, das Hertzklopffen.

paludamentum, grosse Kriegs-Binden/ schönes Kriegs-Kleid/ Wappen-Rock.

palumbes vel palumbus, Holztaube.

palus, i, Pfahl/ palus vitis, Rebstock/ palare, Pfähl schlagen/ palatio fundamenti, Schlagen des Fundaments auf Pfahl oder Persten/ palari, hin und wieder gehen/ palorum sepes, vulgò Pallisaden.

palus, udis, Pfütz/ paludosus, palustris, pfützig/ sumpffig.

pámpinus, Rebblat/ Reblaub/ pampinare, Reblaub abbrechen/ pampinator, Rebbrecher/ pampinarium, ein jung Rebgeschoß.

pánaces, is, vel panacéa, Kraut/ das alle Kranckheiten heilt/ pánaces Herculeum, Angelic-Wurtz.

panarium, Brodkorb/ panariolum, Brod-Körblein.

pancarpiæ pl. Krantz aus allerley Früchten.

pancratium, Kampffspiel mit allerley Ubungen/ pancratiastes, Fechter in allerley Wehren/ pancratice, starck/ männlich.

pancrestum, *Cic.* universale medicamentum, allgemeine Artzney.

pandectæ, Bücher/ darinn man alles findet/ der alten Römer Gesetz-Bücher.

pandiculari, pandiculatio, sich recken und strecken/ pandare, sich biegen und krümmen/ trabes pandæ, sich biegende Balcken.

pandicularis dies, Fest aller Götter/ nun aller Heiligen.

pandocheum, jedermans Einkehr/ allgemeine Herberg.

pandura, gemeine Geige mit 3 oder 4 Saiten.

panegyris, allgemeine Zusammenkunfft/ Wochen- oder Jahrmarckt/ item, sermo panegyricus, Lob-Predigt.

panicula, paniculus, Boschen oder Kügelein an Früchten/ Bäumen/ Kräutern/ Rohr/ Röhren/ paniculatæ herbæ, die Boschen haben.

panicum, welscher Hirs/ Helbelkorn.

panicus timor, panicum, urplötzlicher/ unversehener Schrecken/ panico excitare, blinden Lermen schlagen.

panis siligineus, primarius, weiß Brod/ similagineus vel similaceus, Semmelbrod/ cibarius, secundarius, Hausbrod/ acerosus, grob Brod/ furfuraceus, furfureus, von Kleyen/ secalicius, Rocken-Brod/ hordeaceus, Gersten-Brod/ tostuaceus, artopticius, Flade/ panis escharites, gedörrt/ gebäht/ spongiosus, löcherigt/ nauticus, bis coctus, buccellatus, Pfisten/ crocatus, Eyerbrod/ dulciarius, Lecktuch/ saccharites, Martzepan/ amygdalinus, Mandelbrot/ subcinericius, Zelten/ butyratus, Schmaltzbrod/ fermentatus, mit Heffen oder Sauerteig angemacht/ azymus, ungehöfelt/ ungesäuert/ mucidus, situm redolens, schimmlich/ cuneatus, Spitzweck/ escharites panis salernô tinctus, Triet/ panis quadra, Schnitten/ panicea mensa, Brodteller/ passa panis, Laib Brod/ panis durus, exuccus, aridus, exarescens, altbachen Brod/ prædurus, induratus, gar altbachen und hart/ recens, neugebachen/ spissus, spündig/ spongiosus, togelt/ panis orbiculatus, Zelten/ furnaceus, artopticius, Pasteten/ castrensis, Commißbrod/ nauticus, Piscotenbrod/ depstitius, wol geknätet.

pannus,

phar-

Pro-

villus, conciso olere fartus, Krautbölſterlein. Pulvinaria Deorum, Götzen-Tempel.

Pulvis nitratus, nitreus, tormentarius, Schießpulver / ſcriptorius, Streupulver / pulveraria pyxis, Streubüchs / Pulverflaschen. Pulvisculus piperis, croci, cinnami, nucis aromaticæ, Gewürtz Stüpp / odoratus, Pulverrauch / Stuppulver.

Pumex, Reibſtein / Binſenſtein / pumicare, mangen.

Pumicei oculi, hart weinend.

Pumilio, púmilo, Zwerg / pumilus, *Statio*, pumilius, *Sveton.*

puniceus color, Caſtanienbraun.

Pupillus, Waiſe / Vatter-loß.

Puppis, Hindertheil des Schiffes / die Schnarrn.

Púpula, Augapffel / pupilla, Augſtern.

Purgamentum, Kehrkoht.

Purpuraria officina, Purpurfarb.

Purpuriſſum, Anſtrich / purpuraſcit, iſt braunroht.

Pus, uris, Eiter / purulentia, Eiterwerck.

Puſtula, Blätterlein / puſtuloſus, voller Blätterlein / puſtulatio rumpitur, das Eiter bricht auf.

Púſula, Brodblätterlein / Glochfeuer / ignis ſacer, puſuloſus, ders hat.

Putamen, Scheiffe / Nußſchaal / Abſchnitz

Putare rationes, fleiſſig zuſammrechnen / Rechnung überſehen.

Putator arborum, Baumſauberer.

Putei crepido, Brunnlehne / putei os, Brunnenmaul / puteal, Deckel des Brunnens / Richterſtuhl / Liboni, bey den Römern / putearius, Brunnengraber.

Pyctacium, Regiſter / Schreibtäfelein.

Pygargus, weiß-geſchwänzter Adler.

Pylæ, enge Päß / Clauſen.

Pyloclaſtrum, Petard / Inſtrument die Stadtthor aufzuſprengen / cuidam inſititium tormentum.

Pylorus, inferius os ventriculi.

Pyra, Holtzhauffen zum anzünden.

Pyralis, *Ariſt.* pyralis, pyrauſta, *Athen.* & *Gaz.* Liechtmuck / Feuerwürmlein.

Pyramis, idis, viereckichte Säul wie ein Kegel geſpitzt / pyramis chartacea, Schaubrigel.

Pyramus, Brunnkäpplein.

Pyrethrum, Bertram / herba.

Pyrgus, Trichter oder Becherlein / darinn man die Würffel rüttelt / turricula gradatim excavata.

Pyrites, Feuerſtein / Ertzſtein / Arabicè marchaſita.

Pyróboli, Feuerpfeil / Feuerkugel / pyróboli chartei & chartacei, Schläg / Ragetlein.

Pyrocorax, pyrrhocorax, Stein-Dohle / Rab mit gelben Schnabel / Berg-Dohle / Berg-Rab.

Pyropus, feuerroht Edelgeſtein / Rubin.

Pyrotechnica, Kunſt im Feuerwerck / Pyrotechnites, Feuerkünſtler / pyrotechnicus.

Pyrrhicha vel e, Schwerd-Tantz / pyrrhicharius, Schwerd-Tantzer / á Pyrrho inventore.

Pytina, Weinbutte.

Pyxidatus, *Plin.* das einer Büchſen gleich ſiht.

Pyxis, pyxidula, Büchs / Büchslein etwas aufzuhalten / Pyxis nautica, Compaß / Seebüchs.

Q.

Quadra, viereckichter Teller / vierdter Theil eines Stucks.

quadrans, ſechs Loth / drey Untzen / quadrans floreni, ein Ort / 15. Creutzer / quadrans pedis, vier zwerch Finger / oder zwey Zoll / ſeu palmus minor, quadrantaria meretrix, eine leichtfertige Vettel.

quadrantal, vide amphora.

quadrare, conquadrare, gevierdt machen / in quadrum dolare, in das Winckelrecht machen / quadratarius lapidum expolitor, ſector, cavator, Ars quadrataria, *Sidonio.* quadratus, quadriarius lapis, viereckt / wolgearbeitet.

quadrarius adj. viereckicht.

quadraſſis, quatuor aſſes, ein Batzen / aut ſtrictiùs loquendo, ein Dreyer.

quadratus homo, vierſchrötig / beſetzter vierer Leib.

quadrificus, in ein Theil geſpalten.

quadriga, ein Wagen mit vier Roſſen beſpannt / quadrigula, Wägelein / quadrigarius, Fuhrmann darzu / quadrijugi vel quadrijuges, vier Roß zuſammen geſpannt.

qua-



rangi-

quadriremis, ein Schiff mit vier Ruderordnungen.
quadrirotus adj. das vier Räder hat.
quadrivium, da vier Wege voneinander scheiden/ Creutzweg / Creutzgassen.
quadruplator, Ohrenträger / Verräther/ Auffsecher ums Geld/ quadruplicari, vierfältig machen.
quæsitor, Richter über das Malefitz / quæstio, strenge Frag / quæsitor generalis causarum militarium, Italis auditor generale.
quæstor, Renntmeister/Pfenningmeister.
quæstuariæ artes, um den Gewinn / gewinnsam/ quæstuosæ
qualus, Sieb- oder Seihkorb / geflochtener Korb/ Nehtrühlein/ quasillum, idem.
quartarius, quarta pars sextarii, Quärtlein Wein/ vierdter Theil der Maß.
quartùm Consul, zum vierdtenmal.
quercula Gamanderlein/ Vergiß mein nicht/ herba.
quercus, Eichbaum / quercus serrabilis, Segreis/ quercetum, Eschwald.
querquedula, Kruckentlein/ quia querquerô seu gelido tempore maximè apparet.
querquera febris, *Gell.* kalt Fieber / kaltschauerisch.
quincunx, fünff Untzen / zehen Loth / item, gewisse Ordnung der Bäume/ welche/ wie etliche wollen/ nach Gestalt des Buchstabens V gerichtet ist; andere vermeynen/ es sey eine Ordnung in fünff Sternen oder Creutz abgetheilet/ also:



quincunx usura, fünff vom Hundert.
quinqueremis, Schiff mit fünff Ruder-Ordnungen.
quinquertium, quinquertio, vide pentathlum.
quisquiliæ, ausgekehrter Staub/ Baumreise/ hinwürffig Ding/ polentaceæ Trebern.

R.

Rabula, Schwätzer/ Schreyer/ Zungendrescher.
racemus, Weintraub / oder vielmehr der Drapp an Trauben / daran die Beer hangen / item, was von Früchten die Gestalt eines Weintrauben hat / racematio, die Nachlesung.
radiatio, reluminatio, Widerstrahlung.
radicula, Würtzelein/ speciatim Rettig.
radius, Zinck oder Ruthen / kleinere Armpfeiffe oder Beinspindel/ Meßruth/ Strietzelküchlein / radii crocati, Eyerstrützlein/ radius Streichholtz / radius geometrarum; Maßstab / Weberschifflein / Radspeich/ radius temonis, vörderer Nagel an der Deichsel / nostratibus, der Lohnet/ Strahl / radii nitrati, Feuer Raggetlein/ pulvere tormentariô farti.
radix, Wurtzel / radix unguium, Nagels Wurtz/ dentium, Zahn-Wurtz/ radix capillamentis fibrata, die Zäserlein hat.
radix montis, der unterste Theil des Bergs.
ralla, dünn Kleid.
rallum, Pflugschaar / Pflugscheerer.
radula, Ribeisen / Raspe/ Schaber / Reisser der Schuster/ die Runtzel zu machen/ striata, Kneiftzoltz der Schuster.
ramale, abgehauener Ast/ ramus, Ast-Zweig/ ramalia pl. der Palmtäg/ Reuser/ ramentum, abgeschabenes Schnitzlein/ Feilstaub/ Reuß / ramentorum crines, Hobelspan/ rami cornuum, die Zincken des Hirschgeweihes/ ramulosa folia, Blätter mit vielen Aederlein / ramus frondosus, Ast mit Laub.
rameus adj. *Virgil.* von einem Ast. Ramentum, klein Abschnitzle.
ramex, icis, Bruch / Karnifel / ramicosus, adj.
rana coaxat, der Frosch schreyet oder quaret/ ranula, Fröschlein/ Geschwär unter der Zungen/ ranunculus, Fröschlein/ Hanensfuß oder Ranunckel/ herba, flos, Schmaltzblümlein/ Sardonia *Solin.*
rancor, *Fulg. Pallad.* der Gestanck vom Schimmel/ rancidus, schimmlicht.

salix,

ſcobina, Feile/ Raſpe/ caſeus ſcobinatus, deſcobinatus, geriebener Käs/ ſcóbina raphani majoris, geriebener Kreen.
ſcolomachærium, Eiſen der Wundärtzte/ die Geſchwär aufzuſchneiden.
ſcólapax, acis, ſeu gallinago, Schnepff.
ſcolopendra, rauher Wurm/ mit viel Füſſen/ Naſſel.
ſcolopendrium ſeu aſplenum, Miltzkraut/ Rheinfarn.
ſcolymus ſeu ſtrobilus, Artiſchock.
ſcomber vel ſcombrus, lacertus, piſcis, Maccarell/ Gattung der Meerfiſch/ nicht ungleich den Heringen.
ſcomma, atis, Spottwort.
ſcopæ, Beſen/ ſcoparius, Beſenknecht/ ſcopula, Beſenlein/ baculus ſcoparius, Beſenſtiel/ ſcopulæ ſetaceæ, Gewandbürſten/ raſoriæ Kratz- oder Reibbürſten/ arundineæ pulverariæ Staubbeſen/ ſcopularius, Beſenmacher und Bürſtenbinder/ ſcopa farinaria, Ofenwiſch/ der Becken.
ſcopulæ operta pl. *Celſ.* die Schulterblätter.
ſcopulus, Felſen/ Scrofen.
ſcopus, Zweck/ Ziel.
ſcorbus, Sporapffel.
ſcordium, Waſſerknoblauch/ vide triſſágo.
ſcoria, Schlack/ Metallſchaum.
ſcorpio, ſcorpius, Scorpion/ altes Kriegs-Geſchütz/ Stachel zum Schieſſen/ ſpitzige dornichte Geiſſel/ langer Haarzopff der Knaben.
ſcorpium, Wolffsbeer.
ſcortum, loſe Metz/ ſcorteus adj. ledern.
ſcotoma, atis, Schwindel des Haupts.
ſcreatus, ûs, das Reuſpern.
ſcriba auctoratorum, Muſterſchreiber/ caſtrenſis, Gerichts-Weibel.
ſcriblita, Strauben-Küchlein/ ſcriblitæ ſtriatæ, Spritzen-Küchlein. Scriblita Salgamaria cuidám, Aepffeltörtel.
ſcrinium, Schrein/ Laden/ Kaſten/ ſcriniolum, Schreinlein/ Schächtelein/ ſcriniarius, Schreiner/ Tiſchler/ Küſtler/ ſcriniarii opus eſt, præter ea, quæ verbô columna annotavimus, ligna quadrata, das Holtz in die Vierung ſchneiden/ quadrata rotundare, die Vierung in die Runde bringen/ ad regulam reducere, zwingen/ ſchlichten/ decuſſare, Creutzweis zuſammenfügen/ cancellare, vergittern/ aſſeribus & tignis prætexere aſſulas, fornieren/ dedolare, hobeln/ ſubſcudibus compingere, tabulas marginare, mit Ramen einfaſſen/ coaſſare, contabulare, vertäfeln/ coagmentare, compaginare, zuſammenfügen/ conglutinare, zuſammenleimen/ runcinâ dolare, mit dem Schrot- oder Grobhobel ſchroten/ denticulatâ, dolabellâ, mit dem Zahnhobel/ planulâ dolare, mit dem Glatthobel/ cæca poſtium intertignia conjungere & collocare, Thürgerüſt machen und ſetzen/ loricationes facere, Bruſttäfel machen/ coronas, projecturas parieti adjungere, Geſims machen/ membranas ſeu bracteas oſſeas aut ligneas in foliorum ſpeciem interſecare, Laubwerck ſchneiden/ nigrâ polituâ imbuere, ſchwartz baiſſen/ lævigare, defricare, exterere, deterere, glatt machen/ undulatim ſtriare, geflammute Leiſten machen/ opera everganea, ſauber/ hübſche/ zierliche Arbeit/ menſa dolatoria, Hobelbanck/ retinacula cochleata, Schraubzwinge/ ſuſtentacula, Knecht/ ſcalpra inciſoria, Stemmeiſen/ cavatoria, Holeiſen/ tudes vel pavicula, Klöpffel/ hültzerner Schlägel/ ſchidiæ vel ſchidia ramentorum crines, Hobelſcheiter/ ſtriæ vel ſtriaturæ, Holckel/ ſtriges, Stäbel des Holckels/ inſtrumenta ſtriantia, Keilzeug/ opus inteſtinum, Schreiner-Arbeit. Plura vide cap. 43.
ſcriptorius cultellus, Feder- oder Schreibmeſſerlein/ ſcriptorium aurum, Muſchel- oder Schreibgold/ ſcriptorium atramentum, Schreibdinten/ ſcriptorii errores, Schreibfehler.
ſcriptura, Zoll von der Weid/ Zoll-Amt/ ſcripturæ magiſter, Zollmeiſter/ Lehenprob/ ſcripturarius, Zollſchreiber/ ſcripturarius ager, Lehen-Acker.
ſcripulum, ſcrupulum, ſcrupulus, Scrupel-Gewicht/ dritter Theil eines Quintleins.
ſcrobs, Grube/ ſcrobiculus, Grüblein.
ſcrofa, Mutterſchwein/ ſcrofipaſcus vel ſcrophipaſcus, Säuhirt.
ſcrotum, Hodenſack/ heimlicher Theil des Leibs.
ſcrupus, ſcrupulus, Steinlein/ item, Sorg/ Angſt/ ſcrupeus, ſcrupuloſus, ſteinicht/ ängſtig/ ſcrupularis differentia, ſchlechter

vördern

fasst/ oder auf die Pulten gestellt / juxta *Lipsium*.

sigillaria, sigilla, pl. kleine Bilder gegossen oder geschnitzet / sigillaris cera, Sigel- oder Petschir-Wachs / signatorius anulus, Petschir-Ring. Sigillarius, Docken-wächsene Bildermacher.

sigillatio, blaue Fleck geschlagen.

siglæ, *Iustiniano*, gebrochene / halb verkürtzte Wörter.

sigma, atis, halb runder Tisch/ wie ein halber Mond / item, diætæ, vel stibadii genus ad formam Græcæ literæ veteris C, id est, Σ.

signatura *ICtis*, eines Notarii untergedruckt Sigel

signifer, *Apul.* Dockenmacher / Bildmacher/ insignifex, Petschirstecher

signinus adj. Ziegelfarb/ opus signinum, von glasurten Stein oder Tachel gemacht/ gestossene Scherben und Kalch.

signum, Bedeutzeichen / Bildnus / Kriegsfahne / Präg der Müntz / signifer, Fähnderich / Thierkrais im Himmel / signa erecta, fliegende Fahnen / supina, niedergelassene

silentiarius, Stillschweiger / silentium noctis, Mitternacht.

siler, Wasser-Weiden.

silex, icis, Kißlingstein/ Kisel.

silicernium, ein gar alter Greis/quibusdam ein Todenmahl.

siliceus adj. quod ex silice.

silicula, Bockshorn/ herba.

siligo, onis, schönster Weitz.

siliqua, Hülse der Früchte / item, Bockshörner/ fructus arboris, item vier Gran des Gewichts / der sechste Theil eines Scrupels / monetariis, acht Scrupel. De partibus assis vide *Calep.* in verbo siliqua, tressis 3 asses, octussis quatuor, nonussis, decussis, vicessis, centussis, supra centussem majus æris vocabulum non habemus, siliquatus, was Hülsen hat / siliquæ frumentum, Trebern.

siliquastrum, Hahnenfuß / herba hortensis. Alio nomine piperitis

silo vel silus, der grosse Augbraunen hat/ oder übersich gekrümmte Nasen/ stumpffnaset/ Affen-Nasen.

silva cædua, Hauwald / incædua, Bauwald / silva, ein Hauffen zusammengelesener Ding/ silvæ concædibus munitæ, verhaute Wälder / viæ silvosæ, wäldichte Wege.

silurus, Schaid / piscis.

sima, Carnis / inversa, verkehrter Carnis/ item, ligendes Gesims / fabrile verbum.

simia, simius, Aff/ major, Pavian.

simila, similago, inis, Semmelmehl.

simo, simus, flachnaset oder schafnaset.

simpulum, Opffer-Schalen / Opffer-Kännelein.

simulacrum, Bildnus.

sinapis vel sinapi, indecl. Senff.

sinciput, sincipitis, Untertheil des Haupts/ der Plassen.

sindon, onis, zarte Leinwad.

singultus, Hätschen / Schnupffen / Hösch/ singultire, höschetzen / singultim, mit Höschetz.

sinus, der Busen / Schos / Meerschos / oder Ström des Meers / Meerküsten / Italis golfo, Krümme des Schöslein / Falten an Kleidern/ Krümme der Gestade/ das Hole der Augen/ Netz/Garn/Segel.

sinus vel sinum lactis, Milchkübel/ Napff/ Weidling.

siparium, Fürhang im Schauspiel. Cubicularium, Spannisch Wand.

sipho, siphon, siphunculus, Wasserspritzen/ Brunnröhr/Weinheber/ siphones incendiarii, Feuerspritzen

sipillus, smilium, sicillum, Kneipen der Schuster / falcula sutoria.

sirpiculus vel scirpiculus, Fischerreuß/ Binzenkörblein.

siser, gelbe Ruben.

sistrum, Glöcklein/ Klinsel.

sisymbrium, aquaticum, Brunnkreß/ sisymbrium, krauser Balsam oder Bachmüntz/ *Ital.* ballamita, menta aquatica, wilder Quendel.

sitarchus, Proviantmeister.

siticen, inis, Todenpfeiffer.

sitta, Nußhäher/ Nußhacker/ avis.

situla, situlus, *Caton.* Schöpffgeschirr/Eimer/ situlæ incendiariæ, Feuerkübel / sitella, Krüglein.

situs, vergrablet/ Schimmel/ schimmlich.

smegma, atis, Seiffe / smegmaticus, zum

specium,

stath.

strabo.

veratrum,

vindemia,

unguis,

X.

Z.



JURi-

JURIDICA VOCABULA.

Quorum etsi quædam in Indicis Alphabetica serie reperiuntur; placuit tamen huc potiora sub unum aspectum apponere.

A.

AB inteſtato, da kein letzter Will verhanden.
abolitio criminis, extinctio accuſationis.
accepta ſententia, genehm Urtheil.
acceptilatio, Apocha, Schein / Quitantz / Schuld-Vergnügung / antapocha, Gegenſchein oder Quittung des Schuldners / daß er den Glaubiger bezahlt.
accipere judicium, litem conteſtari, den Rechtskrieg befeſtigen.
accipimus manu alterius, noſtra verò auctoritate capimus.
acervatim res uno pretio emptæ, durch Pauſch kauffen.
acta judicialia Gerichts-Abhandlung.
actio, Anſpruch / Forderung für Gericht / Rechtshandel / actio pecuniaria, Geld oder Schulden Klag / pignoratitia wegen eines Pfands / inertiæ, wegen eines ungeſchickten Artzt / injuriarum, Schmach-Klag oder Handlung.
actio, reſponſio, Red und Widerred.
actio capitalis, criminalis, peinlich Gericht / peinliche Anklag / Maleſitz- oder Halsgericht Non capitalis ſeu civilis, Burgerlich Gericht oder Rechtfertigung.
actionem ſeu cauſam, litem, ex juris formula concipere, componere, ein Rechtliche Schrifft auffſetzen.
actor. Kläger / accuſatio, Klagſchrifft.
actus ſervitus actûs, die Trib-Gerechtigkeit.
addicit prætor litem, cauſam, ſpricht für einen aus.
adduct o ad cadaver occiſi, Baarrecht.
adjacentia, adhærentia, pertinentia, accedentia. Vulgò acceſſoria & pertinentiæ. Quæ fundo domuive cohærent, was zu dem Gut / Grund / Haus gehörig iſt.
Adigere quempiam jurejurando, vel ad jusjurandum, einem einen Eyd auftragen.
adjudicare cauſam, litem, den Handel zuſprechen / abjudicare, abſprechen.
adſcriptitii coloni, Qui cenſibus adſcripti & addicti, ut inde ſe movere non poſſint. Aliàs, homines proprii, ſervi glebæ, Leibeigne / non tamen mancipia
Adventitia dos, Heurath-Gut / ſo nicht von den Eltern / ſondern anderwärts herkommen / adventitia bona, fortuitò, vel aliunde advenientia.
adverſarius, der Gegentheil.
advocatus. Qui jus in judicio ſuggerit, in jure adeſt, alterius cauſam agit, defendit; ſuſcipit. Advocationem præbet, JC Fürſprecher.
advocatio, advocati actio, nempe poſtulatio, accuſatio, defenſio, patrocinium.
Ærarium ſacrum, Gotteskaſten / Gottesſchrein / Zechſchrein / Kirchengeld.
affirmatio vel negatio per fidem gentilitiam, bey adelichen Ehren.
affectum beneficium. Ad quod Clericus ex præſentatione jus habet.
ager vectigalis, tributarius, cenſualis JC. Zinsacker / emphyteuticus, Erbgrund / eccleſiaſticus, colonicus, Widumbacker / fructuarius, uſusfructuarius; der verliehen um die Nutznieſſung / non ſubactus, brach / limitatus (in centurias dimenſus) metatus, (diviſus & aſſignatus) reſtibilis, quot annis ſatus, farrarius (fruges producens.)
agere, forum, jus reddere, cauſas audire, cognoſcere, cognitionem inſtituere, Gericht / Gehör halten.
alienatio, juris, dominiiq; translatio, Verhandlung / Verwendung des Guts.
alimenta, Speis / Kleider / Wohnung / alimentarii JC. quibus alimenta legata ſunt.
allodium, barbarè, proprium cujuſq; liberi

B.

C.

Cam-

Com-

E.

injicere

Leges

Matris

Mundus muliebris, Weiber-Geschmuck.

Munus, spectaculum gladiatorium. Munerarius, qui tale exhibet, seu exhiberi curat.

Municipale jus, privatum cujusque civitatis. Stadtrecht/Marckrecht.

Municipium, forum, Marckfleck / municipales magistratus.

Mutuatio, sumptio mutuæ pecuniæ, Geld-Aufnehmung / mutui datio, Geldleihung.

N.

Nancisci, ertappen.

Natalibus restituere, ehlich machen / legitimiren.

in natura rei, Korn um Korn / Saltz um Saltz; nicht Korn um Geld.

Naturaliter possidere dicitur, cùm quis corpore possidet, usúmque rei apprehensæ percipit. Quod si quis verò rei non insistit, neque usum percipit, is per interpretationem legis, civiliter possidere dicitur.

Necessarii sunt, aut cognati, aut affines, quippe in quos necessaria officia conferuntur. Necessitudo pro cognatione aut affinitate.

Negligentia, socordia Advocatorum, Saumsal der Advocaten.

negotium alicui dare, mandare; committere. schaffen / befehlen.

nexus dicitur, der wegen der Schulden einem verpfändt und verstrickt ist / in nexu esse, schuldig seyn.

Nobiles Romæ dicebantur, quorum patres aut maiores magistratum curulem gesserant, & novis hominibus opponebantur.

Nobile officium judicis dicitur persecutio, seu remedium extraordinarium, quod adversùs eos datur, quibuscum nobis de stricto jure nulla est actio, sed qui interim ex sola æquitate, & quod dicitur, de bono & æquo nobis obnoxii sunt.

Nobiles fœderati, commune castrum securitatis causâ possidentes, dicuntur Ganerben. Arx plurium nobilium familiis communis, Ganerbhaus.

Noctambulones, Schlaffgänger.

Nocere noxam, dicunt JC.

Nomina facere, contrahere, Schulden machen / nomen bonum, ein guter Schuldner.

Notare, pro reprehendere, Straffen. Notati dicuntur, quibus aliqua macula adhæ[ret] ex judicio publico.

Notarii propriè, qui excipiunt verba [di]ctantis, per notas & compendia scrib[en]do. Item Notarius seu Tabellio, est p[er]sona publica, quæ tabulis seu instrum[en]tis in fidei testimonium suam man[um] & sigillum addit. Protonotarii Apo[sto]lici, à summo Pontifice ad id officii co[n]stituti.

Notorium JC. quod omnibus constare p[o]test, nec probatione indiget. Manifestu[m] quod allegari, probarique oportet.

Notorium triplex, Præsumptionis, Ju[ris] & Facti. Liquidum, quod judici ex ac[tis] liquet. Clarū hæc omnia comprehend[it].

Novellæ constitutiones, quæ post Codice[m] Justiniani & Theodosii editæ.

Novi homines dicebantur Romanis, [qui] nullis majorum imaginibus & nobili[ta]te commendabantur.

Noxa JC. est ipsum corpus, quod noc[uit] v. g. servus, pecus. Noxia maleficiu[m] veluti furtum, damnum &c. Noxæ da[re] est noxæ nomine dedere, ad noxam, [in] noxam, v. g. animal, vivum pro pecca[to] tradere.

Nuda conventio, nudus consensus, [si]ne traditione aut litteris, aut stipulation[e]. Nuda pollicitatio, sine scriptura.

Nuda promissio, sine fidejussore, aut ju[re]jurando. Nudus, usus, sine fructu.

Nummarius judex, der sich mit Geld be[ste]chen lässt.

Nummularii, collybistæ, permutato[res] nummorum, nummariæ tesseræ, We[ch]selbrief.

Nuntium olim mittebant & remitteba[nt] conjuges, cum libellum repudii mi[tte]bant, Ehescheiden / Ehe aufkünden.

Nuncupativum testamentum, quod fit [sine] scriptis, coram septem testibus, viva vo[ce].

Nuncupare hæredem, est palàm nomina[re].

Nuptiale munus, Morgengab.

Nutritia, pl. dicuntur nutricis merces, [...]

O.

Obligatio JC. est juris vinculum, eine [Ver]bindnus.

Obnoxius alicui. Vasallus dicitur.

Obrepere judici per acta vel libelli in[ter]pretationem. Est falsò se insinuar[e].

P.

Prædia

Pur-

Recitatur

Silvam

Silvam excidere, ausstocken / silva cædua, Schlagholtz.
Simonia, geistlicher Wucher oder Kaufferey
Simpliciter, sine fraude doloque, meo, tuoque, ohne eines Entgelt.
Simplicitas legum, significat æquitatem legis, & opponitur subtilitati juris.
Singula, sunt singulariæ litteræ, ut A. Gellius loquitur sine coagmentis syllabarũ; quæ deinde sigla dicta per syncopen.
Socer, viri pater, uxorisque, Schweher / magnus socer, uxoris avus. Major socer, uxoris proavus, &c.
Societas, est contractus bonæ fidei, de alicujus vel rei, vel negotiationis communione sic institutus, ut ejus & quæstus, & damnum ad unumquemque communiter pertineat.
Sodales, sodalitium, sodalitas, Zunfftverwandte.
Soldata, videtur à Germ. Sold. dictum.
Solidus, ut ait Volusius Mætianus idem est, quod libra, quandoque dicebatur aureus, continens centum sestertios solidus etiam 40. denariis æstimabatur.
In solidum teneri, schuldig das gantze zu bezahlen.
Solenne significat anniversarium, legitimum, ordinarium.
Solennia judiciorum, testamenti &c. quæ certis legum institutis observantur. Solennes actiones, certis formulis conclusæ, Solennes feriæ, statæ & certæ, & quotannis recurrentes.
Solenniter cavere, est satisdatione ordinaria & usitata cavere Solennis obligatio.
Solvitur legibus, cui aliquid contra leges facere permittitur.
Solutum dicitur, cùm naturaliter, seu verè est pecunia numerata Satisfactum, cùm civiliter, id est, non pecuniæ numeratione, sed verbis, quibus creditor est contentus.
Soluta prædia *Cic.* nulli obligata.
In solutum, vel pro soluto datur, accipitur, quod pro liberatione debiti in creditorem transfertur.
Solvere dicimus alicui (nempe debitum) non aliquem, einen bezahlen.
Sordes, pro pecuniaria corruptione. Sordidè, præparcè, avarè. Sordida munera.
Sors, summa. caput pecuniæ, das Capital / die gantze Summa des Gelds.
Sortilegium divinatio per creaturam. JC.
Sororius, cui soror mea nupsit. Item sororis filius.
Spathæ Veget. gladii majores; semispathæ, (minores.
Spolium.
Sponsio, spondere, wetten / versprechen / sponsores, Bürg.
Sponsalia, promissio nuptiarum, Verlöbnis / Heuratsversprechen. Sponsalitia largitas, IC. Morgengab.
Spurius, qui matre certa, patre incerto natus.
Stabulum, stabularius, Bautenwirth. Qui tecto viatores excipit, & jumenta apud se stabulari permittit. Locarium Varroni lib 4. de Ling. Lat quod datur pro stabulo aut taberna, Stallmut.
Stallus, vocab. I.C. an locus Canonistarum in choro.
Stativa non tantum significat castra fixa, sed etiam mansiones seu diversoria publicorum cursorum seu veredorum.
Stationarii milites, qui in portuum præsidiis collocati.
Status, caput causæ, seu principalis quæstio- (nis.
Statutum, idem quod lex civilis, vel municipalis.
Stata ætas, firma & perfecta, nempe 25. annorum.
Stellionatus, fraus omnis, crimen, dolus, impostura, quæ propriam significationẽ non habet, allerley Betrügerey / Schelmerey.
Sterilis pecunia, quæ usuras non parit, otio- (sa.
Stipendium æs militare, Kriegs-Sold / implevisse stipendia dicentur, qui legitima militiæ tempora expleverunt.
Stipendiarii populi, *Cic.* qui stipendium pro militibus pendebant. Vegetio stipendiarii milites, qui æs militare accipiunt.
Stipulari, stipulatio, est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum, facturúmve se, quod interrogatus respondet, angeloben / stipulator, est tam qui interrogat, quàm qui interrogatus promittit.
Subarratio, annuli datio, &c.
Subhastatæ res, auctioni expositæ, subhasta

Supre-

 datô

Ver-

Versuram facit, qui æs alienum ex ære alieno solvit, der eine Lucken aufbricht / damit er die ander zumacht.

Vicinales viæ, Dorff-Weg / exitum habent in militares, sie gehen auf die Haupt-Strassen.

Via lignaria, Holtzweg.

Viaticum, sumptus itineris, Viaticulum, *Ulp.* Weg-Zehr-Geld.

Viatores dicti, qui è villa in Curiam Senatores accersebant. Item apparitores, qui vocabant homines ad magistratum ex agris, Gerichtsbott / tabellio dicasterii, Fronbott / Gerichtsdiener / viator militaris judicii, Waibel.

Vicarius, qui vicem alterius obtinet. Vicaria opera, an statt eines andern Dienst leisten.

Vicedominus; qui Domini vice res ipsius administrat, eiq; vicariam operã præstat.

Videri fecisse, formula, quâ veteres in sententiis utebantur.

Vicus, Dorff / viculus rusticus; trium aut quatuor domorum, Weiler.

Villa, ein Baurenhof / Mayerhof / Schwaig / Villa triplex est. *Urbana*, quam sibi Dominus, qui urbem incolebat, ædificavit. *Rustica*, quæ villico; procuratori; instrumentisque rei rusticæ destinata. *Fructuaria*, quæ frugibus condendis parata. Villicus, Mayer / Schwaiger ɾc. Villa parochialis, Widdumb-Hof / Dominica, Herrn-Hof / censualis (Lat. vectigalis) Zinshof / servilis, Ding- oder Renthof / Letenhof / villa cum fundo, bigis (duobus equis aut bobus) araneo; Hueb / Halberhof.

Vindicare; est jus aliquid, vel Dominium sibi asserere. Vindicatio, proprietatis assertio, vindiciarum postulatio. Vindex, assertor, Freymacher / Beschirmer / vindiciæ, assertiones; Freymachung / Errettung / vindicias fert, qui rem decreto, sententiâque obtinet: Dicit; qui adjudicat; der es frey spricht / vindiciæ secundum servitutem, zur Dienstbarkeit erkennen / secundum libertatem, frey erkennen.

Vindicta, erat virga, quam lictor capiti servi manumittendi imponebat; Freystab / Item ultio, Rechung.

Vir bonus, qui facit alteri, quod sibi vult fieri.

Vis armata; Gewalt mit Wehr / publica, offentliche Gewaltthätigkeit / Vis major, quæ humano consilio neque provideri, neque vitari potest.

Vitium faciunt ædes; vitiã ædium; Baufälligkeiten.

Vitalitium, debitum cum vita extinguendũ.

Vocare in jus, judicium, vocatio, Ladung für Gericht / Fürforderung.

Voluntas ambulatoria, usque in momentum mortis. Donatio mortis causa, testamentum, &c.

Voluptariæ impensæ; Unkosten aus Lusts halber / ut viridaria, salientes, picturæ &c.

Urbana prædia, Urban-Güter / omnia ædificia vocantur, & horti, etsi in villa sint. Rustica verò fundi.

Usura centesima est, cùm pars sortis centesima singulis mensibus solvitur, zwölff von hundert / usura bessis; acht von hundert / usura quadrans, vier von hundert / usura quincunx, fünff von hundert / usura semis, sechs von hundert / usura triens, vier von hundert. Usuraria pecunia dicitur, quæ sub usuris debetur. Usurarium debitum, cujus usuræ debentur; ist zu verzinsen / usurarius debitor, Zinsmann.

Usualis, JC. was bräuchlich und gänglich ist.

Usurarius, qui usum habet; fructuarius vel usufructuarius, qui fructum.

Usus & habitatio, Gebrauch der Güter und häusliche Wohnung.

Usucapere, usucapio, vulgò præscriptio, Besitzung / und Zueignung eines Dings / durch ein lange Niessung / Besitzung / Verjährung / usucapio currit, procedit, hat ihren Gang. Dicitur; quòd per usum aliquid capiat, & auferat.

Ususfructus, est jus alienis rebus utendi, fruendi, salvâ earum substantiâ, Nutzniessung / usufructuarius, fructuarius, Nutzniesser. Usus est jus utendi re quapiam, quatenus ei, cui conceditur, necesse est. Ususfructus est jus utendi, fruendi re aliena, quidquid inde emolumenti, etiam ad voluptatem, percipere poterit.

Uxorio nomine, an statt des Eheweibs.

Index V. Germanico-Latinus.

A.

Aal/ anguilla, sehr groß/ decumana.
Aalrupe/ mustela. Vide in Indice Latino Germ.
Aal des Schusters/ subula.
Aas/ cadaver, Aas für die Vögel oder Fisch/ esca, pastus, cibus, obsipare escam, das Aas auswerffen.
Abbilden/ effingere.
Abbitten/ deprecari Abbitt/ deprecatio.
Abbrechen/ decerpere, Abbrecher der Früchte/ legulus.
Abconterfeyung/ ectypon, ectypum.
Abdancken/ exauctorare militem.
Abdecker/ glubitor.
Abend/ vesper, vespera, Abendbrod/ merenda, Abendmahl/ vesperna, Abendschlaff/ meridiatio, meridiari, Abendstern/ hesperus, Abendspat/ crepusculum.
Abentheuer/ circulator.
Aberglaub/ superstitio.
Aberwitz/ delirium, deliramentum.
Abgang oder Abnutzung/ intertrimentum
Abgötterey/ idolomania.
Abgrund/ abyssus, barathrum, vorago, inis.
Abkürtzen/ abbreviare, compendifacere, Abkürtzung des Weges/ compendium
Ablaß des Wassers/ emissarium.
Ablauff des Meers/ recessus maris.
Ableser/ legulus.
Abnehmung des Leibes/ atrophia.
Abriß des Gemähls/ adumbratio.
Abschiedbrief/ apostoli.
Abschlagung des Begehrens/ repulsa.
Abschnitt/ recessus, reductus, receptus interni, segmentum, segmen, Abschnitzlein/ periplema, atis. Abschnitt des Leders/ praesegmen corii, der Nägel/ unguium, Abschnitz/ putamen, kleine Abschnitzlein/ ramentum, recisamentum, resegmen, segmentum.
Abschrifft der Copey/ Apographum.
Absehen im schiessen/ determinatio scopi.
Absonderungs-Ort/ recessus.
Abspannen/ abjugare, abjungere. (tor.
Abstehlen/ compilare, Abstehler/ compilator.
Abt/ archimandrita, Abtey/ diaeta coenobiarchae.
Abtrettung von Haab und Gütern/ cessio bonorum.
Abtritt/ forica.
Abtrünniger vom rechten Glauben oder Religion/ apostata.
Abweeg/ diverticulum, divortium, Abwegs/ avius, devius, adj.
Abwenden/ averruncare.
Abziehstube/ apodyterium s. spoliarium.
Acker/ ager, Weidacker/ ager compascuus, geähreter Acker/ arvum, verwildeter Acker/ codetum, neuaufgebrochner/ novalis ager, Acker- oder Feldbau/ agricultura, kleiner Ackerbau/ aratiuncula, Bücher vom Ackerbau/ georgica, Ackerscholl/ gleba, glebula, Ackerfurchen/ sulcus. Plura vide sub voc. *Ager*.
Achs oder Kamm am Wagen/ axis.
Achsel/ humerus, Achselküß/ culcitra subalaris, Achselmäntlein/ epomis idis, Achselgestanck/ hircus, hircosus, der hohe Achsel hat/ humerosus, Uchs/ ala, axilla, Achselhaar/ pili subalares.
Achsen/ sarracum, plaustrum, plaustrariae merces.
Acht/ proscriptio, in die Acht thun/ proscribere, proscriptus.
Achtbar/ spectabilis, spectatus.
Achtel/ octula.
Adamsfeigen/ sycomorus, wilde Feigen.
Ader/ vena, Leber Ader/ vena cava, Hauptader/ cephalica, Median/ media, Salvatell/ basilica, Aderlaß/ phlebotomia, der die Ader lässet/ phlebotomus, dem die Ader geschlagen wird/ phlebotumenus, Aderlaßbinden/ mitella, Aderlassen/ sanguinem

Auer

Auerhahn/ tetrao, tetrix, icis, tetrax, acis, urax, acis, urogallus.
Aufbietung zum Krieg/ evocatio.
Aufgeblasen seyn im Reden/ ampullari.
Aufgenommener Sohn / adoptivus.
Aufhaltläger / lustrum ferarum, Aufhalsort/ receptaculum.
Auflauff/ Aufruhr/ seditio, tumultuatio.
Auflösen/ solvere, unauflöslich/ inenodabilis.
Aufnehmung an Kindesstatt / adoptio.
Auffsatz/ mitella, feminarum.
Aufrecht stehend / arrectarius, adj.
Aufschlag auf den Wein / exactio vinaria, Aufschlag-Einnehmer / coactor, exactor.
Aufwarter vor der Thür / accensus ostiarius, custos ostiarius.
Aufzug sehr prächtig/ pompa.
Aug/ oculus, Augbraun/ cilium, Oberaugbraun/ supercilium, wo die Augbraunhaar wachsen/ palpebrarum crepido, der grosse Augbrauen hat/ silo vel silus, Augenschad so fressend/ ægilops, opis, Augengeschwär / argema, atis, & æ, der hole und tieffe Augen hat/ cœlophthalmus, Augen-Artzney / collyrium, Augstern / pupilla, Augenspiegel / Specillum, conspicilium, conspicillum, Augenfell/ tunica, der grosse und ausschiessende Augen hat/ exophthalmus, Augenbutz/ gramiæ, lema, æ, Augenwinckel/ hirqui, Augenblick/ momentum, Augen-Ader / nervus opticus, Augenwinck / nictus oculi, Augen an Baumen/ oculi arboris, Augenweh/ ophthalmia, Augen-Artzt/ ophthalmicus, Augendeckel / palpepræ, Augenstaar / pterygium, Augapfel / pupilla, Augen an Reben/ gemmæ, Augentrost/ euphrasia, flos, herba, grauer Fleck im Aug / glaucoma, æ, das Weiß/ album oculi, Augendiener/ captator benevolentiæ.
Augenschein / rei evidentia, einnehmen / in rem præsentem venire.
Augustmonat / sextilis.
Ausbrechung des Mundes/ aphthæ pl.
Ausfall/ eruptio.
Ausgang / exitus, eventus, clausula in oratione, des Flusses im Meer/ ostia, plur.
Ausjäten / runcare, sarrire, Ausjäter/ sarritor.
Auslauff des Flusses im Meer / ostiaria, ostium fluminis.
Auslegung / exegesis.
Auslöschung des Buchstabens / litura.
Ausreuten / averruncare, sarrire, Ausreutung / runcatio, sarculatio, sarritura, sarritio, extirpatio.
Ausschneid-Eisen / excisorius, scalpellus, scalprum.
Ausschreyer / præco.
Ausschuß / delectus militum, nummi rejiculi, rejecti, des Gelds.
Ausspäher / corycæus, emissarius, explorator, speculator.
Ausspannen / abjugare, abjungere.
Aussag der Zeugen / depositiones.
Aussatz/ elephantiasis, lepra.
Auswurff / excrementum.
Auszug / breviarium.
Axt / ascia, Schlag-Axt / ascia capitata, Zwerch-Axt zu beyden Seiten schneidend oder hackend / bipennis f. anceps securis, Wagen-Axt / axes. Plura vid. sub voc. *securis*.
Atzen/ mansum in os ingerere.

B.

Bach / rivus, die am Bach wohnen / rivales, Bachmüntz/ sisymbrium, menthastrum, pulegium agreste, Bachrinnen / colliciæ vel colliquiæ, Bachsteltz/ motacilla.
Bacchantisch / bacchatim, more bacchantium.
Backofen/ clibanus, furnus, Backtübel/ alveoli.
Backen/ bucca, großbacket / bucco, bucculentus.
Backenstreich/ colaphus, mit flacher Hand / alapa.
Bad/ lavacrum, balneum, Badstube/ cella, caldaria, tepidarium, Badtuch/ sudarium, Badwann/ solium, Badmantel/ castula, perizonium, Bader/ balneator, Badknecht/ mediastinus, Badzuber / labrum, Badhause / nymphæum.
Bär/ ursus, Bärin/ ursa, Bärenhaut/ pellis ursina, Bärenhäuter / calo, Bärenhäuterzeug/ pannus lino lanaque textus, Bärenklau / acanthus, sphondylion, Bärenklee / serrula campana, Bärnöhrlein / auricula ursi, auf der Bärnhaut liegen/ deses otio, Ein Bären/ excipulus, pro piscibus.

Baum-

Baumhecket / calidris, avis, Baumhetzel / pica glandiaria, Tuch aus Baumwoll / xylina vestis

Batz / victoriatus.

Bech / pix, Bechbaum / arbor picaria, dürres Bech / pix arida, abgeschaben / radula na, Bechkräntz / malleoli, circuli picati, Bechler / picis excoctor, Bechlen / picem excoquere.

Becher / crater, eris, Willkommbecher / crater philothesius, Becherlein / cyathus.

Beck / pistor, Beckenschauffel / pala, Beckerey / pistoria officina, pistrina, pistrinum, Beckenwerck / pistura, Beckenschurtz / semicinctium pistorium. Fußbeck / malluvium, pollubrum.

Bedeutzeichen / signum.

Beer / Beerlein / bacca, baccula.

Beermutter / matrix.

Befehlhaber Soldaten zu schreiben / conquisitor.

Befehlchter / mandatarius.

Befreundte vom Vatter / agnati, von der Mutter / cognati.

Begräbniß / sepulchrum, eigne / sepulchrum familiare, hæreditarium.

Begriff zwischen zweyen Dingen / intercapedo

Begriff eines Dings / argumentum, kurtzer / breviarium.

Behaltnis-kästlein / theca, armarium, armariolum, receptaculum, repositorium.

Beil ascia

Bein / os, ossis, ohne Bein / exos, exossis, Beinbruch / fractura, Beinharnisch / lorica cruralis, Beinschien / ocrea, Beinlein / ossiculum, Beinhaus / ossuaria, ein Bein nach dem andern / ossiculatim, Beindrechsler / ostotoreuta, Beincörper / sceletos, Ueberbein / gangliū. verbeint / induratus, Beinharnisch oder Schien / tibiale ferreum.

Beklagter / reus.

Bekleidung / amictus.

Beleg / fimbria, instita.

Bellen / baubari, latrare.

Beltzen / inserere, das beltzen / insitio, Beltzbaum / arbor plantaria, Beltzschul / plantarium, gebeltzt / conseminalis, vel conseminea arbor.

Beltzrock / rheno, Beltzen / pelliceus, mit Beltz gefüttert / pellitus.

Bemsel / penicillus, Waschbemsel / penicillus lotorius, Bemsele / scopulæ.

Bendel / tænia

Benignentraut / pœonia.

Beredtsamkeit / suadela.

Berennung / impressio.

Berg / mons, sehr hohe Berge / ceraunia, Berggelb / ochra, Berggrün / chrysocolla, Bergröte / sandaraca vel sandaracha, sandyx, icis, Bergknappen / metallarii vel metallici, Bergzinnober / minium genuinum & naturale, Bergdahle / pyrocorax, pyrrhocorax, Bergmüntz / origanum, unterster Theil des Berges / radix montis, pes.

Bersich / perca.

Bertram / pyrethrum.

Besatzung / præsidium.

Beschetdessen / apophoréta pl.

Beschiessen / urbem verberare tormentis, mœnia quatere, globis arietare.

Beschliesserinn / famula atriensis, pedisequa.

Beschmitzen / collutulare.

Beschnittner / eunuchus, eviratus, spado, Beschnittner Jud / recutitus.

rauhe Beschuldigung / invectiva oratio.

Beschreyung / fascinum.

Beschütt / rudus, eris.

Besen / scopæ, verriculum, everriculum, Besenknecht / scoparius, Besenlein / scopula, Besenstiel / baculus scoparius, Besenbinder / scopularius.

Besessener vom bösen Geist / arreptitius, energumenus adj. fanaticus.

Besgnus / inferiæ, exequiæ, justa funebria.

Besoldung / salarium.

Bessern die veraltete Dingen / interpolare.

Bestattung der Todten / justa, solennia funerum.

Besteck / theca, mensaria, graphiaria: tonsoria, chirurgica.

Bestoben / ebriolus, vom Staub / pulvereus.

Besudlen / collutulare.

Betonien / betonica aut veronica.

Betrug / fraus, im Verkauffen / stellionatus, Betrüger / saccularius, circumscriptor, Betrug / machina, techna, offucia.

Bett / cubile, torus, Betthimel / caduceū. Bettmacher / grabatarius, strator lecti, Bettstatt lectica, sponda, Bettstättlein / lecticula,

Blat / folium, dick Blat / carnosum crassiusculum, Blätterwurm / involvolus, das breite Blätter hat / latifolium, Blätlein Papier / pagina, paginula, Blätter mit vielen Aederlein / venulosa folia. Plura vid. sub voc. *folium*.

Blatteislein/passer marinus.

Blatten/discus, paropsis.

Blatern / papula, Auffahren derselben / papularum eruptiones, Blatterhaus / hierocomium, Blätterlein / pustula, tuberculum, voller Blätterlein / pustulosus, Brodblätterlein / pusula.

Blattner/buccularius.

Blaufuß / accipiter stellaris, Blaumais / parus minor.

Blauschwettlein/glodiolus, flos.

Blech / lamina, lamella, lamna, plumbea charta, so dünn von allerley Metall / bractea, Blechmacher / bractearius vel bracteator, laminarius, die Kunst / bractearia.

Bleich / pallidus, pallidulus, sehr bleich / luridus, luteus. wie Bley / lividus, bleichrot / helvus, helvolus.

Bleicher / fullo, Bleichstatt / fullonica.

Bleichschwartz / livor, bleichgelb / xanthus, adj.

Blendung / velamen, Blender des Rosses / frontale.

Bley / plumbum, Bleyschlack / plumbi scoria s. recrementum, mit Bley löten / plumbare, applumbare, von Bley / plumbosus, Bleyglett / molybditis, plumbago, Bleyklotz / die Tieffe des Meeres zu messen / bolis, idis, Bleyertz / molybdæna, plumbago, quà scribitur, Bleyweiß / cerussa, galena, Bleywag / libella, norma, perpendiculum, nach derselben etwas richten / ad libellum & normam exigere.

Bletz / aria capitis, areosus.

Blindschleich / cæcilia.

Blinzaugig / lusciosus, luscitiosus, myops, opis, blinzlen / nictare, cœcutire, lieblich blinzlender / pætus.

Blitzstreich / fulmen.

Block / truncus, Blockhäuser / munitiones trabeatæ, castella lignea, Blockwägen / currus tormentarii.

Bloderhosen / braccæ, caligæ follicantes, der sie an hat / braccatus.

Blöcken / blacterare.

Blockschiff / navis oneraria, trabica.

Blocket Arbeit / opus impolitum.

Bloderer / locutulejus, verbosus.

Blum / flos, Blumen in Scherben vor den Fenstern / Adonidis horti, Blumwerck / encarpa pl. Blumenbüschelein / servia, æ. Blumenkrantz / strophium, Blumengarten viridarium.

Blunderwägen / impedimenta, sarcinarii currus.

Blut / sanguis, Blutstein / hæmatites, Blut auswerffend / hæmoptoicus, Blutfluß / hæmorrhois, idis, Blutrichter / prætor capitalium rerum, latrunculator, Blutsauger / sanguisuga, Blutschand / incestus, ders begehet / incestificus, Blutwurst / apexabo.

Bockshorn / fænum græcum, der Bocksaugen hat / pætus, Bocksfell / pellis hircina, Böcklen / hircum olere.

Boden / fundus, solum, künstlich besetzter Boden / asarotum, Bodenbret / asser pavimentarius, Boden legen / coassationem facere.

Böhler mortarium.

Böhmischer Ohrlöffel / clava muricata vel clavata.

Bogen / arcus, Bogen am Rad / absis, geboggen / arcuatus, hinter und vörder Boggesteil / jugamentum rhedæ anticum & posticum, Bogenmacher / arcuarius, Bogensweis / arcuatim. Plura vid. sub voc. *arcus*.

Bogenrock / cyclas, adis Bogensessel / hemicyclus, Bogenpapier / plagula, ein Bogen in Quart / quaternio chartæ. Plura vid. sub voc. chartarius.

Boldergeister / lemures nocturni.

Bollwerck / agger, eris, propugnaculum, vallum, munimentum, munitio, Spitze des Bollwercks / propugnaculi rostrum.

Bolsterzich / cadurcum, Bolster / pulvinus, pulvinum, pulvinar, pulvinarium.

Bolus / so gelb / alana, s. lutea terra, roter / luteum Armenum.

Bonen / faba, Bonenwurtz / colocasium & colocasia, æ, Scheelbonen / conchis, is, mit Bonen geschoppet / conchiatus pullus, Bonenstroh / fabalia, Türckische Bonen / fasélus, faséolus, phaséolus, das kleine schwartze Flecklein an der Bonen / hilum.

C.

Dillen /

Ente /

F.

 Fahrt

Fidelbogen/ pecten vel plectrum.
Figur/ ſchema.
Filzſchuh/ impilia, ium, pl. ſculponiæ, udo, onis.
Finantzer/ der allenthalben Geld aufnimmt/ æruſcator, æruſcare.
Findelhaus/ brephotrophium, Findelkind/ infans expoſititius.
Finger/ digitus, Fingerring/ condalium, Fingerſchnelle/ talitrum, plura vide ſub voc. *digitus*. Fingerhut/ digitale.
Finck/ fringilla, Finckenhabicht/ aſterias.
Finſternus/ defectio Solis aut Lunæ, eclipſis.
Fiſch/piſcis, Fiſchlein/piſciculus, Fiſcherſtang/ contus, Fiſcherzille/cymba, Fiſchreuſe/naſſa, excipula, Fiſch ausweiden/exenterare, Fiſchohren/ branchiæ, Fiſchangel/uncus Fiſchtoñe/cadi ſalſamentarii, Fiſchmarck/ forum piſcarium, ichnopolium, Fiſchkalter/ ichnotrophium, Fiſchleim/ ichthyocolla, Fiſcher Zuggarn/funda, Fiſchbrüh/ garum, Fiſcher mit dem Angel/ hamiota, Bücher von Fiſcherey/ halievtica, pl. Fiſcherleim/ larus piſcis, Fiſcherſchifflein/lenanus, cymba, Fiſchergarn/ſagena, Fiſcherreiß/ ſcirpus, ſcirpea crates, ſcirpiculus vel ſirpiculus, Fiſchgrät/ſpina, Fiſchſchale/teſta, Fiſchbein/teſtum, Fiſchadler/ melanæétus, Fiſchrogen/ ovum piſcis, Fiſchbrühe/ oxyporum vel oxygarum, plura vid. ſub voc. *piſcis* & *piſcina*. Fiſchfedern/pinnæ, Schuppen/ſquamæ, Fiſchmilch/lactes, geſaltzne/ ſalſamenta. Weißfiſch/alburnus, leuciſcus, Gangfiſch/albula lacuſtris, Fiſchkalter/ piſcina, Fiſchreich/ piſcoſus, Fiſchverkauffer/piſcarius, cetarius. Fiſchgarn/ rete, everriculum, tragula, caſſis, Fiſchergabel/ fuſcina, tridens, Fiſcher-Schnur/ linea, Fiſcherbern/ excipula, Korb/ piſcella, ſcirpiculus, Rute/ arundo, Fiſchbein/ oſſa piſcium.
Fitſcheln/ in utramque partem garrire, gerræ, gerrones.
flache Hand/ palma, flachfüſſig/ palmipes, Fläche/ ſuperficies.
Flachs/ linum, Flachsſchwinge/ malleus ſtuparius, Flachsbrecher/ frangibulũ, Flachsverkauffer/ linearius, linopola, Flachsfinck/ linearia avis, gehechleter Flachs/ linum factum, plura vide ſub voc. *linum*.
Flachsader/ nervus, Flachskraut/ oſyris, idis.
Fladen/libum, panis artoptitius, moretum, libarius, ders macht.
Fladerholtz/ lignum criſpans, partherinus molaſcum, der Baum.
Flagge/vexillum, die Flagge abnehmen/ vexillum navis honoris cauſa ſubmittere.
Flaſche/lagena, laguncula, Flaſchenmacher/ ampullarius, Flaſchenzug/polyſpaſtum.
Fleck/ macula, im Angeſicht/ lentigo, inis, mentagra, vitiligo.
Flecken/ caſtellum, von Flecken zu Flecken/ caſtellatim.
Fledermaus/veſpertilio.
Fleiſch/caro, geſaltzen Fleiſch/caro conditanea, ſalita, muriatica, Fleiſchhacker/lanio, lanius, Fleiſchgewölb oder Fleiſchhacke/ carnarium, Fleiſchgäbelein/ creágra, Fleiſchrahm/ furca, Fleiſchdarm/ inteſtinum jejunum, Fleiſchſuppe/jus carnis elixæ, Fleiſchbanck/ laniena, laniarium, lanea, Fleiſch ohne Bein/ pulpa, pulpamentum, Fleiſchpaſteten/artocreas, atis, gebraten Fleiſch/ aſſa, geſotten/ lixa, elixa, im Schmaltz geröſtet/ frixa, fracta, in Brühlein/ jurulenta, Digen/ inſumata, auf dem Roſt/ toſta, Wildpret/ ferina, ſchwartz/ aprugna, roht/ ferina, cervina, Rindfleiſch/ bubula, Schaffleiſch/ ovilla, vervecina, Kalbfleiſch/ vitulina, Fleiſchbanck/ macellum, Fleiſchmaden/ termes vel termus.
Fletz/ proceſtrium.
Fliedeiſſen/ phlebotomum.
Fliegen/culex, muſca, inſecta, Fliegenſtecher/ culilega, Fliegentäſchlein/fercula muſcaria, Fliegenwedel/ muſcarium.
Fließpapier/ charta emporeutica, bibula.
Flinder-Gold/ bracteolæ aureæ, Flindermacher/ bracteolarius.
Flinte/fiſtula gracilis & oblongi tubi.
Flitte/ ſcalpellus vel ſcalpellum chirurgicum.
Flötenpfeiffer/ auletes, aulœdus, Diſcantflöthen/ gingrus.
Floh/ pulex, icis, Flöhkraut/ conyza ſ. cunilago, cunila vulgò pulicaria, perſicaria.
Floß/ ratis, Floßmann/ ratiarius, Floß am Fiſch/ penna, pinna.
Flotte/ claſſis.

Fluch / anathéma, Fluch-Rede / imprecatio.

Flügel/alæ, Flügel der Reuter / alares equites, Flügel der Schlachtordnung / alariæ copiæ, cornua.

Fluß/ fluvius, so sehr krumm lauffet / mæander, Flußfall / cataracta.

Fluß des Haupts/ catarrhus, defluxio capitis.

Folterbanck/ equuleus, eculeus, Folterram/ catasta, Folterstrick/ fidiculæ, Folterung/ tormentum.

Fontanell/ cauterium, fonticulus erivans.

Forelle/ orata vel aurata, trocta.

Form/ typus, Formschneider / typorum scalptor, Form-Entwerffung/ichnographia.

Forst/saltus, Forstmeister/ saltuarius præfectus.

Fragrede / interrogatio.

Frais / analepsis vel catalepsis, phrenesis & phrenitis.

Fransen / fimbria, lacinia, villus, gefranset/ fimbriatus, Fränslein/peniculamentum.

Franzosenholtz/ guajacum lignum, Franzosen-Kranckheit/ lues inguinaria.

Fras/ gluto, onis.

Frauenzimmer/ gynæceum, Ort da sie wohnen/ gynæcæ mitis idis, Frauenhaar/ adiantum, seu callitrichon, herba, Frauenkraut/ ballamita, hortensis costus, Frauëmantel / palla, Frauenschleyer / peplum & us.

Fresser/ gulones, liguritores, manducones, manduci, comedones, epulones, lurcones, gurguliones, heluones, phagones, catillones.

Freudentag/ genialis dies.

Freundmahl / agape, charistia, pl. Freund/ amicus, Freundlein/ amiculus, zu Freund machen/ amico as.

Freventlich/ prælicenter.

Freyheits-Brief/ diploma, tis.

Freyherr / dynasta, Freyheit / libertas, ohne Gesetz / autonomia, Freyung / asylum, Freygelassener aus der Dienstbarkeit / libertas, Freyreuter/ honorarius bellator.

Fried / pax, Friedstab / caduceum vel caduceus, Friedbott/ caducifer fecialis. Frieds-Erhalter/ irenarcha. Friedmachend/pacificatorius, friedsam / pacificus.

Frondienst/ angaria.

Frosch / rana, schreyet oder quaket / coaxat, Fröschlein/ ranula, ranunculus, Frosch am Fiedelbogen / jugum pectinis, ranula, Geschwär unter der Zungen/ Laubfrosch/ calamata, Grasfrosch/ rubeta.

Frostig/ alsiosus.

früh vor Tag/ antelucanus, adj. Frühstuck/ jentatio, jentaculum, frühzeitig/ præcox, frühstücken/jentare.

Frühling/ver.

Frucht/ fructus, Früchtgeheng / corymbus, encarpa, plur.

Fuchs / vulpes, Fuchswedel / alopecurus, der Fuchsen schreyen / vagitus, gannitus, gannire, Fuchsbalg/pellis vulpina, fuchsschwäntzen/ vulpinari.

Fuder Holtz / lignorum vehis vel vehes, Fuder/ vehes, is.

Fuge/ commissura, junctura.

Fug der Hirnschale/ suturæ cranii.

Fuhr/ vectura. Fuhrpferd/ vectarius equus, Fuhrzeug / instrumentum curule & vectorium, Fuhr-Pferd / equus curulis, plaustrarius, Fuhrmann / auriga, aurigarius.

Führer / ductor, optio signiferi, subsignifer.

Füllein/ equuleus, equulus, pullus equinus.

Füllung/ fartura, Gefülletes/ fartura in cibis, Füllungen machen/ lacunare.

Fünffingerkraut/ pentaphyllos & on.

Fügwort/ conjunctionis vocula.

Fürdächlein/ interpensivum.

Fürfleck/ præcinctorium, semicinctium, succinctorium.

Fürgebungen/ extantiæ.

Fürhang / velum, velarium, peripetasma, atis, Fürhang über ein Bett/ conopeum, cortina, Fürhang im Schauspiel / siparium.

Fürkauffer/ propóla.

Fürnis / gummi juniperinum, fürnissen/ gummitio.

Fürschneider/ carptor, structor ciborum seu mensarius.

Fürschub/ obex, icis.

Fürst/ princeps, Fürstenhof/ aula.

Fürtuch / ventrale, perizonium, semicinctium.

Funcke/ scintilla, favilla.

Ges

Gesims / corona, projectura, Gesimslein / coronis, idis, cyma, æ, velatis, cymatium, præcinctiones, Gesims des Ofen / lorica testacea.

Gespenster / lemures, spectra.

Gesperr / obex, icis, der Flinten / obe[illegible]tatus fistulæ.

Gesprächspiel / drama.

Gespreckelt / versicolor.

Gespunst / pensum.

Gespur / vestigium.

Gestad / portus, ripa, ripula, da kein Gestad ist / importuosus adj. Gestadhüter / riparius.

Gestalt / schema, Gestaltveränderung / metamorphosis.

Gestäud / suffrutices.

Gestanck / pædor, fœtor, mephitis.

Gestelle / pegma, atis.

Gesternt / asterias, æ, ardea stellaris, vulgò Moskuh / avis.

Gesträus so dürr / cremium.

Gesundheit / valetudo, sanitas.

Getraid / frumentum, Sammlung / frumentatio.

Getraidmaß / medimnum vel medimnus.

Gevatter / patrinus, susceptor, arbiter initiationis, Gevatterschafft / cognatio spiritualis, lustrica, lustralis.

Gewächs von Bäumen und Kräutern / planta.

Gewärschafft / evictio.

Gewalt des Rahts / auctoritas.

Gewalts-Brief / diploma, atis, Gewalthaber / procurator.

Gewandbürste / excutia, æ, scopulæ setaceæ, muscarium setaceum, gewandstützen / pedamen, pedamentum.

Gewandstange / furca bicornis, perticas sustinens, ames, itis.

Geweb / tela.

Gewerbstadt / emporium grosser Gewerbsmann / magnarius. alleinig Gewerbsmann monopola, solche Gewerbstreibung / monopolium.

Gewicht / pondus, eris, Gewichtlein / ponduscolum, Instand des Gewichts / æquamentum s. æquilibrium, gleiches Gewicht / æquipondium, von hundert Pfund centumpondium.

Gewinn / lucrum, gewinnhässig / lucri fuga, gewinnsbegierig / lucrio.

Gewölbt / fornicatus, cameratio, cameratus, Gewölb / fornix, concameratio, gewölben / concamerare, Gewölbseulen / anterides pl. erismata, Gewölb unter der Erden / crypta, cryptoporticus, Gewölbung / fornicatio.

Gewürtz / aroma, atis, plura vide sub hoc vocab.

Geyer / vultur aut vulturius.

Geywitz / capella s. vanellus, avis.

Gezelt / tentoria, tabernacula, papiliones, Gezeltlein / tentoriolum, gemeine / casæ militares, castrensia tuguria.

Gienen / oscitare, Giensucht / oscedo, das gienen / oscitatio.

Giesser / fusor, Gießkunst / ars fusoria, Gießfaß / gutturnium, malluvium, pollubrum, Gießtrug zu dem spritzen / harpagium, Gießeimer am Mühlrad / modiolus erogatorius, Umgiessung / transfusio.

Gifft / toxicum, venenum, virus, indecl. Gifftarzney / alexipharmacum, antidotum, Gifftmittel / amuletum.

Gigaggen / ruditus.

Gilt und Rent / tributorum præstationes, pensitationes.

Gimpel / rubicilla avis, vide Dötpel.

Ginst / genista.

Gipfel eines Gebäudes / pinna, pinnaculum, des Berges / supercilium montis, vertex, icis.

Giren / effervescere, ebullire, vergiren / defervescere.

Gitzgen / mutire.

Gitter / crates, craticula, cancelli, auf gitter Art / cancellatim, hültzern oder eisern Gitter / clathrum vel us.

Glas / vitrum, Glashüte / vitraria officina, Glasmacher / vitrarius fusor, Glaser / vitriarius, Glasgeschirr / vitreamina, Trinckgläser / calices, caliculi, cyathi vitrei, glasuren / crustare, Gläserbürsten / echinus, glasurt Geschirr / vas incrustatum, Glasmahlerey / encaustice, Glasmahler / encaustes, Glasfarb oder das von Glas ist / gläsern / hyalinus color, Gläsertasse / hyalotheca, Glasscheiben / orbiculi vitrei, glastern oder glastren / incrustare vas.

Glatt / glaber, lævis, glatt machen / glabrare, Glätte / lævitas, lævor, Glättung / politura, Glatthobel / planula.

Glatzen / calvities.
Glaubiger / creditor.
Gleich / articulus, nodi articulorum, am Halm / geniculum, mit gleichen / geniculatim, gleich des Rückgrads / spondyli, vertebræ, verticuli, das zwischen den Gleichen / internodium, von gleich zu gleich / articulatim, membratim.
Gleichgeltend / indifferens.
Gleichförmigkeit / analogia.
Gleichnissred / parabola.
Gleißnerey / hypocrysis, Gleißner / hypocrita.
Glett / lythargyros, um.
Gliedersucht / arthritis, der damit behafftet / arthriticus, Glied / articulus, artus, Gliedwasser / humor serosus, phlegma, pituita, Gliedmaß / lineamentum, Glied verrencken / luxare, Gliedkraut / siderites.
Glimmer / magnes, etidis.
Glochfeuer / pusula, ignis sacer, ders hat / pusulosus.
Glock / campana, Glöcklein / sistrum, campanula, tintinnabulum, nola, Glockenblum / hélxine, Glockenschwengel / malleus, rhopalum, Glockenspeiß / æs campanum, Corinthium, Glockenthurn / campanile.
Glufen / acicula, acus capitata, Glufenbüchslein / aciarium, Glufenkopff / aciculæ nodulus, acicularius.
Glucken wie die Hennen / pipare, glocitare.
Glück / fortuna, Glückshafen / urna fortunæ.
Glückwünschung dem Hinwegreisenden / apobatherium s. propempticum, dem Wiederkommenden / epibatherium.
Glutpfanne / ignitabulum.
Göt / patrinus, susceptor, Dot / susceptrix.
Götzentempel / delubrum, Götzenbild / idolum.
Gogelhopff / lagana testuacea in orbem crustata, pl. orbis ex ovis butyratis tumefactus.
Gold / aurum, fein oder rein Gold / obrizum aurum, Goldgelb / rutilus color, Goldschlager / bractearius vel bracteator, Goldanstrich / tinctus, tinctura, Goldsand / baluca, Goldglett / chrysocolla, chyrsitis, Goldschaum / auri scoria, Kunst Gold zu machen / alchymia, arabice, chrysopœja, vergolden / inaurare, Goldschmied / aurifex, vascularius, Goldschmieds-Laden / aurificina, Goldgrub / auraria, aurifodina, Goldmacher / chrysopœus, Goldschmieds Gewicht / libra nummularia, Gold-Ertz / lapis aurarius, Goldlöt / chrysocolla, Goldglette / chrysitis, spuma auri, Goldwaag / trutina monetaria, Goldknöpfflein / blattaria, Goldgelb / flavus, aureus color, Goldgulden / nummus argenteus, 60. nostratibus crucigeris æstimandus.
Gold Emerlein / florus, Goldblümlein / chrysanthemon.
Goldfinck / aurivittis, vireo, onis, Goldforell / aurata.
Goldhänlein / regulus, Goldwürmlein oder Kefer / aurelia, cantharis, idis, Goldwurtz / asphodelus.
Goller von Leder / colobium scorteum.
Gotteskasten / gazophylacium.
Gottsacker / cœmeterium.
Grabe / fossa, fossula.
Grab der Ehren / cenotaphium, Grab / tumulus, tumba, conditorium, Grabstein / cippus, Grabschauffel / pala, köstliches Grab / mausoleum.
Grabhau / rutrum, Grabeisen / scalprum incisorium, cæstrum, Grabschauffel / bipalium.
Graben machen / lacunare, vocab. hortense.
Graben / ausstechen / sculpere, scalpere, cælare, scalptura, cælatura, untergraben / agere cuniculos, suffodere terram.
Grabthier / hyæna.
Grafschafft / satrapia.
Granatapffel / malum punicum, granatum, Granatrinde / malicorium, Wilde granatblühe / balaustium, Granatkern / acini, Granatapffelblühe / ampullagium, das kleine Häutlein im Granatapffel / cicum vel cicus.
Granatkugel / sphæræ, pilæ, punicæ, granatæ, incendiariæ, ignivomæ, igniferæ, globi pyroboli, punica missilia.
Granatstein / carchedonius, vulgò granatus.
Graß / agrostia.
Graßgrün / prasinus color.
Grasmuck / curruca.
Graßwurm / aruca.

Grauer

H.

Hertz

Hertzröhr/aorta, Hertzwehe/cardialgia, rosio stomachi, ders hat/cardiacus, Hertzzittern/palpitare, palpitatio, Hertzfell/præcordia, pl. Hertzblat/os ensiforme, Hertzgrüble/ventriculus cordis.
Hertzzuneigend/acclinis.
Hetz/graculus, monedula, pica.
Hetz- oder Jaghund/canis agitator ferarum, venaticus.
Heu/fœnum, faules/mucidum, plura vide sub voc. *fœnum*. Heuschock oder Schober/meta fœni.
Heurahts-Rotel/instrumentum dotale, Heurahtsversprechung/sponsalia.
Heurig/hornotinus vel hornus.
Heuschreck/cicada, locusta, kleiner/attelabus.
Heydelbeer/myrtillus, myrtum vaccinium. Myrtenstaud/myrtus.
Heydnische Gilgen/hemerocallis.
Heydnisch Wundtraut/costum, costus.
Heylwurtz/valeriana.
Hex/lamia, strix, mulier malefica & volatica, pharmaceutria, saga, venefica.
Hieb/cæsio.
Himmel/cœlum, Himmel oder Furhang über ein Bett/conopéum, Himmel über das H. Sacrament/umbellæ Eucharistiæ.
Himmelbrod/manna, himlitzen/fulgurare, fulguratio.
Hinde/cerva.
Hinfallende Sucht/heracléus morbus, comitialis, caducus, lunaticus, Herculeus, epilepticus, sonticus morbus.
Hinterhalt/qui sunt in subsidiis, subsidiarius miles, subsidium.
Hinterlauff des Hasens/lumbus leporis.
Hinterschlegel/lumbi vervecini, lumbi cervini.
Hintertheil des mittlern Leibes/nates, pl. podex.
Hintertheil des Hasen/lumbi leporis.
Hinwurff/peripsema, atis.
Hippocras/vinum nectareum, mulsum primæ notæ.
Hirn/cerebrum, hinter Hirn/cerebellum, Hirnschale/calva, calvaria, cranium, testa capitis. Hirnhäutlein/meninges pl. Hirnschnalle/talitrum.
Hirs/milium, Welscher/panicum.
Hirsch/cervus, Hirschfänger/sica venatoria, Hirschzemer/clunes cervini, jagbarer Hirsch/trimus aut quadrimus, Hirschshaut/nebrina, pellis, nebris, idis, pellis, cervina, Spießhirsch/subulo, Hirschkalb/hinnulus, catulus cervinus. Plura vide sub voc. *venator*.
Hirschkraut/dictamnus, dictamnum.
Hirschzung/asplenum, scolopendrium, phyllitis, herba.
Hirtengesang/bucolica, pl bucolicum carmen, Hirtenhäuslein/mapalia, Hirtenstab/pedum.
in Historien wol erfahren/polyhistor, oris.
Hitz/æstus, Hitzbläterlein/boæ, papulæ.
Hobel/dolabra, Höbelein/dolabella, Schlichthobel/planula. Schrotthobel/runcina, hobeln/dolare, fleissig hobeln/edolare, Hobelbanck/dolatorium, Hobelspän/ramentorum crines, schidia, æ, ium, assulæ.
Hochenau/helciaria navis, Hochenauer/helciarii.
Hochkraut/anéthum. (næus.
Hochzeitlied/epithalamium, hymen, hyme-
Hockesbockes-Becherlein der Taschenspieler/acetabula. pl.
Höfel oder Sauertaig/fermentum.
Höflichkeit/urbanitas, höflich/urbanus.
Höle/cavea, spelæum, spelunca.
Hölle/tartarus, orcus, erebus.
Höllhafen/lebes, vel cacabus caldarius.
Hönigthau/manna, Hönigfarb/mellinus color, Hönigsafft/melligo, inis.
Höschel/singultus, höschetzen/singultire, mit höschetz/singultim.
Hof/area, unter freyem Himmel/impluvium.
Hofdienst/palatina officia.
Hofkatz/palatinum mancipium.
Hofnarr/morio.
Hoffnung/spes, ohne Hoffnung/exspes.
Hoger/gibbus.
Hohe Schul/lycéum.
Hol/geholt/concavus, adj. Holeisen/scalprum cavatorium.
Holderbaum/sambucus.
Hollippen/adoreæ cannæ.
Hohlkehl/canaliculus, gekehlet/mit Hohlkehl gemachet/canaliculatus, Stäbel der Hohlkehl/striæ.
Holtziegel/imbrex, icis.

J.

Jäcung

Hams

Koppel

Kugel/

Mars

Mustar

P.

Reichs-

cratitiæ gerræ, corbes terra oppleti, Schäntzlein mit einem Graben / militare ſepimentum, geſchlagne Pfähl darum / ſepes militaris, ſudes vallares, ſeps ſudium, Vide *moles*.

Scharb / carbo aquaticus.

Scharffrichter / , carnifex.

Scharlach / coccum vel coccus, Scharlach-Kleid / coccinum, coccina vel coccinea veſtis, Scharlach-Schneck / conchylium, conchyle, Scharlachfarb / conchyliatus color, Scharlachbeer / granū tinctorium.

Scharmitzel im Krieg / velitatio, conflictus, conflictio, pugna velitaris, tumultuaria pugna.

Scharmitziren / velitatio. veſicatio,

Scharnitzel / cucullus papyraceus.

Scharte / dentes, denticuli denticulatus enſis, retuſus.

Scharwächter / circitores nocturni.

Schatten / umbra, Schattenhütte / umbraculum.

Schattirung im Gemähl / umbræ colorem condiunt. Vide *pictura*.

Schatzkammer / ærarium, Schatzmeiſter / tribunus ærarius. Fürſten-Schatz / fiſcus.

Schatzung / tributum, ſtipendium, der derſelben unterworffen / ſtipendiarius, tributarius, ordentliche Schatzung / ſtipendiarium vectigal, Schatzkammer / gazophylacium, ſanctius ærarium, theſaurarii fures

Schaubhut / umbella.

Schaub / palla, ſtola mulierum.

Schaubſtroh / faſciculus, manipulus ſtraminis.

Schaueſſen / epularis oculorum paſtus.

Schauder des Fiebers / rigor, horror

Schauffel der Becken / pala, infurnibulum, Grabſchauffel / ligo, Feuerſchauffel / batillus, Kornſchauffel / rutrum, rutellum Wurffſchauffel / vannus, ventilabrum.

Schaum / ſpuma, Schaum des Goldes / chryſitis, ſpuma auri.

Schauplatz / theatrum, ſo rund / amphitheatrum.

Schauſpiel ſo frölich / comœdia, ſo traurig / tragœdia, ſpectaculum, Schauſpieler / hiſtrio, die Kunſt / hiſtorionia, Schauſpielgeld / lucar, aris, der ein Schauſpiel läſſet halten / munerarius.

Scheel anſchauen / limis obtueri.

Scheelen / deglubere, delibrare.

Scheelkraut / chelidonia & chelidonium.

Scheer / forfex, forpex, Scheerlein / forpicula, plura vide ſub voc. *forfex*, Scheermeſſer / novacula, Scheertuch / involucrum, Scheerwolle / tomentum, Scheerer / tonſor, Scheererin / tonſtrix, Scheerſtube / tonſtrina.

Scheib / diſcus, orbis.

Scheibenrolle / trochlea, im Zug / Glasſcheiben / orbiculi vitrei.

Scheid / vagina, ausziehen / evaginare.

Scheidbrief / libellus repudii.

Scheidkunſt / chymia, ars chymica.

Scheidsmann / arbiter, Scheidwand / intergerinus paries.

Scheidwaſſer / aqua ſecretoria, chryſulca.

Scheidung / divortium.

Schein / prætextus. Vide Quittung / ſyngrapha, apocha.

falſcher Schein / offuciæ, fucus, fallaciæ.

Scheitel / vertex, des Haupts / diſcrimen capillorum.

Scheiterhauffen / ſtrues, Scheiter Holtz / candices ligni, fragmenta lignorum, ſecta ligna.

Scheiterſpän / aſſulæ, ſchidia, orum, Scheiterweis / aſſulatim, plura vide ſub voc. *aſſula*.

Scheck / equus bicolor, geſchecket Kleid / veſtis verſicolor.

Schelffe / tunica, putamina, pl. folliculi.

Schelle / campanula, cymbalum, nola, tintinnabulum.

Schelen / decorticare, glubere.

Scheleh ſehen / limis oculis aſpicere, tranſverſa tueri,

Schemelkrick / inſile.

Schenckel / crus, Oberſchenckel / femur, oris, femen.

Schenckkandel / cirnea vel hirnea.

Schepperle der Kinder / faſcia, faſciola pectoralis.

Scherb / teſta.

Scherb / lorarius lictor.

Schermaus / talpa.

Scheuhroß / pavidus.

Scheuer / horreum, horreolum, in der Höhe penſile.

Schieler / ſtrabo, ſtrabus.

Schiene / lamina, lamella, lamna, bractea, bracteola.

Testa-

Testamentschreiber/ testamentarius, Gerichtschreiber/ dicographus, Theck für die Feder/ pennaria, calamaria, graphiaria theca. Schreibtischel/ mensula scriptoria, Weltbeschreibung/ cosmographia, des Erdbodens/ geographia, eines Orts/ topographia, einer Landschafft/ chorographia. Verschreibung/ chirographum, syngrapha. Abschrifft/ apographũ, exemplar.

Schrein/scrinium, Schreinlein/scriniolum, Schreiner-Arbeit/ opus intestinum, Schreiner/ scriniarius, arcularius faber, clinopæus, clinopegus, Schreinerwerck/ intestinum opus, Schreinerdeck/ lacunar, laquearium, laquear, lacumare.

Schrenckung/ jugmentum, schrencken/ jugamentare, obvertere, cancellare.

Schrepffeisen/scalpellus vel scalpellum chirurgicum, schrepffen/ scarificare, *Plinio*, scalpello sanguinem mittere, aliàs cucurbitulæ.

Schretzel/ incubus, ephialtes.

Schreywesen/ clamatorium genus.

Schrifftbehaltnus/ tabularium, tablinum, archivum, zusammgetragne Schrifften/ collectanea, pl. Schrifftgiesser/ fusor formarum s. typorum, Schrifftenverwalter/ logista. Schrifft/ der Trucker/ formæ, typi ænei.

Schröt/pilulæ grandinosæ, minutâ grando ferrea, granula ferrea.

Schröter/ cervus volans, scarabæus, lucanicus, cornutus.

Schroffen/saxum, schorffiger Ort/ confragus, confragosus locus.

Schrothobel/ runcina, schroten/ runcinare, Schroteisen/ scalprum fabrile, Schrotbüchs/ fistula grandifera, grandivoma.

Schrunde/ fissura, rima, rimula.

Schubkarren/ vehiculum versatile, Schublade/ capsa ductilis.

Schuh/calceus. Schuh-Sole/solea, Schuhe mit Riemen/amentata solea. Schuh-Behaltnus/calceariũ, hoher Schuh/ cothurnus, Schuhriem/ ligula adstrictoria, adstrigmentum, obstragulum, Schuhriem/ corrigia, Schuh abtretten/ deculcare calceos, Schuh-Ahl/subula, alte Schuh/ veteramenta calcearia, pl. Schuheisen/ so spitzig/adstrigmentum solearum muricatum, Schuhring/ansa, ansula, Schuh von roher Ochsenhaut/carbarinæ, Holtzschuh/ calopodia, spitzig/calcei repandi, Stöckelschuh/ligno aut densato corio suppacti, Schuhdrat/ cheleuma, Leist/ modulus, forma, mustricula, Schin und Unterschlag/ cuneoli, Fingerhut/ digitale, Anzug/ inductorium, Zweck/ claviculi, Reisser/ radula, Stahel/ chalybea ligula, Reibhöltzer/ ligulæ suturis poliendis, Klopfholtz/ tudes, mateola, Kneib/ smilium, sicillum, falcula sutoria, Werckmesser/ scalprum sutorium, Handleder/ manuale tegumen, Daumenring/annulus pollicaris, Knieriem/ funda genualis, Streichhaber/ fascis cheleumaticus, Raspel/ radula suberis, Haarwisch/ peniculus setosus, Faltz/ ensis rasorius, Schreibbret/ assula sutoria, Zwechbaum/ planca æquatoria, Richtbret/ asser ocreis diducendis, Krispelholtz/ radula striata. Lederstreck/ tentipellium. Wendsteck/ baculus versorius, Maerahm/ regula calcearia, Muster/ forma chartacea, Schwam/ spongia, Zang/ forceps, Scheer/ forfex, Werckbänckel/ scamnum instrumentarium, Schusterschwärtz/ atramentarium sutorium, Ubergeschüh/ aluta calcei, Quatter/ talaris aluta, die Laschen/ adstrigmenta, Futterleder/ subdititium corium, Brand-Sole/ interior solea, Affterleder/ corium talare interius, Fleck/ frusta, segmina, minutæ corii, Werckschuh/ pes, halb Schuh/ semipes, semipedalis, adj. sesquipedalis, anderthalb schuhig/ tripedalis &c.

Schüssel/paropsis, catinum vel catinus, catillus, um, vas escarium, so tief oder hol/ gabata, æ, blatte Schüssel/ lanx, cis, patina, grosse runde Schüssel/ magis, Schüssel-Mus/ pulticula ex ovis cum lacte & saccharo coacta. Schüsselecker/ catillo, onis, Schüssel-Ranfft/crepido lancis, Schüsselein/ scutella, scutula, Schüsselpfenning/ scutellatus nummulus, tieffe Schüssel/ scutra, æ, Schüsselwaag/ trutina, Essig-Schüssele/ acetabulum.

Schütte/ agger, vallum, locus congestitius, beschütten/ ruderare, rudus inducere.

ein Schütz/ puer trivialis.

Schütz/ jaculator, sagittarius.

Schützen/ catapultarii, zu Pferd/ hippotoxotæ.

Tama-

Trencke/

Trencke / aquarium, lacus pro jumentis, adaquare, träncken.

Treschen / terere fruges, flagellare perticis, das Treschen / tritura, Trescher / tritor, getroschen Traid / detrita, extrita frumenta, Treschwagen / tribulum, tribula, æ, Trischel / flagellum, clava.

Trest / magma, spissamentum, Trestwein / lora.

Tretten / calcare, zertretten / deculcare.

Triangel-Seiten / hypothenusa.

triebne Arbeit / anaglypha, orum, anaglyphatus, malleatum opus.

Trichter / infundibulum.

Triefen der Augen / lippitudo, triefäugig / lippus.

Triet / panis escharites, falerno tinctus, aromaticâ conditurâ imbutus.

Triller / vibratio vocis; vox canendo crispata; vocis unico spiritu ductæ varia inflexio.

Triller zum Spielen / lusorius numerorum index, vel gnomon, orbis lusorius cum versatili nummorum gnomone. Lasst uns den Triller drehen / lusorium gnomonem versemus, vel gyremus.

Trillung / palaria, ium, pl. olim, exercitatio militum.

Was bey den Alten waren die Pfeilschiesser und Schlingen-Werffer / seynd bey uns die Musquetirer / veterum sagittarii, & funditores, nostri sunt sclopetarii.

Was bey den Alten war ein Lanz / oder langer Spieß / wird bey uns genennt ein Picque, vocabulo Gallico, die solche tragen / Piequenierer / veterum sarissæ, nobis sunt oblongæ hastæ; quas qui ferunt, hastati, sarissophori, lancearii appellantur.

Die Musquetirer werden erstlich unterrichtet / mit dem Gewehr recht umzugehen / ante omnia sclopetarii condocefiunt scitè tractare arma.

Darnach sagt man ihnen / was vor ein Unterscheid sey zwischen den Gliedern und Reyen / deinde discunt discrimen inter ordines in latum & longum; inter frontem, & corpus aciei, observare.

Dann müssen sie wissen / was sey Linck- und Rechts sich wenden / tum docentur sinistrorsum & lævorsum se vertere; quæ declinatio corporum sive in dextram sive sinistram sit facienda.

Wie die Glieder entweders zu doppeln / oder auseinander zu ziehen / quomodo ordines vel contrahendi, vel diducendi.

Wie dieselben über zwerch zu kehren / quomodo obliquandi.

Wie man soll von den Gliedern heraus tretten / und wider am gehörigen Ort sich stellen / quomodo de statione recedendum & ad eandem redeundum.

Wie die Weite zwischen den Gliedern zu halten / quomodo spatia & intervalla ordinum observanda.

Wie sie zu verändern / quomodo mutanda.

Wie man soll einander ausweichen / quomodo discessiones sive adventantium, sive recedentium, & mutui occursus faciendi.

Wie das Gewehr manierlich zu ergreiffen / quomodo arma dextrè prehendenda, tenenda, erigenda, demittenda, inclinanda, ponenda, resumenda, in omnem partem obvertenda.

Hinc illæ voces instructorum ad sclopetarios.

Nehmt euer Gewehr zugleich in die Hand / simul arma prehendite.

Legt euer Gewehr nider / arma (nempe sclopetos) pariter deponite.

Aufrecht ohne Gewehr / erecti state.

Stellt euch in die vorige Postur / restitue te miles.

Erhebt euer Gewehr zugleich / arrigite arma.

Schuldert euer Gewehr / bombardas in humeros suscipite.

Lasst euer Gewehr sincken / inclinate sclopetos, vel sclopeta.

Präsentirt euer Gewehr / aptate bombardas ictui.

Eröffnet die Pfannen / aperite scutulam.

Schüttet Zündkraut auf / pulverem nitratum inspergite.

Macht die Zündpfannen zu / claudite scutulam.

Schüttet ab / pulverem excutite.

Gebt

V.

 Verb

Uhr-

Uneben/ salebra.
Unflat/ excrementum, pædor.
Ungelehrt/ illiteratus, idiota.
Ungleichheit/ anomalia, anomalus, adj.
Unhold/ lamia, strix, mulier malefica & volatica, pharmaceutrica, saga.
Unkraut/ lolium, zizanium.
Unraht/ pædor, recrementum, retrimentum, der Nasen/ myxa.
Unruh/ turbamentum.
Unruhe in der Uhr/ æquilibrium s. libramentum horologii.
Unruhiger Mensch/ ardelio, homo turbulentus.
Unschlit/ sebum vel sevum, Unschlitkertzen machen/ sebare, Unschlitkertze/ candela sebacea.
Unsinniger/ fanaticus, unsinnig/ lymphaticus, Unsinnigkeit/ mania, ders hat/ maniacus.
Unterbauch/ ventriculus, aqualiculus.
Unterbett/ culcita vel culcitra.
Unterfutter/ pannus subdititius.
Untergrabung/ cuniculus, untergraben/ cuniculos agere, Untergraber/ cunicularii.
Unterhändler/ pararius, proxenéta, sein Lohn/ proxeneticum.
Unterhaltner/ bneficiarius, sich unterhalten lassen/ nomen dare militiæ.
Unterhembd/ subula, interula.
Unterkäuffer/ proxenéta, sein Lohn/ proxeneticum.
Unterkleid/ subligaculum, subligar, femoralia
Unterlassung/ interstitio, cessatio, induciæ.
Unterlauff/ intercursus.
Unterleg des Hebeisens/ hypomochlium, fulcimentum vectis.
Unterpfählung/ palatio, palorum substructio
Unterpfand/ hypotheca, pignus, oris, der ein Pfand hat/ pignoratitius creditor. der das Pfand annimmt/ pignorator, ders setzt/ oppignorator.
Untersatz/ basis, erisma, atis, sustentaculum.
Unterscheidung mit Puncten/ interpunctio.
Unterschwelle/ limen inferum s. hypothyrum.
erste Unterweisung/ isagoge.
Unterstütze der Bäume/ pedamen, pedamentum.
Unverheuratheț/ cœlebs, innupta, æ.
Unwegsam/ inaccessus locus.
Unwill/ nausea.
Untze/ uncia, eine halbe Untz oder ein Loht/ semuncia, 2 Untz/ sextans, 3 Untz/ triens, 4 Untz/ quadrans, 5 Untz/ quincunx, 6 Untz/ selibra, oder ein halb Pfund/ 7 Untz/ septunx, 8 Untz/ bes, 9 Untz/ dodrans, 10 Untz/ dextans, 11 Untz/ deunx, ein Pfund/ libra.
Unziefer/ insecta, pl.
Unzüchtig Weib/ lupa, unzüchtig Haus/ lupanar.
Vogtkindliche Schuldigkeit/ cliental, vogtbare Jahr/ anni tutelares.
Vogel/ avis, ales Brachvogel/ Regenvogel/ arquata, Vogelhaus/ aviarium, Vogelverkauffer/ aviarius, Vogelkloben/ amesitis, Heerd/ area aucupatoria, Vogelfrey/ aqua & igni interdictus, Vogelrohr/ arundo aviaria, Vogelfanger/ auceps, Vogelfang/ aucupium, singende und vorbedeutende Vögel/ aves oscines, plura vide sub voc. *avis*. Vogelkloben/ calamus aucupatorius, arundo aviaria, Leimrute/ viscaria virga, ein groß Vogelhaus/ ornithon, onis, ornitrophium, Vogelfrey/ neci devotum caput, expositus morti, Haus/ cavea, Kamm der Vögel/ crista. Vogelschlag/ decipula, decipulum, Vogelfrås/ farrago aviaria, vicia, Vogelkropff/ ingluvies. Vogelleim/ viscum vel viscus.
Volg/ consequentia, consecutio, Unvolg/ inconsequentia. *Quintiliano*.
Vollmond/ plenilunium.
Volte/ circumactus equi, ein halbe Volte oder Kehrung/ dimidiata circumactio, Voltisprung/ oder Kratorit/ equi in gyrum versatio, circumactio, Courbetten oder Krumsprünge/ equus alternis pedibus solum numerosè feriens. Crura antica & postica subsultim glomerans. Das Pferd wird vor dem Thurnier mit halben Lauff geübet/ macht etliche Passaden oder Zaum-leidende kurtze Sprüng/ leni decursione, exercetur, pugnæ lentiore

ein halb Pfund oder Marck / selibra, ein Untz oder zwey Loht / uncia, ein Loht / semuncia, ein Quintle / drachma, octava pars unciæ, drey Theil eines Quintel / oder der vier und zwantzig-Theil eines Quintels / scrupulus, ein Gran / granum piperis vel hordei, der sechste Theil eines Scrupels / siliqua, Pfund / libra. Hinc adjectiva libralis, bilibris, trilibris, quadrilibris, quinquelibralis, centenarius, hundertpfundig. Der zwölffte Theil eines Loths / sextula, der achte Theil / sicilicus, 2 Loth / sescuncia, sextans, 2 Untzen / oder 4 Loth / quadrans, 3 Untzen oder 6 Loth / quincunx, 5 Untzen oder 10 Loth / semissis, 6 Untzen oder 12 Loth / septunx, 7 Untzen oder 14 Loth / bessis, 8. Untzen oder 16. Loth / dodrans, 9 Untzen oder 18 Loth / dextans vel deunx, 10 Untzen oder 20 Loth / deunx, 11 Untzen oder 22 Loth / libra, pondus, ein Pfund / 12 Untzen oder 24 Loth. Hinc adjectiva unciarius, semunciarius, sescunciarius, sextantarius, quadrantarius, trientarius, semissarius, septunciarius, bessalis, dodrantalis, dextantarius, deunciarius, libralis.

Wagen / vehiculum, mit zweyen Pferden / biga, solcher Fuhrmann / bigarius; hangender Wagen / carpentum, Wagner / carpentarius, plura vide sub voc. *carpentum*. Wagengestell / compages, compago, Wagenschmier / axungia, Wägelein / curriculum, Wagenmeister / præfecti curruum, Wagenleis / orbita, offner Wagen / petoritum, petorritum, essedum, covinus, hangender / pilentum, vehiculum pensile, Lastwagen / plaustrum vel plostrum, sarracum, Wagner / plaustrarius, Wagen mit 4 Rossen bespannet / quadriga, currus quadrijugis, mit 3 Rossen / trigæ, mit 2. bigæ, biga, Kinderwägele / chiramaxium, curriculum manuale, das man mit der Hand ziehet. Landkalesch / vehiculum meritorium, Kutsche / vehiculum cameratum, Himmel der Kutsche / fornix thedaria, camera curulis, Wagenhals / explorator nauticus, Wagenspiel / alea, Wägelein / quadrigula.

Wahl / optio.

Wahr um Wahr geben, permutare merces.

Wahrsager / hariolus, hariola, Wahrsagerin / haruspica, wahrsagen / hariolari, Wahrsager aus Beschauung des Eingeweids / haruspex, solche Wahrsagerey / haruspicina, Wahrsager aus dem Gesicht / metoposcopus.

Wahrzeichen / symbolum.

Waid / pascuum, zur Waid füglich, pascuus, adj. Waidsack / pera venatoria.

Waisenhaus / brephotrophium, orphanotrophium, Waisenvater / orphanotrophium, Waise / pupillus.

Walcker / fullo, Walck / fullonia, Walckers Erd / die Tücher weis zu machen / cimolia terra vel creta.

Wald / sylva, den Wald erhauen / daß er liechter wird / collucare, Wald / darinn nicht zu holtzen / incidua silva, den Wald ausschnaiten / interlucare, finster Wald / lucus, dicker / saltus, Waldbruder / anachoreta, Hauwald / silva cædua, Bannwald / incædua, verhauete Wälder / sylvæ concædibus munitæ, wäldigte Wege / viæ silvosæ, Waldmeister / saltuarius.

Wald-Esel / onager, ri, junger / lalisio.

Wald-Lilien / periclymenus, periclymenon.

Walger / volgiolum, walgen / volgiolo dilatare, complanare.

Wall / propugnaculum, vallum, munimentum, munitio, Spitzeckichte Arm desselben / forcipulæ, forcipes, Anleg / planta s. pes valli, die Höhe / altitudo valli, die äusserliche Boschung / acclivitas valli exterior, die oberste Breite / latitudo valli verticalis, Wallgang / ambulacrum valli, die Brem oder Zech am Wall / margo valli inferioris. Vide sub voce *miles*.

Wallach / canterius vel cantherius.

Wallfisch / balæna, cetus, der sie verkaufft / cetarius.

Wallholtz / palanga vel phalanga.

Wallhügel / aggeris propugnaculum.

Waltzeisen / cylindrus, Waltzblock.

Wammes / thorax, gestochnes / ocellatus.

Wamms

Wischer/

Wurst/

Wurst / farcimen, Blut- oder Rosenwurst / apexabo, Leberwurst / tomaculum, billa, Bratwurst / botulus, botellus, lunanica,
Wurstmacher / botularius, fartor
Wurtzel / radix, Wurtzelgraber / rizotomus, Wurtzelklauber / Kolbwurtzel / bulbus, radix rotunda tunicata, es wurtzelt / radicescit.
Wust / so zusammenfliesset / colluvies, pædor, excrementum, Wust-Ausführung / colluvio colluviaria, pl.

Z.

Zablen / palpitare.
Zänckisch / rixosus, jurgiosus, litigiosus, Zanckeisen / vitilitigator, gern zancken / vitilitigator.
Zäpfflein im Hals / gurgulio, tonsillæ, uva faucium, Zäpffleinswehe / angina, Zäpfflein zum Stuhlgang / balanus, vulgò, suppositorium, glans.
Zäserlein / fibræ, capillamenta, an Bäumen und Früchten / nucamentum.
Bruchzahl / numeri fracti, runde Zahl / numerus rotundus, Ziffer / numeri Arabici, vulgò ciphræ.
Zahn / dens, Zahnwehe / odontalgia, Zahnschifer / testa dentis, Zahnlucken / alveoli, cavernæ, cavernulæ, præsepia dentium, die vördersten Zähn / dentes primores, incisores, tomici, gelasini, Stockzähne / molares, maxillares, Zahnbrecher / circulator, circumforaneus medicus, vide plura sub voc. *dentes*. Die Zähn ausschlagen / edentare, Zahnluckigt / edentulus, Zahnfleisch / gingiva, Ordnung der Zähne / maceria, Zähnklappern / stridor, dem die Zähn herfür blecken / brochus vel bronchus, der gute Zähn hat / dentatus, dem die Zähne herfür schiessen / dentientes pueri, dentitio, Zähnblecken / ringi, Zähnweh / odontalgia, Zang / die Zähn auszubrechen / odontagra, forpex, forpicula dentaria, chirurgis, der Geisbock-Zahnstierer / dentiscalpium, dentifricium, das kleine Zähnle hat / olus denticulatum.
Vorzaichen / prognosticon.
Zaicheisen / cauterium stigmaticus, adj.
kurtze Verzaichnung / breviarium.
Nebenverzaichnus / paragraphe. Paragraphus, Reisverzaichnus / hodœporicon, vulgò itinerarium.
Zamer / domitor, mansuetarius. *Lamprid*
Zange / forceps, Spitzzänglein / forceps denticulata, Zange die Zähn auszubrechen / odontagra, forfex dentaria, plura vide sub voc. *forceps*, Rupffzängle für das Haar volsella.
Zanckeisen / perplexus annulorum lusus, gordius annulorum nodus.
Zapffe / veruculum, cuneolus, obturamentum, die man durch ein Loch stösst / axilli, Faßzapff / siphunculus, epistomium, eiserne Zapffen / ferrei ancones, *Vitruv.* Zapffresser Wein / gratæ mordacitatis, abzapffen & anzapffen / dolium epistomio aperire, Zapfleder / corium camelinum, *quod ex gibbo camelorum petitur.*
Zauberey / præstigiæ, præstigium, incantatio, carmen, devotiones, fascinum, magia, Mittel darwider / amuletum, verzaubern / fascinare, incantare, excantare fruges, Zauberer / magus, præstigiator.
Zausen / retro ferre pedem.
Zaun / sepes, mit Stauden / sepimentum virgulteum, Zaunsteck / sudes, is, furus, vallus, stipes, itis, plura vide sub voc. *sepes*, Lebendige Zäun / arbustivæ sepes, Liechs Zaun / seps è sectilibus tabulis.
Zaunlilien / ligustrum.
Zaunschlupfferlein / regulus, trochilus.
Zechgeld / symbola, Zechhaus / popina, Zechbrüder / popinones, zusammzechen / congræcari, Zechfrey / asymbolus.
Zeck / ricinus, vermis, vulgò Hundslaus / Item nostratibus idem quod Kletten / herbæ genus echinatum, quod vestibus adhæret. Latinis lappa.
Zelt / tentorium, papilio, tabernaculum, über ein Bett / conopeum
Zeen / digitus pedis, die grosse / hallum vel hallus.
Zehengarb / merges vel manipulus decumanus.
Zehentag / decennium.
Zehner / denarius.
Zehrpfenning / viaticum.
Zeichen / character.
Zeiger in der Uhr / index & lingula.

Zei-

Zeigerfinger/ salutaris digitus, index demonstratorius.
Zeil/ linea, versus, Zeilein/ versiculus.
Zeinle/ sportula, calatiscus, corbula, fiscella, quasillum.
Zeislein/ acanthis, ligurinus, spinulus.
Zeit/ tempus, Zeit von 5 Jahren/ lustrum, Anfang einer gewissen Zeit/ æra, æ, Zeit/ wann Tag und Nacht gleich ist/ æquinoctium, Zeit so immer währet/ ævum, Zeitbücher/ chronica, pl.
Zeitlos/ colchicum orientale, hermodactylus, narcissus luteus.
Frühzeitig/ præcox, præcoquus, adj. spatzeitig/ cordus, unzeitig/ immaturus, crudus, crudiusculus.
Zelten/ panis subcinericius, orbiculatus, Item trochiscus, pastillus.
Zemer/ postica pars dorsi cervini.
Zendel/ bombycina tela filo simplici.
Zergliederung/ anatome, vulgò anatomia.
Zerleger der Speisen/ structores.
Zerlumpt/ pannuceus, pannosus.
Zermahlen/ pinsere.
Zerrütt/ ceritus, emotæ mentis.
Zerschneiden/ deruncinare.
Zerstossen/ pinsere, Zerstossung/ tritura.
Zertrennung/ schisma, atis.
Zettel/ scheda, schedium, schedula.
Zettel der Weber/ stamen.
Denckzettel/ chartula memorialis, *Sueton.*
Zeug/ testis, ich nimm zum Zeugen/ antestor, aris, Zeugen Aussag/ attestationes, Zeugmeister/ præfectus officio tormentario, tribunus armamentarius, Zeughaus/ armamentarium, Zeugwart/ tormentorum curator, refector.
allerley Zeug/ varium instrumentum venatorium, nauticum, rusticum, &c. Item varium genus telæ, sericæ, lanicæ, lineæ]
Zibethkatz/ felis zibethica, zybethi felis, Zibeth-Bisem/ zibethum.
Ziech über ein Küß/ cadurcum, *Iuvenal.*
Ziegel am Zaum/ retinaculum.
Ziegel/ later, laterculus coctilis, ungebachen/ crudus, Ziegelfarb/ gilvus, helvus color, helvolus, figninus, adj. Holziegel/ imbrex, Ziegelsweis/ imbricatim, Ziegler/ imbricarius. Plura vide sub voc. *later, tegula & imbrex.* Gebrennter Ziegel/ laterculus coctilis, ungebrennter Ziegel/ laterculus crudus, flacher Ziegel oder Taschen/ tegula, Hacken/ tegula hamata, lateritius, adj. Holziegel/ imbrex, Ziegler/ laterarius, Ziegelmauer/ muri coctiles, Ziegelhütten/ lateraria.
Ziehbanck/ tractorium scamnum, Zieh-Eisen/ uncus tractorius, das sich ziehen lässet/ metallum ductile.
Abziehstuben/ apodyterium, Abzug von der Hauptsumm/ deductio de summa, Anziehgel/ inductorium calcei, Auszug/ epitoma, epitome.
Ziel/ meta, scopus, terminus.
Ziel-Büchs/ fistula scopica.
Ziffer/ numeri.
Ziger seu Schotten/ serum lactis.
Zigeuner/ circulator Ægyptius.
Zille/ alveus, cymba.
Zimmer der Knaben/ andron, andronitis. Frauenzimmer/ gynæceum.
Zimmern/ asciare, exasciare, fabricari.
Zimmerholtz/ materia, materies.
Zimmerkraut/ bacchar vel baccharis.
Zimmermann/ lignarius faber, materiarius, tignarius, Zimmerhütten/ materiaria f. lignaria fabrica.
Zimmerschragen/ canterii, zusammgefügten Zimmerholtz/ cardinata ligna.
Zimmetholtz oder Zimmetrind/ casia f. cassia, cinnamomum, cinnamum.
Zinck/ buccina, buccinum, lituus, Zinckenist/ buccinator. cornicen, inis, liticen.
Zinn/ stannum, inwendig verzinnt/ incoctilia, pl. verzinnen/ incoquere stannum, Zinngiesser/ stannarius.
Zinnober/ cinnabaris, minium factitium.
Zins/ vectigal, usura, Zins von Zins/ anatocismus, Zins und Gült/ reditus.
der in den Zins wohnet/ cœnacularius, Gewinn aus dem Hauszins/ quæstus cœnacularius.
Zinsjahr/ indictio.
Zipff der Hühner/ pituita.
Zipffel des Rocks/ lacinia.
Zipperlein/ arthritis, idis, der damit behafftet/ arthriticus, an Händen/ chiragra, an Knien/ gonagra, an Füssen/ podagra.
Zirbelnuß/ cybeles pomum, nux pinea.

Zirckel